iudicantes duodecim tribus Israhel

Simon ecce Sathanas expe


sicut triticum. Ego autem

non deficiat fides tua. Et tu ali

confirma fratres tuos. Qui

tecum paratus sum et in carce

Ille dixit Dico tibi Pe



OPERUM ASCETICORUM
REVERENDI PATRIS
GASPARIS DRUZBICKI
è SOCIETATE JESU,
TOMUS SECUNDº

CATALOGUM TRACTATUUM Asceticorum hujus TOMI & Capitum omnium, vicina post dedicationem pagina indicabit.

Domus Cracoviensis ad S.

12. IV. 42

Professae Soc. Jesu Barbaram





POSNANIÆ,
Typis Collegij Societatis IESU.
Anno Domini 1691.





ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. SAMVELI
DE KOSIECZYN
PROSKI.
EQUITI MELITENSI,

S. R. M. Poloniarum,

Ad Augustissimum Romanorum Imperatorem

ABLEGATO.

Domino Patrono & Mecænati Amplissimo.

EQUES ILLUSTRISSIME,



Pus, materiâ & Auctore Tibi dilectum, impendio, & usu Tuum; Tuo prælegimus Nomine, Tuo censemus Stemmate, ordine consecramus, sanguine, titulis, meritis Tuis illustramus, ut magis ornatum videatur; attollimus, ut plus æstimetur; ampliamus, ut communius & publicè prosit. Et hoc officio Tibi non ingrati sumus; futuri & illis utiliores, in quibus perfectionis æstum, quem Liber hic spirat, docet; Tuæ probitatis exemplo, efficaciùs afflabimus. Habet enim invictam suadendi vim claritas Generis, quam exaggeravit Pietas, cum necessitas quædam sit imitationis, admiratio. Te verò quis non nisi vidit? qui Opalenios, quot viris, tot Senatoribus claros; & quot Regni nostri sunt decora, toties & ampliùs ma

gnos

gnos ſcivit. Qui Zamoyſcios ad clavas Martiales Duces: Signatorijs Regni annulis aureos: & toto Poloniæ theſauro cariores Patriæ vidit. Gninſcios quicunq; per Inſulas Curuleſq; numeravit, Te, ſine veneratione nemo præteriit. His enim debes Tuum ſanguinem; quem magnum, meritorum paritate: antiqvum gloriæ immortalitate: declaras, vel illuſtras. Conſanguinea enim Roſtra, Opaleniæ Navis, Oriente, Occidenteq; clarum habent Poloniæ Tullium; Haſtæ Zamoyſciæ, Avito Tuo gloriantur Samſone; & Te Melitenſi gaudent Heròe. Coronatus verò Gninſciorum Draco, Te Capitis ſui gemmam præſtituit.

An enim àliud videbaris àd portam Othomanicam annis novem Poloniæ Internuntius, quem adverſa probarunt conſtantem, fecerunt invictum: fidelem laudarunt Provinciæ, Senatus, Regnum, vel ut brevius dicam omnia, laudavit Rex. Ipſi æſtimaverunt barbari: in quo cum ſuam audirent lingvam; animum intelligere ſola Polonia potuit, ſuo tam integrum Principi, ut in aula Lechica agere crederеris non in Thracia, in conclavi IOANNIS III. verſari, non Bizantij. Quod quàm ſanctum eſt, illi norunt, qui Rempublicam ſciunt, & ſolam æſtimant; generoſæ Fidei non degeneres, in gratiam venalis potentiæ. Et hic erat gloriæ Tuæ Oriens Majeſtatem Polonam barbaris aſſerere conſtantià indeflexâ, hoſtium exantlare conſilia ſtudio Patriæ, invidiam crudelis aulæ officio lenire, magnanimitate reprimere; ferocem barbariei faſtum Regis Tui majeſtate & victorijs inclinare; & vivendi licentiam impugnare morum gloriâ. In aliud hinc exijt fama Tua theatrum, cum in Neoburgicam domum, quam Principum, Regum, Cæſarum ſociale decus, jure dicam,

præires

præires Legatum, Serenissimo Poloniarum Principi IACOBO, Principem Sponsam deducentem. Huic augusto nexui, quoties Polonia suam debebit fortunam, toties fœdera gloriæ ex illo annulo evoluta agnoscet, quem, triumphalis Principis Sponsi Nomine Paranymphus detulisti. Quo ita, felicissimum hoc signasti Connubium: ut gloria in orbe nulli secundo; meritis per regna, amore in Patriam, intèr Poloniæ Reges Primo IOANNI III, Teipsum altiùs imprimeres. Et sufficit ut dici possis gloriosus, ab immortali probari Principe. Nec iners laudis Nomen esse potest illi Regi placuisse, qui sæculorum negotia sic inter Reges agitat, quasi regnaret ubiq;, & consilijs conciliet regnorum pacem

Eam mentem suam curis regnorum plenam, & adhuc orbis capacem Tibi aperuit, suo in aula AVGVSTI LEOPOLDI I. arcanorum Arbitro, ut pericula communia Tu disceres, ille elideret: publicæ tranquillitati perniciosa consilia, Tu explorares, ille rumperet: bella surgentia Tu prævideres, ille seu victorijs frangeret in triumphum; seu mitiori studio componeret in decus pacis. Ergo aula illa habet Te inter Proceres, generis dignitate Magnum, inter diversi sermonis Provincias; toties non Polonum tantum, quoties Italis, Germanis, Gallis, Belgis, Persisq; respondes, unus ferè tot linguarum pretium, quotis Europa & Asia suos Reges alloquitur. Thesaurum verò hunc regnis tam necessarium, quàm rarum collegeras, diuturna exteri soli consuetudine, & multiformis gentium Genij usu, mores, quibus in exemplum & elogia vivitur, hausisti; recessurus ab eo, quod carpit gloriam, ad decus ijs artibus connisurus, quas laudabas, inquirendo in totius orbis ingenia: quæ, ut nobilissima non nisi flumina in mare.

rosa hac in gloriam Tuam, agere Provincia, ne inter elogia Tua domesticam etiam pingamus telam. Quod propriè Tuum est, quod Auctorem Ascesis hujus, non magis nostrum putas, quàm Tuum, quod & pretij est illius, & Tuarum altissima commendatio virtutum. Cum similitudinis argumentum est, Sancta in alio diligere; & grande optimi animi testimonium scimus, amari ab optimo.

Hoc Tu ipse, seu affectus fiducia seu gratitudinis constantia profiteris, Sacram Druzbiciani Nominis memoriam, solatiorum Tuorum fontem esse & littus aureum. Nec miramur adeò propensam optimi Patris in Te benevolentiam. Non enim arctius sol & astra suo inhærent cælo, quàm tota Domus Tua beneficijs, studio, affectu in Societatem nostram clara, pectori illius fuit intima. Et jus quoddam erat, in pios Drużbicki affectus PROSCIANÆ Domus Leonis vel ungvem esse. Tu ipse Eques laudatissime, non sine sacro quodam solatio; illius in Te narrare soles propensionem, quâ Te septennem adhuc in æterna erigebat studia, Sanctissimis firmabat monitis crescentem, ad magna animum & ut vigilantissimum pro Aris formaret SAMUELEM; ipse Te coram, perfectionis exemplar vixit, Tu discebas. Quod vel inde nobis constat, cum nihil Tibi cariùs sit, Druzbiciani spiritus memoria: nulla solidior. Te Iudice, perfectionis Christianæ eruditio, quàm quæ in animo Drużbicij nata, in moribus adolevit

Hæc tamen ipsa Christianæ vitæ doctrina, quòd posterorum religioso profectui ampliùs vivit, Tuæ gratiæ debet, quòd à calamis oculisq; paucorum domesticorum, in manus usumq; publicum venit. Et quod jam in Secundum Tomum evolvatur spiri

tus

præstantissimus quisq; sanguis ad cor caputq; suum confluunt in Italiam. Illam tu pene decennio lustraveras, & imitationis necessitate gloriosâ præscripsisti id esse, quod in Magnis amabat Roma & Orbis Id videbaris consecutus Innocentij XI. judicio, bis in Te Paternum suum animum, & colloquij beatitudine, & muneribus sanctissimis confirmante. Melitâ Heroum Patriâ plenum annum Heroicas virtutes Tuas mirante, in suam dignitatem adlegente, & Italiæ decus faciente, quod erat Poloniæ, non sine pretio Tuæ fortitudinis cum diceret, Te, Gentilitium Samsonem Leonemq; in animi robur transtulisse. Et tanta est, virtutum decorumq; Tuorum Provincia; nos symbolum fecimus, quod videntibus breve esse solet, capax verò spectantibus ultra picturam; & intelligentibus virtutis Tuæ commendationem in summis Europæ, ac Asiæ aulis integræ, inter Regum negotia, indefessæ, inter barbaros invictæ, inter præcipitia ingenia constantis, inter plausus modestæ, nec (quod aliàs solet) ipsis secundis rebus fatigatæ. Nec insolens assentatio est; privatæ praxim probitatis commendando, publicas virtutes pertexere, sed invitamur veterum exemplis, quibus didicimus, in æmulationem etiam anachoreticæ pietatis, solitam proponi innocentiam purpuratam, legimusq; complures religiosas animas demissius se abjecisse, consideratione virtutis in publico adoratæ,

Vel si quid & amplius religiosum, citra injuriam verecundiæ Tuæ licet loqui, dicemus per amplissimas Turcarum provincias Scythicam solitudinem, missiones Apostolicas, Tuo consilio cæptas, Tua promotas opera, & propè Tuo animatas zelo in pericula valido, contra commoda contumaci, in animarum cælestia lucra avaro. Prohibeor tamen plura, de ope-

rosa

tus tanti Magisterium, Tuo reddimus id favori, Tuo consilio, quo, fœminam, ingenti virtutum gloriæ viuentem, nec sexùs sui pietate contentam, in religiosorum perfectionem, suæ virtutis exempla studiumq; proferentem, Illustrissimam Regni Thesaurariam induxisti, ut illius impendio, tam utilis sanctimoniæ officina in communius commodum vulgaretur. Auctor certè novo titulo, Tibi obligabitur, superstite gratiâ; & in Te manebit gloriâ innocentiæ, quam legendo haurient, perfectionis sanctissimæ, avaræ mentes. Nos ipsi, quoties Librum hunc non jam nostrum, sed censu & gratiâ Tuum legemus, toties nobis aurea Tua occurret munificentia, toties in Societatem, in Auctorem amicissimum Tibi olim, in Collegium nostrum, Tuus affectus pleno hujus Libri margine affluet. Quare cum beneficiis animos obligas, exemplis imitationem virtutum suades, quò efficaciùs id agas, gloriæ, cui vivis, magnitudinis & fortunæ, quam mereris diuturnitatem Tibi vovet.

ILLUSTRISSIMO NOMINI TUO

Devinctissimum

Collegium Posnaniense Societ: IESU.

INDEX OPUSCULORUM.

FACUL-

FACULTAS
R. P. Visitatoris & Vice Provincialis Poloniæ.

SEcundus Tomus Opusculorum; in quo continentur Exercitia in 12. Menses: Novellus Religiosus, seu de Vita Novellorum Religiosorum: Vota Religiosa, seu Tractatus de Votis Religiosis: Mancipium Religiosum: De Soliditate virtutis in Religioso Societatis JESV: De Caritate perfectorum: à R. P. GASPARE DRUZBICKI; *Nostræ Societatis Sacerdote Conscriptus, & ab aliquot Theologis ejusdem Societatis ad revidendum deputatis lectus & probatus, concessa mihi potestate ab Admodum R. P. N. THYRSO GONZALEZ, Præposito Nostro Generali, ut imprimatur concedo: si tamen id videatur illis, ad quos pertinet. Cracoviæ 20. Maij, Anno 1691.*

IGNATIVS DIERTINS Societatis IESV.
mpp.

APPROBATIO

INcipientium, proficientium, & perfectorum, in spiritu religioso formando & instruendo, facile Princeps, Magister, & Manuductor Admodum Rendus in Christo Pater Gaspar DRVZBICKI Soc. IESV. iam aliàs sicut religiosæ perfectionis idea & exemplar consummatum, ita & tot operibus publico bono editis clarissimus; jure merito exigit ut & in hoc præclarissimo Opere suo, prodeat in lucem ad commodum & utilitatem tironum Religiosorum; ita censeo, dum Authorem, & Authoris partum veneror demissè, semper obligatissimo toti Societati affectu, & amore.

STEPHANVS MORESKI S. T. D.
Canonicus Cathedralis, & D. M. Magdalenæ Præpositus Posnaniensis, Censor Librorum Synodalis. mpp.

IN EXERCITIA TIRONUM RELIGIOSORUM,

Per Duodecim Menses distributa

PRÆFATIO



Ectè gloriosissimus Doctor Ecclesiæ, Spiritualisq; vitæ præcipuus Magister Basilius (Reg. fus. disp. Interr. 15.) *Tirones Religiosæ disciplinæ, puerulis comparat, eosq; non minùs mente, quàm istos corpore infantes vocat. Vt enim aliæ complures similitudinis hujus rationes prætermittantur, illa est non postrema: quod quemadmodum ij, quos non pridem naturæ partus in hanc lucem effudit, adeò miseri sunt atq; ab omni apud seipsos ope destituti, vt nisi Matrum, nutricum, gerularum, pædagogorumq; curâ de omnibus provideantur, inq; omnibus formentur, priùs in absurda specie moribusq; monstra, quàm in aliquos humanâ dignitate dignos Iuvenes virosvé adulturi sint: ita isti, quos à corruptæ corruptricisq; naturæ maculis ac nævis abstractos, melior Mater ac Nutrix Gratia in Religiosi Spiritualisq; Mundi lucem producit, nisi à Spiritualibus Patribus Instructoribusq; perpetuæ, ejusq; diligentis ac longinquæ industriæ lacte nutriti primùm, deinde solidiorum ciborum substantiâ roborati fuerint, priùs in monstrosa quædam sceleratorum portenta hominum, quam in probatorum Dei servorum, dignorumq; Religiosæ perfectionis ac Sanctæ Professionis Filiorum indolem, sint assurrecturi.*

Quò in genere, tantò miserabilior est conditio spiritualiũ puerorum, quàm Corporalium, quantò infelicior est monstrositas Animarum quàm Corporum, vitiositasq; morum quàm mẽbrorum. Quare si magni interest

Pro domo profess.

terest quomodo primæ pueritiæ tenella membra formentur: longè pluris sine dubio intererit quomodo primos Sacræ militiæ atq; adeò infantiæ tironum Spiritûs, conformari contigerit.

Hanc in rem, operæ pretium facturus mihi videor: si certam quandam seriem, ob oculos, quâ tironibus ipsis, quâ eorũ Instructoribus proponam: juxta quam & à seipsis, & ab Instructoribus suis, ab initio suæ conversionis, toto Tirocinij tempore conformari & instrui, atq; ad ipsam usq; perfecti in Christo viri formã, aliquatenus educari possint. Aliquatenus inquam: Nam hic neq; complector omnia: imò nõ pauca utilissima sciens prætermitto: atq; Instructori Tironum accuratè tradenda reservo: neque etiam hæc ipsa quæ hîc tracto, cum omni curâ explano: quia Tironũ capacitati servio, quos hîc non ad plenam eruditionem, sed ad aliquam praxim exercitationemq; manuduco. Quodsi alicubi etiam has metas transilio: in eo vel dignitati materiæ, vel Tironum necessitati prospicio: vel ad minimum, quid adhuc Tironibus desit, quo nam si non eniti, at saltem aspirare possint, ostendo. Secutus Apostolum, qui suis quanquam novellis discipulis perfectiorem adhuc vitam demonstrat: utq; Charismata meliora æmulentur, eosdem invitat.

Placuit hanc seriem per Menses partiri: quod tempus neq; nimis longum, neq; etiam arctum nimis credimus, ad unam quamq; seu vitiosam mentis labem abstergendam, seu meliorem Virtutis sementem Cordi inserendam, ad maturitatemq; aliquam deducendam. Dummodò & agricolæ, & ipsius agelli non desit industria: quæ cœlestis gloriæ semina, à Deo præpotenti ut plurimùm tironum mentibus infundi liberaliter solita, fovere, ad debitumq; incrementum producere, studiosè constanterq; adlaboret.

In unoquoq; Mense pluscula (quatuor aut quinq; plurimùm) proponuntur Tironi puncta, in quibus exerceat se: tum ut multitudine non obruatur, tum ut fastidio unius ejusdem soliusq; exercitij, non absterreatur. Qui capaciores videbuntur, ijs facilè erit plura ostendere: sicut & ijs qui gravari vel his quinq; credentur, non difficilè erit, unum alterumvé detrahere.


De Ordine porrò punctorum seu materiarum, etsi aliquam rationem habui incipientium proficientium & perfectiorum: nequaquam tamen eam exactam esse volui, considerans potissimùm, tironibus ea scribi. Quanquam nolim diffiteri, alijs quoq; eadem exercitia cum suâ seriè servire posse illis præsertim, qui in tepiditatem, & ex hac, in aliqua alia graviora errata lapsi esse, in ijsq; inveterasse videbuntur. Porrò, tironibus

nibus ea scripta esse non diffiteor: quos nisi fallor, ut plurimùm hâc serie deduci decet atq; oportet. Etsi habenda sit quandoq; ratio dispositionis ejus Tironis, qui peculiari ex causa, vel prolongari, vel anticipari, vel immutari, vel etiam omitti aliqua desiderabit exercitia.

Quam ad rem, duas res Instructori auxilio futuras credo præcipuè: Prima est, si Tironem ipsum in probatione cognoscere, seu ex confessione generali totius vitæ, seu ex ratione conscientiæ, seu ex colloquijs studuerit. Secunda est, si non statim hæc exercitia, etiam quæ in primo Mense proponuntur, (nisi fortè aliqua saltem) non inquam, statim ut ex prima probatione ad secundam prodierit Tironi tradere, sed aliquot per dies inter alios vivere, & se se statumq; suum & domûs ac domesticorum nonnihil condiscere permittatur. Hoc enim nisi priùs fiat, sed statim exerceri in his quæ hîc ponuntur capitibus jubeatur: ipsa Novitas vitæ, loci, temporum, occupationum, personarumq; ne quidquam proficiat, satis magno impedimento erit.

Hæc tamen omnia, sicut & alia ad hoc instituendorum Tironum negotium servientia, Prudentiæ, Experientiæ, Iudicio, & arbitrio uniuscujusq; sic permitto, ut hujus à me propositæ seriei, nullam rationem ab ullo Instructorũ haberi desiderẽ, nisi si ita ipsi è Majore Dei gloriâ, & bono eorum quos instruendos habet, in Deo Domino Nostro visum fuerit. Quam etiam ob causam, nullam hoc loco præterea rationem scripti hujus mei offerendam lectori putavi. Quoniam, si quid cuipiam in eo minùs placuerit, huic, tam ex toto, quàm ex parte, ab ejus usu, & ipsi abstinere, & alios arcere, per me penitus liberum concessumq; sit.





SYLLABVS MATERIARUM.

Quæ in Exercitiis 12. Mensium tractantur.

1. Mense, Vacandum 1. Contritioni & Dolori de Peccatis.
2. Pœnitentijs Exterioribus, & Pœnis Corporalibus.
3. Amori, æstimationi, appretiationi, Vocationis.
4. Instructionibus Tironum practicandis.
5. Oblivioni mundi, rerumq; mundanarum.

2. Mense, Vacan. 1. Pœnitentijs frequentandis.
2. Excubijs super peccata Venialia.
3. Silentij & Taciturnitatis Amori.
4. Colloquijs spiritualibus.
5. Acquiescentiæ Providentiæ circa se Divinæ.

3. Mense, Vacan: 1. Amori, æstimationi, reverentiæ Superiorum.
2. Caritati Fraternæ.
3. Vitæ ordinatæ.
4. Orationi vocali attentè recitandæ.
5. Fugæ colludendi tentationibus.

4. Mense, Vacan: 1. Intentionis rectitudini & Renovationi.
2. Fugæ censurandi facta & dicta aliena.
3. Censurationi, accusationi &c, factorum suorum.
4. Confidentiæ, manifestationi, &c, coram Patre Spirituali.
5. Fugæ familiaritatum & amicitiarum privatarum.

5. Mense, Vacan: 1. Perfectioni operum quotidianorum.
2. Custodiæ, exercitio, Amori munditiæ externæ.
3. Resignationi in Dei voluntatem.
4. Victoriæ, abnegationi, fugæ curiositatis.
5. Contemptui respectuum humanorum.

6. Men-

6. Mense, Vacan: 1. Cognitioni, Contemptui, Humiliationi sui practicæ, quotidianæ.
2. Affectibus Humiliationis practicis.
3. Humilitatis fructibus colligendis.
4. Exercitio practico humilitatis.
5. Humilitati ejusque perfectioni à Deo postulandæ.

7. Mense, Vacan. 1. Exercitio patientiæ, consectationi asperitatum &c.
2. Exercitio prudentiæ Christianæ.
3. Exercitio Timoris Divini.
4. Exercitio simplicitatis & Candoris Religiosi.
5. Exercitio Veritatis amplectendæ & confitendæ.

8. Mense, Vacan: 1. Exercitio misericordiæ & compassionis super proximum.
2. Exercitio Iustitiæ specialis.
3. Exercitio fortitudinis, Magnanimitatisque Christianæ.
4. Exercitio Temperantiæ, Abstinentiæ, Sobrietatis.
5. Exercitio Pietatis, Religionis ac vitæ spiritualis.

9. Mense, Vacan: 1. Exercitio Fidei Christianæ Theologicæ.
2, Exercitio spei Theologicæ, Fiduciæq; in Deum.
3. Exercitio postulandi, & emendicandi à Deo necessaria.
4. Exercitio Gratitudinis, Gratiarumactionis pro Beneficijs, &c.
5. Exercitio dilatationis Cordis in servitio Divino.

10. Mense, Vacan: 1 Exercitio fugiendi minima peccata, & Imperfectiones.
2. Exercitio minimas Regulas, Ordinationes, observandi.
3. Exercitio usurpationis minimarum occasionum ad profectum.
4. Exercitio minimarum Mortificationum internarum & externarum.
5. Exercitio occupandorum minimorum temporum.

11. Mense, Vacan: 1. Amori & sustinentiæ Delationum ad Superiorem.
2. Vitæ solitariæ: abstractæ, & recollectæ.
3. Paci internæ cum Deo, & omnibus.
4. Abrenuntiationi & Exspoliationi sui in omnibus.
5. Vnioni & Conformitati cum Dei voluntate eiusdemque Amori.

12. Menſe Vocan: 1. Charitati Dilectioniq; Divinæ.
2. Exercitio Zeli animarum & ſiti ſalutis proximorum.
3. Exercitio Præſentiæ Deĩ.
4 Exercitio Deum laudandi, amandi, glorificandi.
5. Exercitio ſanctæ in bono Perſeverantiæ.

Pro Concluſione, ponuntur Septemdecim Mentis & Spiritûs Exercitia Meditationi & inflammationi Cordis ſervientia.



EXER-

Domus Prof: Cracov: S. J. ad S. Barbaram



EXERCITIA
PRIMI MENSIS.

POstquam per aliquot jam dies Tiro inter alios admissus, prima Novitiatûs atq; hospitalitatis rudimenta posuisse satis videbitur: proponetur ei & ipse sibi proponet exercitia, quæ illius præsenti statui accõmodata sint, isq; illis per mensem, cum omni diligentia in Domino vacabit: reddens rationẽ singulis, vel alternis diebus (vel quam crebro videbitur necessarium) exercitationis suæ; qua scilicet diligentia, crebritate, facilitate, suavitate, profectu, contentationeq; animi, unumquodq; exerceat.

Primo vacabit Dolori de peccatis, Contritioniq; Cordis sui: ac detestationi peccatorum cordiali, amaræ, crebræ. Non quidem in specie ac particulari peccata sibi revocans, attamen in genere & in confuso ea recolens, ac detestans tanquam Summi, Optimi, Dignissimi Dei, Domini, Amatoris, Patris, Benefactoris, Redemptoris offensas, ab ingratissimo, simulq; indignissimo ac vilissimo vermiculo, audacissime & injuriosissimè commissis. Indulgebit aspirationibus affectibusq, ad dolorem testandum facientibus: qualia illa esse possent Publicani *Deus propitius esto mihi peccatori: Luc.* 18. 13. vel illa Filij prodigi, *Peccavi Pater in cœlum & coram te: non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis. Lu.* 15. 19 vel illa Davidis: *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam. Tibi soli peccavi & malum coram te feci.* (Psal. 50) *Domine ne in furore tuo arguas me.* (Psal. 37.) *Domine sacrificium tibi spiritus meus contribulatus, cor contritum & humiliatũ Deus non despicias.* Ps 50.

Hunc in finẽ proderit meditando repetere Exercitia S. Patris Ignatij de Peccatis: atque adeò solius primæ hebdomadæ. item per 2dum. orandi Modum, vel totum Psalmum 50 qui est *Miserere.* vel aliquas ejus sententias dolori concipiendo idoneas: vel formulam aliquam Contritionis perfectæ: quæ etiam condiscatur memoriter ipso usu. Ad eundem finem proderit, legere ea quæ animo imprimant odium & horrorem peccatorum omnium: uti sunt Carthusianus & Costerus de Novissimis. Lobetius de peccato. Drexelij Rogus damnatorum. &c.

Eidem exercitio serviet istud, quod statim subjungo, secundum Exercitium, dummodo priùs præmittam unum adhuc circa præsens exercitium: quod est, ut huic dolori de peccatis ex proposito concipiendo eliciendoq; habeat homo certa tempora, atq etiã spatia temporum, quibus ea omnino exerceat: ejusq, exercitij, tum sibi in Examine Consciẽtiæ quotidiano, tum Spirituali Patri rationem reddat, ut supra monui. Tempora autem erunt hæc præcipua 1. *Meditatio,* in cujus initio & fine, quin & sæpiùs, dolor de peccatis, opportunè elicietur. 2. *Sacrum,* cujus aliqua pars certa assignetur dolori de peccatis. v. g. *Confiteor*: vel dum dicitur, Nobis quoq; peccatoribus: vel paulò ante Communionem Spiritualem, quæ fiat Sacerdote Sacramentaliter communicante. 3 *Examen Conscientiæ* quodlibet. 4 *Omnis reflexio* super actam aliquam occupationem. 5. *Tempus aliquod,* quod impenditur in eundo huc illuc, de loco ad locum: vel quando visitatur Sanctissimum Sacramentum. 6 *Quandocunq;* et iam homo uel ipsemet advertit, vel ab alio notatur moneturq; peccasse: tunc semper & de commisso modo, & de omnibus unquam commissis

com missis peccatis ingenuè & ex Cordis intimo doleatur, propter summæ Dei bonitatis dignitatisq; amorem & appretiationem super omnia, cum proposito firmo nunquā peccandi &c. Atq, hæc Praxis in alijs Exercitijs servanda.

Secundo vacabit. Pœnitentijs exterioribus, pænisq; corporalibus cum consilio & concessione Patris Spiritualis: desiderans quidem quam plurimas & acerbissimas subire, & corpori infligere pœnas ac mortificationes, nullas tamen sine facultate assumendo: ne imprudenti fervore in valetudinis detrimentum incurrat: & ad multa bona majoraq;, viam sibi vel impediat, vel omninò præcludat. Offeret ergo pro suis peccatis præteritis & præsentibus omnes quidem quotidianas à Religione præscriptas actiones: (Religiosa enim vita, est natura sua vita pœnalis & status pœnitétiæ.) & potissimum afflictivas, tam quas publicè in Triclinio subibit, ut moris est omnibus, quam etiam eas quas privatim de licentia faciet.

Tertio vacabit. Amori, æstimationi, appretiationique Vocationis suæ ad Religionem: impensè, crebrò, ex corde agens Deo gratias pro hoc maximo DEI dono, infinitorum aliorum bonorum tota deinceps vitâ Religiosâ percipiendorum seminario. Invitans alios qua in cœlo Sanctos, quà in terra sodales & amicos ad agendas pro se hoc nomine Majestati Divinæ gratias. Complacebit & applaudet sibi cum humilitate de Gratia vocationis. Quam indignus eâ, quantis ex capitibus fuerit recolet: atq; exinde profusam in se Dei bonitatem agnoscet, prædicabit, amabit. Injiciet sibi solicitudinem de ea gratia excolendâ, conservandâ, fundandâ medullitus in corde. Alia præterea media huic Amori Vocationis conciliando & augēdo opportuna adhibebit Uti esse poterunt: Colloqui de Vocationis gratia. Meditari de eadem. Patris Hier. Plati, Lucæ Pinelli de Religiosi status bono Tractatus legere. Offerre actiones suas & mortificationes, tum etiam Orationes, Sacra, Communiones, in gratiarū actionem pro perseverantia in Vocatione, pro usu bono Vocationis &c.

Hic Amor Vocationis, est fundamentū omnis reliqui ædificij & laboris profectusq; Spiritualis in Religione: qui si decrescat vel effluat ex corde, succedatq, parva & frigida Vocationis appretiatio, necesse est omnia alia opera exercitiaq, quæq, levissima in difficultatulâ & occasione amaritudinis, labascere &ruinam apostasiamq, seu recessum à Deo ad seculum minitari. Proinde Amorem Vocationis suæ Tiro studebit servare semper, in se omninò inconcussum. Optabitq, sibi hanc pro omni vita consolationem ab ipso Religiosæ vitæ exordio ductam servare, quod nunquam vel minimum (teste Conscientia & Deo) in Vocationis amore, inq, perseverandi proposito titubaverit. Omnia enim alia stare facilè est, aut si fluctuent aliquo casu, commodè solidari poterunt: si Vocationis fundamentum steterit inconcussum. Usurpabitq, Tiro hunc in finem crebrò ejusmodi affectus, qui Deo protestentur amorem, gratitudinem, appretiationem, curam, solicitudinem, culturam Vocationis. v g. *Domine bonum est, O verè bonum est. O quàm bonum est nos hic esse!* Matt. 17 3.

Domine melior est dies una in atriis tuis, super millia Psal. 83. 11.

Misericordias Domini in æternum cantabo, usq, in generationem & generationem. Ps. 88 1.

Elegi abiectus esse in Domo Domini, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Ps. 83. 11.

Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Ioann 6 68.

Domine ne proiicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Psal. 50.

Benedicta sit Sanctissima Trinitas atq, indivisa unitas, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Non fecit Dominus taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestavit eis. Psal. 147. & 10.

Laqueus contritus est & nos liberati sumus. Psal. 123. 7.

Misericordia Domini quia non sumus consumpti. Psal

Nisi quia Dominus adiuvisset me paulò minùs habitasset in inferno anima mea. Ps. 123

Benedictus Deus Pater Domini mei IESV Christi, qui vocavit me in Societatem Filii sui. 1. Cor. 1. 9.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit super aquam refectionis educavit me & animam meam convertit &c. Psal. 22. 1.

Quis ego sū servus tuus, quia respexisti super canem mortuum similem mei; 2 Reg. 9 8, dicebat id David Miphiboset debilis pedibus ad mensam Regiam vocatus.

Porrò Amator & æstimator Vocationis suæ, dabit operam sedulò, ut ita Vocationem suam amet: ut hic amor non sit speculativus, sed practicus: non sit tantum in corde

vel

vel ore, ſed maximè in opere: quod fiet ſi unà cum Vocatione amabit & æſtimabit, reverebitur omnia, quæ ſunt connexa cum Vocatione: id eſt, omnia quæ invenerit ordinata, inſtituta, præcepta, recepta in Religione, obſervans ab initio ſtatim omnia & ſingula, tanquam res magni in Religione momenti: etſi non omnium rationem initiò cognoſcat: neq; ullius exemplis oppoſitis, aut tranſgreſſorijs induci ſe ad tranſgrediendum ſinat. Religioſus enim omnis non ita debet vivere ut alij fortè vivunt, ſed ut alij ex mente Religionis, ac Regulæ Superiorumq; vivere debent. Hoc eſt enim *vivere in Religione ut pauci*: quod diligenter commendat cuilibet Tironi Caſſianus. Sed huic monito, ſubſerviet etiam ſequens Exercitium.

Quartò vacabit: Inſtructionibus (quas Tirones præſcriptas habēt,) practicandis. Inſtructiones vocantur, quod Tironē hujus vitæ quam inijt rudem, ſeculari autem (quæ multum ab hac diſſonat) aſſuetū, inſtruant ſenſim & ſuaviter in moribus Religioſis, dedoceant autem conſuetudines ſæculares: Ob quod & minutæ, & multæ, & circa omnes ferè eas quæ in Domo Religioſa ſunt actiones præſcriptæ ſunt: ut in omnibus normam habeat Tiro, quam ſequatur. Quam etiam ob cauſam initio ſtatim legendæ proponuntur: & ſingulos in menſes ab omnibus, relegendo, earum memoria renovatur: ut ſic quotidianum in uſum introductæ, omnes Religionis filios in omnibus vitæ Chriſtianæ actionibus conformes, atq; per omnia ſibi mutuò ſimiles efficiant. Quocirca magni æſtimandum erit Tironi hoc exercitium, ab initioq; Vitæ Religioſæ arripiendum, & in connaturales mores cōvertendum; neq; unquam deinceps in tota vita Religioſa negligendum.

Potiſſimam autem rationem ducat Tiro Religioſus Regularum, quæ de Modeſtia à S. Patre Noſtro præſcriptæ ſunt: laboretq; in eo ſpeciali diligentia, ut ſe ijs regulis per omnia ad unguem prorſus conformem in omnibus membris membrorumq; motibus ac moribus; efficiat. Modeſtia enim exterior, una eſt ex ſingularibus proprijſq; Noſtræ Societatis hominum notis & indicijs, quibus illi primo ſtatim intuitu cognoſcuntur: & ab alijs omnibus dignoſcūtur diſcernunturquè.

Ad hujus exercitij citam & perfectam aſſecutionem, tribus potiſſimum auxilijs ex ſua parte Tiro juvari poterit. *Primum eſt* ſi magni æſtimaverit apud ſe, ſicut omnia quæ in Religione recepta invenit, ita & has (de quibus ſermo eſt) Inſtructiones, Modeſtiæquè regulas & obſervationes, omninoquè apud ſe ſtatuerit eas ediſcere uſu & praxi quotidiana. *Alterum eſt*, ſi ſe ſuper ſe ipſum reflectere quotidie ſtuduerit: advertendo nempè ad ſe frequenter, an in hac

A vel in illa occupatione quotidiana & uſitata obſervaverit inſtructiones? quas omiſerit oblivione vel neglectu, vel contemptu, vel pudore? &c. in quâ reflexione juvabitur maximè particularis Examinis ſuper hac re uſu. *Tertium eſt.* Si Inſtructorem ſuū aut quempiam alium, libenter audierit exponentem ſibi quas in ſe tranſgreſſiones Inſtructionum regularumq; notaverit: quin etiam meliùs faciet Tiro, ſi in ſimplicitate & candore ultrò ipſe exquiſierit has in ſeſe animadverſas ab Inſtructore tranſgreſſio-

B nes: ſic enim fiet ut & ſinceriùs illi omnia exponantur, & ipſe humilitatis ſanctæ exercitiô coram Deo gratior, atq; ad Dei dona recipienda capacior efficiatur.

Quintò vacabit: Oblivioni Mundi rerumq; omnium mundanarum, quas dereliquit, & à quibus receſſit: ſive eæ ſint Parentes, ſive Conſanguinei & affines: ſive familiares, & ſocij: ſive loca & habitationes, ipſa etiam quoad fieri poterit nomina atq; ſimulacra rerum, ſtudebit abſtergere ab

C animo ſuo. Sic enim citò perveniet ad puritatem cordis, & vacuitatē ab imaginibus & imaginationibus, cogitationibus, & tentationibus. Sic etiam fiet ut evagationibus animi & diſtractionibus, quàm minimùm ſit obnoxius: cum quibus lucta Tironibus potiſſimum inter Meditandum & orandum longa & difficilis eſſe ſolet. Hanc porrò oblivionem rerum prædictarum aſſequetur, ſi nec de eis cogitet, nec loquatur, nec in memoriam eas admittat: quæ ſi ſe aliquādo ſponte intrudant, eas mox deſerat, & ad alias res. cogitandas ſe illicò convertat.

D *Item aſſequetur hoc*: ſi initio ſtatim aſſueſcere ſtuduerit, cogitare de rebus ſtatui ſuo novo conſentaneis: nimirum de pijs & ſanctis, de Deo, de Chriſto, B. Virgine, Sanctis: de Virtutibus his aut alijs, de rebus quas videt, audit, legit; de ſuis exercitijs, quibus juxta præſens præſcriptum occupatur, ruminando, recogitandoq;, ita ut ſemper habeat mentem bonis, & ſanctis, utilibûſque rebus occupatam: quam diabolus nunquam otioſam inveniat, ſpatiumq; proinde nugas munda-

mundanas menti obtrudendi nunquam habeat.

Huic exercitio si ab initio statim insuescet seseq; tradet Tiro, experietur acceleratam in Anima munditiam, in conscientiâ pacem, à tentationibus immunitatem, & ab evagationibus libertatem, mundi & omnium mundanarum rerum oblivionem, cum quibus rebus multas necesse habent luctas & pugnas subire, qui in hoc exercitio non ponunt operam: Unde etiam à Patribus Spiritualibus doceri & dirigi hac in re debent Tirones, ipsiq; ab eis rationem petere, quâ possint ad hanc oblivionem devenire, & quomodo possint cor suum, memoriam, intellectum, voluntatem, imaginationemq; jugiter, utilium & sanctarum materiarum recogitatione occupare atq; etiam implere. Ad quam rem præter jam dicta juvabit, tum hæc quinque huic Mensi assignata exercitia, praxi ipsâ exercere, tum libellos ejusmodi, qui de talibus tractant legere: quales sunt, Iacobi Alvarez de Vita Religiosa. Majori Industriæ. Vitæ Sancto- A rum, potissimum eæ quæ specialiter Societatis occupationes practicè explicant, modumq; quô à Sanctis sunt exercitatæ in exemplis ostendunt, qualis est Secunda pars Vitæ B. Aloysij: Item vita P. Petri Fabri. Item tota vita Ioannis Berchmans. Item D. Bonaventuræ Speculum disciplinæ, Regula Novitiorum, Memoriale, & alia opuscula similia. Item P. Baltasaris Alvarez. &c.

EXERCITIA
SECUNDI MENSIS.

POstquam Primum Tirocinij sui Mensem novellus Dei miles, in supradictis exercitijs ita posuerit, ut non mediocrem in eis profectum fecisse videatur, ad alia Secundi Mensis exercitia gradum faciet.

Primò igitur vacabit: Pœnitentijs exterioribus frequentandis, atq; supra priorem Mensem (non sine consilio Magistri Spiritualis) augendis: potissimum autem applicabit animum ijs, quæ cum interna C mortificatione conjunctæ sunt, & à quibus se plus abhorrere metu confusionis atque pudoris, vel ob mollitiem repugnantiæ sensualis experietur: citra tamen corporeæ valetudinis detrimentum. Unde ne decipiatur fervore suo, de omnibus Spiritualem suum Patrem consulet: easq; solas factitabit pœnitentias, quas ille permiserit. Tales pœnitẽtias cẽseo: culpam suam in triclinio dicere, vel ut dicatur ab alio postulare: Emendicatô cibô potuq; in triclinio vivere: foras ad mendicandum prodire: hospitalia visitare, publicas reprehensiones suorum erratorum in recreatione flexis in medio fratrum genibûs (capitula vulgò vocant) audire, aut eandem reprehensionem in triclinio super mensam subire. Internas etiam cordis sui ineptitudines, studia & desideria frivola, passionum & judiciorum effervescen- B tias seculares permissu Superioris publicè ad se confundendum exponere. Poterit etiam aliquid addi ad flagellorum & catenulæ usum, ut crebriùs in hebdomada adhibeatur. Expedit enim plurimum ut Tirocinia talibus initijs consecrentur: ut & animus Tironi ex profectu addatur, & ipse animus fiat magis idoneus, atq; capax ad sentimenta Crucis Christi, percipienda, & fervor primigenius, cum Vocationis gratia assumptus, de cœlo conservetur, roboretur, augeaturq;.

Secundò vacabit: Indagationi & excubijs super peccata Venialia, superq; defectus suos, in quos incidit peragendo occupationes exteriores suas, atq; etiam interiores. Excubabit super peccata venialia, tum ut ea non committat facilè: D tum ut ea committere timeat, periculoq; magno Vicinum, & omnino ruinæ Spiritualis fundamentum primum sibi persuadeat. De odio ergo, & damnis & malitia peccatorum venialium meditabitur, leget, loquetur: ipsa etiam venialia ex aliquo catalogo seu indiculo cognoscet: nihilq;

hilq; magis ab animo suo repellet quàm contemptum peccatorum venialium: in quem labi Tirones facilè & crebrò sciat, ante quam hoc malum advertant, deducente eos in hanc nassam, non tantùm fraude diaboli, sed etiam ipsius propriæ conscientiæ securitate incauta: qua illa gaudens, se per gratiam Dei, perq; status & Domicilij Religiosi beneficium, procul à gravibus peccatis, imò & ab occasionibus, degere ac viuere, sensim incipit agere securiùs, & quasi certa de peccato mortali non committendo, circa leviora incautiùs agit: donec leviorum experta damnositatem serò ad ea excutienda aspiret: si tamen aliquãdo adspiret: Nam experientiâ constat frequenti, jugum peccatorum venialium admittendorũ semel susceptum rarissimè excuti plenè & in perpetuum. Proinde eligat Tiro nunquam devenire in facilitatem & contemptum venialia committendi, potiùs, quàm postmodum ægrè ab hoc contemptu facilitateq; se posse expedire.

Excubabit etiã super defectus qui quamvis peccata plerumq; non sint, vicini tamen peccatis venialibus, & fontes eorum sunt, inter quæ imperfectiones meritò recẽsentur. Ejusmodi esse solent, *Libertas & dispersio* sensuũ exteriorum, maximè oculorum, auriũ, manuum. *Libertas etiam* ac facilitas visûs: *libertas & cupiditas* cognoscendi, indagandi, inquirendi quid? quis, quare agat, dicat, vocetur? hoc vel illo occupetur? quis ille quis ibi strepitus loci, rei, forium, sit? quis advenerit, quis se moverit, quis accesserit? *Libertas quoq;* & facilitas subsistendi ubi alios contingit subsistere: videndi quid agant? Similiter otiositas mentis, quæ, (ut ait quidam,) est Mater nugarum, & noverca virtutum, *Item levitas mentis* transferentis se ab hoc objecto ad illud: ab hac re cogitanda ad aliam, ab hac volenda ad illam: *Levitas quoq; corporis* è loco ad locum, à parte ad partem, à situ ad situm, ab hujus rei aspectu, ad aspectum alterius: à tali motu ad talem motum, ab hac compositione mẽbrorum ad aliam. *Item Dilatio* occupationis de tempore in tempus: exercitij quoq; alicujus reflexionis, renovandæ intentionis. &c. *Item facilitas* judicandi ac censurandi alienos actus, motus, defectus, gestus; *Item fastidium* & tædium, in hac vel illa occupatione & lectione, in hoc. vel illo loco, in hujus vel illius associatione: super se attentione. *Ex hoc enim fastidio,* nasci solet nausea præsentium, appetitus libertatis juxta sensum suum, aspiratio ad hujus vel illius amicitiam, favorem, colloquium, congressum, viciniam, quæ omnia si rarò procedãt, si prohibeantur: nascitur tristitia, dolor, impatientia, conatus occultus in cõtrarium, ac non leves alij, ad difficultates graves molestiasq; fonticuli aperiuntur.

Accenseri his potest etiam facilitas aversionis animi à personis, à sodalibus, ab occupationibus, ab exercitijs, &c. *Apprehensio & dolor* ex proprio aliquo contemptu, aut neglectu, aut non satis ad mentem factione. Huc etiam accedit studium æmulandi, habendi, acquirendi reculas & nugulas minutas quidem illas, sed tamen nec necessarias, nec occasione turbandæ mentis vacuas: cum circa parva objecta, magni soleant esse in Tironibus affectus: parumq; intersit diaboli astutiæ: parvâue an magna re, dum modo robusto & impotenti affectu hominem capiat, detineat, & pro arbitratu ducat, reducat, perturbet & inquietet, sæpè etiam perdat, vel in perditionis periculum introducat.

Assuescat igitur Tiro talibus in se se cognoscendis imperfectionibus: easq; omnes prout in se deprehensæ fuerint ad Spiritualem Magistrum sponte & lubẽs cum magnâ simplicitate animiq; sinceritate adducat: certò certiùs sciens, nullâ se ratione faciliùs ab his expediendum, quàm hoc sui manifestandi candore, experieturq;, non rarò se ipsâ solâ talium expositione coram Superiore, lirum omninò ab ijsdem effectum esse. Et revera docet experientia nulla ferè alia de causa Tirones parum proficere. alioquin ad id paratissimos, quàm hac unâ quia se non satagunt in talibus imperfectionibus cognoscere: & quia, si eas cognoscant, tamen erubescunt, pigritantur, aut aliis aliisq; humanis ratiunculis atq; respectibûs timent, differuut, negligunt ad Spirituales Patres eas deferre: potiusq; sinunt eas in se adolescere ac roborari, & in occasionem ac segetem tum peccatorũ, tum perturbationũ, tum difficultatum, tum tentationum converti, quàm maturè, & in ipso veluti semine elidi, atq; Paternâ Spiritualium Magistrorum manu industriaq; obstetricante à visceribus animæ extrahi.

Tertiò vacabit. Silentij & taciturnitatis amori, studio, exercitationi; ita ut nisi necessitate compellente loqui audeat, idq; breviter, & non absq; concessione. Sciat & persuadeat illud sibi Apostolicum, atq; adeò Spiritus S. pronuntiatum: *Qui non refrenat linguam suam: huius vana est Religio:* (Iac: 1. 26.) Non potest enim stare

Religio cum garrulitate. Quia garritio & loquela vix unquam poteſt eſſe ſine aliquo peccato, aut ſaltem defectu, Amabit ergo Tiro ſilentium ex corde: ita ut loqui ſit ei in neceſſitate: ſilere autem in deſiderio. Neq; enim ulla citiùs faciliùs & commodiùs ratione ſiccabit in ſe ſcaturiginem aſſiduorum & variorum peccatorum quàm ſilendo: Neq; etiam ulla ratatione faciliùs & certiùs pacem animæ, puritatem cordis, fervorem ſpiritûs, devotionem mentis, viſitationes & conſolationes gratiaſq; cœleſtes obtinebit conſervabitq;, quàm ſilendo: Sicut è contra, nulla ratione citiùs hæc prædicta bona perdet. peccatorum autem aſſiduam illuviem & fæditatem numeroſam incurret quàm loquendo. Eſt enim ſilentium mors & exſtinctio peccatorum, paſſionum frenum, deſideriorum carcer: crux propriæ voluntatis, alligatio & vinculum diaboli. Eſt ſilentium Mater pacis internæ: ſedes Dei, Virtutum plantatio: devotionis & fervoris vita, Orationis Nutrix. Conſolationum & gratiarum incremẽtum. Mortificationis internæ & externæ compẽdium. Cœlum hujus vitæ. Regnum & Scutum diſciplinæ Religioſæ. Victoria tentationum. Exilium Nugarum, otij, & divagationum, triumphus de ſe ipſo ſine labore & periculo partus. Ianua contemplationis, Magiſterium benè & ſecurè loquendi. Sanctiſſimarum & Sapientiſſimarum cogitationum, imò & Sapientiæ ipſiùs ſeminarium. Hæc omnia bona ex ſilentio cuſtodito amatori illius indubiè dimanãt quæ Tiro per experientiæ propriæ Magiſterium diſcere atq; obtinere curet potiùs: quàm ut poſt vitioſæ garrulitatis damna atq; vulnera ſæpiùs ſæpiuſq; reportata, de remedio ſilentij ſerò nimis cogitet.

Ad ſilentij porrò obſervationem juvabunt potiſſimum hæc duo. Primum: Extra tempora mutuæ collocutioni aſſignata, atq; conceſſa: nunquam accedere ad alium fratrem, neq; in vicinia ejus morari: nec ad alium, vel alios alicubi conſiſtentes ſubſiſtere accedereq;, ſed tanquam ad aliquid urgens feſtines, præterire atq; abire. Secundum eſt: quid de te, deq; tua taciturnitate alij ſentiant aut loquantur ſus deq; habere. Dicant ſcrupuloſum, dicant nimiùm obſervantem, dicant timidum, dicant melancholicum, dicant tetricum ac moroſum: dicant ſolitarium, non converſativum, & ad ſocialem converſativamq; vitam non idoneum: dicant ineffabilem, inamænum, triſtem, dicant quidquid volent: Tuum ſit, hæc ſurdâ aure, animo ſuper iſta, elevato, & in Deum, diuinaq; erecto, ac in ſolius ſilentij fructuumq; ex eo manantium amore ac poſſeſſione conquieſcente, præterire. Sufficiat tibi, Deum ſemper habere collocutorem, & amicum, & confabulatorem, cum quo tantò frequentiùs & faciliùs colloquẽdi otium & commoditatem habes, quantò cum ſodalibus & creaturis plus taces. Venient tempora: quibus Homo Societatis, plus nimio neceſſitate loquendi, occaſionibus cum proximis omnibus agendi abundabit: tunc loquetur ad ſatietatem, ac fortè uſq; ad nauſeam: nunc autem dum Tirocinia Virtutis & perfectionis ponit: diſcat loqui, non loquendo, diſcat, inquam, benè, utiliter, ædificativè, ſpiritualiter, ſalutariter loqui, tacendo & ſilendo. Nam loquendo non diſcitur loqui, ſed malè, otiosè, inutiliter, peccaminosè loqui: tritum ſiquidẽ eſt proverbium Sapientum: loqui eum neſcire qui non didicit tacere. Qui ergo olim loqui benè vult: tacere diſcat, tacendo loqui diſcat. Habemus exemplum, omni exceptione majus: ipſius ſcilicet Chriſti Domini, qui fuit & Verbum & Sapientia, & tamen 30 annis ſiluit, & trienniô tãtùm locutus eſt. Imò annis 30. tacuit, ut trienniô loqueretur: Non quod ille periculum in loquendo metueret aut haberet aliquod: ſed quod nobis exemplum dare vellet, ut nos per multorum annorum arctum ſilentium præmiſſum, ad ſequentium annorum cum proximis colloquia utilia & ſalutaria erudiri vellemus ſtuderemuſque. Et certè experimento novimus: eos qui maximè quondam garruli fuêre, minimùm deinde inter proximos, ſermonibus ſuis, vel autoritatis habuiſſe, vel fructûs feciſſe.

Quartò vacabit Colloquijs de rebus ſpiritualibus, amandatis procul fabellis & hiſtorijs ſecularibus, atq; rumuſculis & novitatibus. Diſcet Tiro loqui Spiritualibus de rebus, tempore collocutioni & relaxationi animi deſtinato. Et omnibus, quidem Religioſis ea res incumbit: potiſſimum tamen Tironibus commendata eſſe debet propter quatuor.

Primò, propter oblivionem nugarum mundanarum: quam nunquam acquiret ſi in quotidianis recreationibus de eis loquẽdo loquenteſq; aùdiendo, earum memoriam renovabit: ſpecieſq; ac imagines ſecularium rerum, locorum, perſonarum, temporum, actionum, quotidie in ſua anima & imaginatione depinget. Quarum renovatio atq; depictio, aſſiduum erit diuturnumq, ſeminarium tentationum, diſtracti-

onum

onum, evagationumq; maxime inter orandum ac meditandum, à quibus se Tiro expedire nunquam poterit, nisi eas oblivione deleverit: aliarum autem rerum & specierum imaginibus & copia memoriam, mentem, phantasiamq; suam impleuerit & veluti depinxerit: ad quod opus est mundanas quidem res nunquam cogitando, loquendo, legendo, videndo recolere; Spirituales autem materias, assidua lectione, meditatione, recogitatione, colloquutione, tractatione combibere, animamq, totam ijs tingere & imbuere.

Secundò: propter conservationem & augmentum quotidiani fervoris spiritualis, cui sunt inimicissimæ collocutiones seculares: ad infrigidandum fervorem sufficit loqui etiam de rebus necessarijs: quantò magis Spiritui oberit loqui secularia, quæ sunt spirituì infrigidando planè nata. Si quando ergo loquendi licentia est, spirituali collocutioni impendatur, ut carbones mentis nostræ, isto collocutionum flatu accendantur atq; ignescant. Quod fieri semper experiuntur omnes ij, qui amandatis à Recreatione: rerum frivolarum narratiunculis, spirituales purè & candidè pertractant. Experiuntur enim se ab hujusmodi colloquijs magis calidos spiritu recedere, quàm ab ipsis Meditationibus. Experiuntur suppleri in se per talia colloquia defectus in Meditatione acceptos. E contra, experiuntur se post frivolarum rerum in Recreatione, tractationem, abire cum remorsu & inquietudine conscientiæ, dispersos & vagos & magnopere sæculari spiritu distentos, fervore & devotione vacuos: fructibus ex Meditatione & lectione perceptis destitutos & spoliatos. Quæ damna an Tironi expediant, an Deo placeant, an disciplinæ Domesticæ prosint, an non diabolicis consolationibus serviant? cuique facilè prōptèque judicare.

Tertiò, Propter contrahendam facilitatem colloquendi spiritualiter cum res fortè tulerit, vel officium postulaverit inter proximos. Ex quotidianis enim sanctè transactis colloquijs, plurima unus ab alio discit, quæ longa & multa lectione cognoscere debuisset. tum verò ipse usus loquendi, Sacrasq; materias tractandi, animo tribuit facilitatem loquendi, & à secularium materiìs indifferentibus. ad Spirituales sermones materiasq; jucundè & suaviter deflectendi. Quæ res homini Societatis ad animas tractandas convertendasq; magno solet esse adjumento, ut experientia constat.

Quartò; propter devitanda peccata plurima, quæ ex colloquijs non spiritualibus & nasci in communitate domoq; Religiosa inter fratres domesticosq; consueverunt Dum enim non loquuntur domestici Spiritualia in Recreationibus: loquuntur vana frivola, ridicula, irrisoria, sarcastica, punctiva, detractoria, censoria, contradicentia, contendentia, disputativa, suspiciosa, temeraria, falsa, iracunda, inimica: ex quo A tricæ, iræ, odia, scissiones, factiones, amaritudines. contristationes, judicia & inquisitiones, pænæ, aversiones, mendacia, testimonia, judicia varia, inquisitiones, examina, metus: inter æquales, & inter inæquales fieri necesse est: unde sæpissimè pax domestica tollitur offensæ diffidetiæ, querelæ consurgūt: quibus magnæ industriæ mederi satis nō possunt. Unica porrò de Spiritualibus rebus Colloquendi cura, nullo negotio medetur. Unde cauti Superiores Domorum Societatis id præcipuas inter curas ponunt, B ut inter suos Colloquia Spiritualia urgeant, alterius autem generis deq; rebus ut vocant indifferentibus, revera autem, multas sæpe inter domesticos differentias seminantibus, procul, aut ut plurimum exulent Hac enim unâ solaq; industria, & pacem inter domesticos tuentur: & plurima defectuum etiam non levium genera à Domibus suis emandant. Atq; hæ 4. Spiritualium colloquiorū utilitates, tales sunt, ut propter unamquamq; solam earum, colloquia Spiritualibus omnibus Religiosis commendatissima esse debeant: quantò magis, dum omnes C 4 concurrunt.

Non omittam autem duo quædam hic perstringere quæ Tironi expedit nosse. Duo sunt, quæ Tironibus difficultatem de rebus pijs loqui cupientibus parere solent. Primum est, Verecundia quædam & metus prodendæ inscitiæ suæ. Sed hoc facilè Tiro à se expediet, si recordabitur, omnes utiq scire eum Tironem & Novellum esse, cu errare nequaquam sit pudor in ejs quæ primum discere vult: ad quod etiam juvabit si Tiro non per modum narrantis & asseverantis aut docentis, sed potiùs per modum referentis audita vel per modum interrogantis, D consulētis, discereq; volentis loquatur. Secundum est, Ignoratio quibusnam de rebus loqui debeat. Secularia quidē fortè sciret narrare: at locū non habent; Spiritualium locus & voluntas est, at materia, copia, & notitia deest. At huic rei ponit remedium facilè hoc unum: si Tiro ex Meditatione, ex lectione libri quem legit, quem lectum ad Mensam audivit, ex Conferentijs aut exhortatione, adferat aliquid, & ex vicino suo amanter quærat quid hoc, quid illud sibi velit? quomodò observari possit?

 quibus

quibûs mediis, quo fructu, quæ hujus impedimenta, quæ, ſi negligatur, damna, &c. Qua de re optimum eſt à Tirone legi ea, quæ hac de Materia ſunt in Vita noſtri B Aloyſiij Gonzagæ, pariter & in vita Ioannis Berchmans; ibi enim diſcet Tiro percommodè praxim colloquia ſpiritualia ſerendi & continuandi: quo etiam facit extremum Monitorum Generalium, ubi de colloquiis talibus præcipitur: & indiculus Materiarum, de quibus ſermo fieri poſſit, texitur.

Quintò vacabit. Cognitioni, & indagationi, experientiæ, amori, & acquieſcentiæ Providentiæ Dei circa ſe quotidianæ, imò perpetuæ, in rebus etiam minimis. Maximorum & plurimorum bonorum Spiritualium, hoc eſt, fundamentum Tironi, ſi Divinæ Providentiæ circa ſe ordinem, vigilantiam, curam, ſuavitatem aſſiduitatem diſpicere atque odorari & venari poterit & aſſueverit Fruetur imperturbabili pace in omnibus rebus: agnoſcet, & manu palpabit Dei curam ſibi ſemper adeſſe: oculis penè videbit Deum omnia agere circa ſe atquè ordinare, & ſemper in ſuum bonum commodum ſecuritatem profectum, à malis certis & gravibus eliberationem, moleſtiarum à ſe averſionem, à lapſibus & periculis præſervationem convertere atq, procurare. Experietur non tantùm votis ſuis quæ alioquin habet, ſed etiam quæ haberet ſi circumſtantias noſſet, Deum amantiſſimè obſequi & radices deſideriorum ſuorum dignantiſſimè adimplere. Explicari hoc bonum, atq; exercitium non poteſt paucis: & meliùs experimentò diſcitur: Qua in re utinam Tirones, quin & omnes omninò perfectionis ſectatores, ſed tamē maximè Tirones & poſſint habere, & velint audire Inſtructores. Longè illis ſuaviùs tranſirent rudimenta Vitæ Religioſæ: non tam ſæpè nec tam graviter, imò nunquam prorſus ceſpitarent prolaberenturq; in via & vita Spirituali: neſcirent quid ſit amaritudo mentis: non paterentur umbroſitates: ſuſpiciones, diffidentiaſquè, non noſſent excuſationes, recuſationes, repugnantias, tædia, triſtitias in ſuperiorum circa ſe ordinationibus & diſpoſitionibus. Non eſſent ſoliciti de futuris, non triſtes de præſentibus, non amari præteritis adverſitatibus: Nulla experirētur adverſa, ſed omnia ſentirent palparentque eſſe ſibi proſpera: Deo omnia moderante & temperante, ex qualicunq; tandem alicujus hominis voluntate ac intentione proficiſcerentur.

Aſſueſcat ergo Tiro in Tirocinio ſuo omnes eventus à Deo providente ſibi ordinatos agnoſcere, credere acceptare. Quiſquis ſocius ad deambulandum, ad colloquendum, ad collaborandum, ad aſſidendum aſſignatus obtigerit: quiſquis in communi hipocauſto vel dormitorio, vel Refectorio, vel Recreatione locus evenerit. quodcunq; officium aſſignatum, quæcunq, veſtis, pallium, pileus, liber, res ſubminiſtrata fuerit: quidquid prohibitum, imperatum, negatum, conceſſum injunctum, oblatum, ablatum, ordinatum, immutatum fuerit: totum hoc Dei providentiæ futurum committat, factum adſcribat, & ſuo id bono actum certiſſimo credat & ſciat.

Neque ſolum ſua, ſed etiam cujuſcunq, alteriꝰ loci, rei, & perſonæ, negotij, temporis, circumſtantiæ eventa ſeriemq, omnem à Deo proficiſci debere atq; ordinari, à Deo profecta & ordinata eſſe & in bonum imò in optimum, certò perſuaſum habeat. Inſtat tempus mutandorum officiorum: nullum Tiro timeat, nullum cupiat ſibi: ſed relinquat Deo curam hanc, dicens: Dominus providebit: Dominus regit me: Pater, fiat voluntas tua. Sapientior eſt, melior eſt, Amantior mei eſt, Potentior eſt Deus quam vel ego, vel ulla creatura: illi credo, illi cōmitto, illi permitto me, meaq, omnia, omnes meos, omnia omnium creaturarum cogitata, ſtatuta, eventa, diſponenda & temperanda. Ille faciat, ille ordinet, ille curet, ille ſolicitus ſit. Ille me, ille omnes, ille omnia regat, ille regit, ipſe me enutriet Talem ſpiritum, talem fiduciam in Dei providentiam naturalis ratio docet, ſed fides magis comprobat præ omnibus tamen ſuaviſſimè experientia crebrò cognita edocet. Hanc experientiam frequenti reflexione Tiro condiſcere ſtudeat, & inueniet multā requiem, inveniet tanquam fluvium eſſe pacem ſuam

Ab hoc experimento diſcet Reſignationem, indifferentiam, fiduciam in Deum. Spem erectam etiam contra ſpem, devotionem, Charitatem, ſecuritatem de Deo, Orationem efficacem & omnia potentem; quibus nihil utiliùs hominibus, nihil majus ſpecioſiùſq; coram Deo in Spirituali vita Hoc providentiæ Divinæ experimentum, hic ejus guſtus, eſt prima merces Religioſorum, eſt dos renuntiātium mundo & ſeculo & ſibi: eſt Reditus ejus hæreditatis, quàm Religioſi, pro relictis omnibus quæ habebant accipiunt à Deo: eſt centuplum promiſſum & ſimul præſtitum, ijs qui omnia propter Deum abijciunt: Eſt Nutrix & Ma-

ter cui Deus nutriendos tradit avulsos ab uberibus & ablactatos à lacte concupiscentiæ carnis & oculorum, & superbiæ vitæ, & voluntatis propriæ Hanc providentiam debet Deus ex fidelitate atq; pacto suo quod, cum Religionem ineuntibus init & statuit, si modo illi pro sua parte eà contenti esse ex animo velint. Hanc providentiam exigunt a Deo Vota tria Paupertatis, Castitatis, Obedientiæ, quæ Religiosi primum in præparatione & desiderio, ut Novitij, deinde in facto & re ipsa nuncupãt: ut peracto Novitiatu omnes. Hujus providentiæ administri executores, dispensatores sunt Regulæ Religionis, sed maximè superiores, apud quos penu & clavis & dispensatio hujus Providentiæ residet in omnium eorum bonum, qui se Deo non tantùm statu aut votis, sed etiam fiducia & facilitate atq; resignatione & secura contentatione credunt.

Nulla res vitam Religiosam reddit suavem: certam, securam delicatam, sine fastidio, sine fatigatione, sine labore, nisi hæc providentia Dei experimento comperta, gustata, possessa, quod experimentum ex A parte facti & rei, a Deo quidem pendet, sed est infallibile, quia Deus fidelis est, & fallere pactumq; suũ prævaricari non potest: ex parte tamen gustûs & perceptionis atq; delectationis, pendet à Religiosi ipsius consideratione, reflexione, amore, fiducia, acquiescentia & contentatione. Sicut ad saporem & cibus & sumens cibũ concurrere debent: ita ad Providentiæ Dei experimentum, & Deus eam exhibens Re- B ligioso, & Religiosus eam à Deo percipiens, percipereq; se agnoscens, convenire necesse habeant. Deus in exhibendo deficere nunquam potest ob fidelitatem. Religiosus in exhibitionis cognoscente & acquiescentè perceptione, nunquam deficiat per constantem in Deum fiduciam.

EXERCITIA
TERTII MENSIS.



IAm in Mense tertio novellus militiæ Religiosæ candidatus.

Primò vacabit, Superiorum suorum amori, æstimationi, venerationi: cujus exercitij nucleum in eo collocabit, ut discat in Superioribus suis Deum agnoscere, & in persona humana Christum latentem præsidentemq; intueri; atque id non in majoribus solùm Superioribus, sed etiam in officialibus subordinatis, & derivatam ad imperandum potestatem aliquantulùm habentibus, nullò prorsus, quoad amorem & obedientiæ promptitudinem discrimine. Assuescet itaq; Tiro magni æstimare & revereri viceManuductoris, Manuductoris, Instructoris sui, illius quoq; Fratris, qui in aliquo officio sibi cum ipso injuncto primas partes habet, v.g. prioris lectoris, prioris credentiarij, prioris in culinæ obsequijs, in deambulatione aliqua, in officina. Ab his omnibus quæcũq; fuerint acceptabit imperia, voluntates, directionesq; ipsorum prorsus ac si ipsi primarij Superiores essent, dummodò illi ultra suam sphæram seu facultatem, aut aliquid peccato obnoxium non imperent.

Hisce autem imperijs parebit, ex persuasione illa apud se omnino firma: Deum esse prorsus qui imperet. Deo se pariturum vel non pariturum, si obsecutus vel C non obsecutus fuerit.

Quo in passu, tantò plus perficiet, quantò majore cum candore atq; simplicitate mentis progredi studuerit, quanto, inquam, sinceriore mentis suæ affectione obedire propter Deum omnibus, agnoscereq; & intueri Deum in omnibus qualitercumq; Superioribus studuerit. Imò verò, sic apud se statuat, quàm firmissimè semper majori prõptitudine subordinatis ac minoribus Superioribus obedire, quàm alijs eminentioribus: ut pateat non eum aliqua alia quàm D Dei solius authoritate apprehensa in Superiore ad obediẽdi promptitudinem impelli, hæc enim ratio magis elucescit in obediendo minoribus quàm altioribus Superioribus: quippe ad obediendum prompte supre-

mis

mis Superioribus, humanæ rationes nos permovere facile possunt, sicut & in promptu sunt: ad obediendum verò cum humili alacritate Minoribus Officialibus, nisi nos solius Dei intuitus amorq; traxerit. non facilè aliquid aliud quod trahat apparebit. Quocirca certiùs est obedienti, perfectæ & veræ obedientiæ signum, obedire parvis quàm magnis Superioribus: sicuti etiam obedire in minutis & parui momenti rebus rerumque circumstantijs, quam in serijs & ponderosis graviterq; valde imperatis occupationibus. sicut etiam obedire ad minimũ voluntatis nutum vel signum, quàm obedire post acceptum expressum imperium. Sicuti deniq; obedire ad imperium solum & nudum, etiam durum, quam obedire ei qui molliter imperet, & magis oranti quàm jubenti suadentiq; & pro amicitia desideranti similis aliquid injungat, & non simpliciter ac nudè potestate utatur.

Secundò vacabit. Charitati fraternæ: eamq; exercebit amando & æstimando unumquemq; fratrum fraterno affectu: ita ut verè & re illi quilibet charissimus sit, prout compellatione vocis est. Exercebit eandem charitatem, quemlibet fratrum honore, obsequioq; præveniendo, sicut superiorem suum reputando, Christum in quolibet agnoscendo ac venerando: Deum in quolibet elucescentem eminentemq; intuendo, de ejus bonis ac donis non minus quàm de suis proprijs gaudendo, gratulando, Deumq; laudando: de malis cujusq; successibus ex animo dolendo, compatiendo, subveniendo. Deum pro eorum quolibet exorando. Supportando invicem mores & morositates, atq; imperfectiones: & onera mutua. Cuilibet potiores, priores, meliores partes concedendo Indigenti & infirmitatem patienti ministrando, injurias facilè condonando, & quasi non injuriæ essent sic tacitè transmittendo: obloqui vitando, & obloquentibus, fratremq; irridentibus, vel deprimentibus aurem auxiliumq; non dando, bonum potius nomen alienum modestè & cum charitate omnium conservando. Unô verbô sic vivere Tyro discat in communitate Religiosa atq; domo, ut nemini gravis, omnibus gratus sit, esse saltẽ mereatur: ut toto tempore quo cum aliquibus unà vivit, neminem offendat; non verbô, non factô non signô. Id quod assequetur, tum supradictis operibus charitatis, tum si eligat potius ferre quàm inferre injuriam, si assuescat non vinci à malo, sed vincere in bono malum, si non malum pro malo reddat: si non se vindicet de alio, nec vindicari optet aut curet ab alio, si injuriatorem vel contemptorem, vel ingratum, vel neglectorem, vel obtrectatorem suum, hoc ipso nomine sinceriùs, ampliùs, teneriùs, constantiùs, amet, laudet, beneficijs cumulet. Hic est enim Spiritus
A Christi, quem qui non habet hic non est ejus. Neq; enim quid sit esse mitem & mansuetum & humilem corde, didicit ab ipso in schola ejus.

Hæc autem oportet à Tironibus initiò statim vel ediscì, vel saltem ad ediscendum assumi & præsentari: ut tanquam generosi Aquilæ pulli Spiritum germanum Christi in ipso Tirocinij nidulo ediscant gustare, audeantq; prodire, & specimina ad IESU Christi mansuetudinem Charitatemq; imitandam natæ indolis maturè ostendere.
B Quod nisi fiat ab initio, certi sint Tirones nunquam ab eis futurum. Non mirabuntur autem Tirones eam à se Reverentiam & exercitationem fraternæ charitatis in ipso Tirocinio exigi, si cognoverint Beatũ Basilium velle ut quisq; in Religione sic se gerat, ac si esset omnium domesticorum suorum mancipium, admissum ad aliorum convictum, ex pura eorũ super se miseratione. Quod ipsum & Cassianus tradit solitum fuisse ab Antiquis illis Religiosis Patribus inculcari Tironibus, quos ad cõmunẽ aliorum convictum admittebant. Quo spi-
C ritu si Tirones persuasi atq; imbuti sint: non erit illis difficilè omnium aliorum fratrum charitatem venerationem, observantiamq; persuadere. Quomodo enim mancipia domestica filios Dominorum suorum venerentur & observent; facilè est cuilibet cognoscere. atq; ab his exemplum sibi desumere.

Tertiò vacabit. Vitæ ordinatæ: cujus quidẽ multæ sunt partes: sed interim
D eam Tiro assumet atq; observare diligenter assuescet, quam à Religiosa domo præscribi atq; per disciplinam domesticam ab omnibus & à se exigi invenerit. Ea propter 1. totam seriem actionum omnibus præscriptarum cognoscet; ut sciat, quid tota die à mane ad vesperam, à prima surrectione, usque ad ultimam obdormitionem factitandum sit. 2. Discet quantùm cuiq; actioni præscriptæ temporis sit concessum & assignatum, ut unicuiq; illud impendat: neq; pro suo placito tempus vel protrahat, vel anticipet, vel differat. Quamvis enim in

quibus-

quibusdam actionibus aliquid horum interdum fieri pro arbitrio possit. Tiro tamen id sibi non permittet, nisi didicerit à bene rerum Religiosarum peritis, qui docere possint quid in quaquè actione fieri per tempus & cum tempore liceat. 3 Discet punctualiter servare tempora, & sese ab actione una ad aliam in puncto temporis transferre: quantum prudentia & obedientia id exiget atquè sinet.

De alijs partibus Ordinatæ Vitæ, alijs in Mensibus Tironi præscribetur exercitatio, quæ sicut perfectior, ita etiam difficilior erit: & hanc de qua hic tradidimus præsupponet, proinde hanc bonum erit, primam & solam a Tirone edisci & in usum suum quotidiana diligenti observatione converti. Obiter tantum adjungo, hanc ordinatam vitam esse præcipuam Religiosæ disciplinæ partem: nec non Religiosi boni perfectionisq; cupidi virtutem, ab ea pendere plerasquè Virtutes Religiosas: potissimum Obedientiam, Indifferentiam, Humilitatem, Voluntatis & judicij & affectuum abnegationem: Vitæ communis observationem, quæ omnes in Religioso statu & homine primas tenent. Non ergo parvi faciet Tiro exercitium hoc sed potiùs tanquam rem magni in sua professione Vocationeq; momenti & ornamenti æstimans, in ejus executione accuratus erit. Habens semper ob oculos mentis & in memoria Deum & Sanctissimam ejus voluntatem omninò esse, quæ præcipiat actionem tempusq; actionis, quæ ad illam vocet, ab hac autem avocet, sive signo, sive verbo, sive alio modo, & veluti ad aurem cordis dicat: Hoc age, vel, Venit hora, vel, Fili observa tempus: Omnia tempus habent &c. Religiosus autem respondeat, Ecce ego Domine, quia vocasti me. Pater noster, fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Ita Pater: quoniam sic placitum est ante te &c. Qui sic discit in Religione vivere: non potest Deo non placere.

Quartò vacabit: Orationi vocali attentè faciendæ. Causam assignandi hujus Exercitij hanc habeo. Ordinariè Tirones ad Religionem veniunt plus assueti vocalibus Orationibus quàm Mentalibus, harum enim sæpè etiam ipsum nomen ignorant, nedum naturam: Vocalibus porrò memorias habent imbutas etiam plurimis. Unde etiam fit, ut initio Tirocinij sui promptiores sint ad usum vocalium orationum, utpote quarum habent usum & ex usu facilitatem. Progressu autem temporis ab hoc ipso usu & facilitate patiuntur difficultatem: postquam non cognoscunt requiri ad Orationem quamlibet, ut devotè & attentè fiat, idq; illi servare inter orandum volunt: mox in attentione experiuntur difficultatem, eò quòd facilè evagentur in orando, & quamvis ore ac lingua promptè orent, mente tamen varia interim cogi- A tant, & attenti ad ea, quæ lingua loquuntur, non sunt. Inde labor in attentione, inde molestia, tristitia, perplexitas, scrupuli, sæpè etiam intermissio ac fastidium Orationũ.

Ab his ergo malis, ab hoc labore, ab hac difficultate ut Tiro se expediat, exercebit se in Oratione Vocali attentè recitanda. Nequè nunc plus ab eo requiro, nisi ut attentionem discat, nam devotio, intentio, & alia faciliora erunt: ubi attentioni se se assuefecerit. Quod ut assequatur, servabit hæc quæ sequuntur pauca documenta.

B Primò, & primam diligentiam ponet in eo ut Orationes vocales, eas maximè quas usitatissimas habet, quàm minimùm ex usu recitet: sed ita eas recitabit, ac si eas modò primum edisceret: Non eas ex memoria sensibili, & phantasiæ suggestione, sed ex memoria rationali, ex reflexiva advertentia promptas dicet.

Secundò, ad hoc proderit statutum apud se habere, non multas orationes recitare, sed potiùs paucas, verum benè & attentè & cum advertentia ad dicenda, & ad ea quæ dicuntur ore, ita ut non priùs os illa pronunciet, C quàm advertentia suggerat, neq; pronuncientur à lingua nisi simul (vel etiam præviè) à mente discernantur. Dum enim multas preces orare propositum habemus, in ijs festinare (præsertim in temporis penuria) solemus: festinatio autem inimica est attentioni simulq; devotioni. Unde etiam Dominus monet, *Orantes, nolite multùm loqui.* Matth. 6. 7.

Una enim Oratio Dominica attentè recitata, prævalet pluribus distractè fusis, nequè Pater cœlestis eget nostrorum multitudine verborum, sed delectatur instantia & assiduitate rationalium supplicatione sub- D missioneque mentium. Quocirca etiam Oratio est Rationis & Voluntatis supplicis actio: ideoquè in Oratione bona non verbis, sed corde, nec lingua, sed mente opus est. Mens porrò non est, quæ sibi ipsi præsens non est. Multa ergò mente, non multa voce in Oratione cum Deo agendum est. In quo valdè se falli agnoscant illi, qui parum soliciti sunt, quomodo orent, hoc tantum curant, ut plurimas

sibi solitas vel placitas orationes vocaliter decurrant. Qui præter jacturam temporis & laboris quam ferè faciunt: etiam à Deo non audiuntur: quippè qui neq; seipsos audiunt Certè siquis hominum,etiam alioqui amicorum,cum talibus Orationibus, cum eadem volubilitate linguæ,alienatione verò inattentæ animæ loqueretur, citissimè se illis onerosum fabulatorem redderet: quo tamen supplicandi ritu ipsi Deo suo se gratos esse, amabileq; obsequium præstare credunt Iterum ergo dico prodesse multum ut quis in negotio orationis vocalis proficere cupiens,multum oret, non multis: Non multas orationes agglomeret, sed paucas bonas cum reverentia & attẽtione mentis, Deo supplex fundat. *Ad quod rursum.*

Tertiò, valde juvabit Orationes quaslibet, etiam sibi notissimas usitatissimasq; recitare non tanquam notas usitatasq; sed tanquam modò primum ex plenitudine instantiaq; fæcundæ & facundæ mentis à se formatas coram Deo proferat, orationes enim quas ipsi nunc primum formatas ex ardore cordis fundimus, absque attentione insigni mentis vix proferre possumus. Sicut è contra quas ex usu longo perceptas, vel ex libello lectas promimus, in eis facilè mente vagamur: quia de proferendo soliciti, ibi quidem ad singula mentem advertimus, hic verò, quia advertentia ista non egemus, facilè ad alia diffluimus.

Quartò; juvabit ad attentionem in oratione vocali, omnem sensuum distractionem, distractionisq; occasionem declinare Quæ diligentia maximè oculis & auribus est adhibenda. Nam si inter orandum quolibet oculos flectimus, tot evagationum ansas illico habemus, quot res variæ sunt in quas oculos conijcimus; quod ipsum & de auribus (licet non ea sit hujus sensûs efficacia quæ oculorum) experimur Eam ob rem demissis vel defixis unum in locum oculis orandum est ei, qui in orando,ab oculis in diversas distractiones rapi nolit. Bonum est etiam oculis ea quæ oramus legere, legẽdo, oculos, cumq; oculis mentem in attentionis officio continere.

Quintò; juvabit tempus Orationis, vel ipsam actionem potiùs Orationis tenerè, amare, maximiq; facere: ita ut cupiat Tiro Orationis tempus quàm primum venire, quàm tardissimè effluere, ipsaq; Oratione nunquam satiari: quod quidem Deum amãtibus sincerè, atq; per hoc conversationem, colloquium, convictumq;, cum Deo ambientibus famelicè, non est arduum vel persuadere vel experiri. Ab hac porrò fame & dilectione orandi fiet, ut minimè in oratione festinetur, minimè tædium sentiatur, minimè ad finem respiciatur sed potiùs omne orandi tempus breve videbitur. Id quod usu tenendum est tam in Vocali quã in mentali Oratione Estq; signum indubitatũ tepidi Oratoris,vel tepidæ orationis, qui inter orandum stimulos festinationis & ad finem prospectationis experitur. Et
A enim tepidè amantis amicum est, qui ad colloquium venientem illum citò à se expedire in animo proponit. Veri & vere amici, finem confabulationis non habent, etiamsi horas horis diesq; noctibus jungãt.

Quæret autem aliquis: quomodo non sit breviter & festinè orandum, quando orationis est tempus omninò abbreviatum? Ad quod respondeo: Si tempus in nostra potestate est, illud prolongandum esse: si non est, tantùm in eo quantum commodè illud patitur orandum est, Neq; tamen in eo festinabit, qui multum non multis orare
B propositum & usitatum habebit. Addo si omninò tempus breve est: Oratio ipsa quæ illo tempore fit, tantò ferventiùs atq; attentiùs quanto breviùs facienda est: sicq, Oratio etsi tempore brevissima, fervore tamen & efficacia sua erit longissima.

Adhuc autem aliquis quærat: Quomodo non sit multa vocali oratione utendum: quando vel Rosarium B. Virgini, vel Psalmi Pœnitentiales, vel Horæ Canonicæ, vel Officium B V. vel Officium Defunctorum, vel aliquæ aliæ Orationes longiores voce persolvendæ incumbunt?

C Respondeo, hujusmodi preces etiam esse ita absolvendas ut sunt ordinatæ, in ijs tamen servandum, & ut non festinetur, & ut attentè oretur. Multa autem in his non dicentur, quando ea quæ dicenda sunt dicẽtur, dummodo prout sunt dicenda, attentè devotèq; dicantur In talibus porrò longioribus Orationibus vocalibus: prodest per intervalla excitare seu attentionem, seu fervorem, seu reverentiam: puta post Psalmos singulos, post decades singulas: sic enim
D Oratio longa brevis erit, & omnia requisita habebit.

Præterea quæret aliquis in quo consistat, & qualis debeat esse attentio in Oratione Vocali? qua de re ita brevissimè respondeo.

Attentio in Oratione potest esse multiplex. Prima est, in quâ integritati vocum pronunciandarum attẽditur: ut non brevientur, præcidantur, absorbeanturquè.

Secunda est, in quâ sensui verborum at-

tenditur: & hæc est eorum qui intelligunt quod dicunt: nam illa prima esse potest eorum qui tantum legere, non autem intelligere possunt quod recitant.

Tertia est, in quâ non tantum attenditur integritati & sensui verborum, sed etiam pius aliquis affectus exercetur in Deum qui oratur, sive ille affectus sit unus, sive non unus, sed modo unus, modò alius. Itē sive ille affectus lateat in Oratione verbisq; ac sententijs ejus, sive non lateat, sed ex abundātia, vel ex indigentia orantis, Dominiq; largiētis desumatur. v. g. Si recitando Coronam B. V. vel Psalmos, dejicias interea cor tuum in profundam tui humiliationem coram Deo, vel accendas in ignitam Dei charitatem, vel prosternas coram Deo, pro impetranda aliquâ gratia, tentationisve victoria, vel effundas in laudes, in adorationes, in admirationes Divinæ Majestatis, bonitatis, Dignitatis, Pulchritudinis, Dulcedinis, Miserationis, immensitatis, Iustitiæ &c. quod attentionis genus optimum & præcipuum est, esto aliquando impediatûr per eam attentio ad sensum integritatemq, verborū, modò ne ipsa prolatio integritasq, impediatur: sed potiùs inter illos affectus, sensus, expleatur. Ut autem hæc omnia fusius quidem quàm præsentis tractatus ratio exigebat, Tironum tamen necessitas exposcebat dicta sunt, commodiùs à Tirone exsecutioni mandari possint, & cum suavitate majori ejus labor superari.

Sextò, Iuvabitur magnopere Tiro, si quotiescunque ad orandum (mentaliter aut vocaliter) se conferre voluerit, & quotiescunq; orationi se dederit, non quærat alibi Deum sed intra se, in se, coram se, illum inveniat, præsentemq; imò præsentiorem quàm se sibi agnoscat & intueatur, & tanquam cum tali agat, oret, loquatur, versetur, moretur. Revera enim Regnum Dei & ipse Deus, intra nos est, Cœlum, in quo alloquimur Patrem dicentes, Pater Noster qui es in cœlis, Nos sumus, ibi ergo illum adeamus & ibi alloquamur; ibi ab eo nunquam recedamus sicut & ille nunquam recedit inde.

7 Ad extremum sciendum est, aliud esse attendere ad Orationem, & aliud attendere ad ipsam Attentionem; passim in hoc errant & impingūt, qui inattentè orando patiūtur laborem, attēdunt enim ad hoc utrum attentè orent, & interim non advertunt (quia nec possunt) ad orationem ipsam neq; ad id quod orantes dicunt, ipsa attentione impediti, sed attentione non ad orationem, verùm ad attentionem. Ridiculus scopulus: sed tamen seminarium scrupulorum in hac materia ex eo ferè consurgit: omnesq; hic impingunt, qui in orando attentè laborant. Hæc sint satis interea: quæ Tironem non tantum ad Orationem vocalē sed etiā, ad omne Mentalis Orationis genus & gradum, ad omnem quoq; Virtutis & perfectionis partē juvabunt, à plurimis autem, & alias inextricabilibus molestijs Tironem in vitæ Spiritualis non tantum A initijs, sed etiam progressibus promovebunt.

Quintò vacabit: Fugæ colloquendi, colludendiq; cum tentationibus & suggestionibus diabolicis, carnalibus mundanis, tristitiæ, iracundiæ, amaritudinis, suspicionis, umbrositatis, ineptæ lætitiæ, sensualitatis, superfluitatis, alijsq; similibus. Voco autem colloquia & collusionem cum tētationibus, omnem moram & reflexionem B cum ijsdem, advertentiam & audientiam earum: quæ res etsi non in omni tentationum genere videtur esse periculosa: in veritate tamen loquendo in omnibus est periculosa, etsi in alijs minus in alijs ampliùs propter materiæ diversitatem, propter naturæ nostræ communis, aut etiā individuæ cujusquè ad quasdam peccatorum materias pronitatem; habilitatemquè. Universaliter tamen loquēdo, simpliciter expedit ab omni omninò tentatione quàm primùm oculos mentis avertere, nec ad eam velut auscultādo, & quid sibi velit inquirendo advertere. C Si enim hoc fiat, in primo limine ac nullo negotio, omnis tentationis vis extinguitur: nec in incendium scintilla crescere finitur: quod si non fiat, parvus ignis, maximam sylvam incendit. Hoc sibi certè voluit Sapiens in illo consilio. Tanquam à facie colubri fuge peccatum, quis enim unquā occurrentem habens colubrum, non illico vestigium retorsit? quis scintillam in manus, vel vestem insilientem morari permisit, neq; quamprimum excussit aut oppressit? Ita omninò cum omni tentatione D procedendū, cum omni inquam, cujuscūq; materiæ sit, cum omni quoq; cujuscunquè violentiæ, impressionis & importunitatis sit. Imò quantò est importunior tentatio: tantò minùs curanda & attendenda est, sed surda mentis aure atq; ad aliquid aliud disparatum conversa attentione excludenda deserendaq;, nec quid sibi velit aut sonet attendenda. Eo modo quò Muscas advolantes ad nos, contenti sumus modico

motu manus repellere, neq; quonam illæ se volvendo conferant, laboramus advertere, vel quomodo nobis curru equove pergentibus, canes hinc inde egressos præterimus, neq; eorum abigendorum causa subsistimus curru equové descendimus, sed *ijs* spretis latratu illorum neglecto, viam nostram pergimus: canesq; latratu fessos nullo alio operæ pretio reportato, redire ad sua loca facimus. Quod nisi faceremus præterquam quod moram faceremus, viæ, stultitiæque ab omnibus argueremur, insuper non tantum à canibus nos, non expediremus, sed potiùs eorum nos morsibus, latratibus, importunitatiq; obijceremus, non absq; nostro quà damno, quà periculo. Credat Tiro his quæ hic proponuntur: nec velit suo damno periculoq; discere utilitatem: sed ab initio vitæ spiritualis condiscat nunquam cum tentatiobus quocunq; prætextu morari. Loquor *quocunquè prætextu* quia non rarò quidam hoc protextu cum eis morantur, ut eas scilicet postmodum cognitas repellant, sed hi sciant non meliùs repelli eas, quàm cum surda aure prætereuntur, quàm cum neq; subsistere sinuntur, quàm cum nec responso, nec aspectu dignantur, sed mente aliò conversa, in sese consenescere evanescereq, coguntur.

Sanctus Gregorius Magnus eam ratione conterendi contemnendiq; tentationes magnæ perfectionis esse & aditũ & culmẽ censet, dicit enim. *(Quidam in tantum culmen perfectionis proficiunt, ut ab eis quidquid à carne quidquid à mente ingeritur leviter superetur, dum convenire in pugnam non sinitur)* lib: 5. in c. 11. Regum libri 1. Et revera nihil æquè diabolum, malè torquet, quàm sic expediri, ut nec unius momenti advertentiam ipsiùs ineptijs & fabulis quocunq; prætextu boni velatis contingat concedi. Hoc etiam monuit inter alios Magistros Spiritualis S Bonaventura in spec: discipl: Novit. p 1. c. 2. n. 2. dicens. *Tentationum & cogitationum malarum viriliter principijs & absq; moræ dispendio est obstandam.* Idemq, alio loco fusiùs (de profectu Religiosorum 15. tradit) *Statim cum sentit Religiosus, se aliquo mali interiùs pulsari. vel exteriùs occupari: scilicet ab otiosis verbis, à iocis, ab actionibus infructuosis, & maximè à cogitationibus vanis, & affectionibus vitiosis, & carnalibus concupiscentiis: quæ nec ad horam debemus in corde permittere morari: ne offendamus Deum, & Sanctos Angelos præsentes, & conscientiam sordidemus, & pœnam mereamur, & bona quæ possemus cogitare & agere interim negligamus.* Ex quibus Sancti Doctoris verbis discimus.

1. non tantum cum diabolicis seu à diabolo immissis sed etiam cum carnis & mundi tentationibus, nec tantum suggestis, sed etiam exteriùs aliquomodo inchoatis, sic procedendum esse, ut nulla mora in eis ponatur, sed statim præscindatur & cessetur.

2. Moræ hujus damna esse non modica nec pauca, si forte cum tentationibus fiat. Nam & Deus & Angeli præsentes offendun-
A tur, & conscientia fædatur, & pœnæ reatus incurritur, & bonis cogitandis agendisq, tempus aufertur, ipsaq; bona negliguntur.

3. Scopum inimici nostri in talibus suggestionibus non semper esse crassum illum ut nos in peccatum impellat: hunc enim ille sæpè in bonis mentibus magis optat quam sperat. Sed in lucro etiam magno apud se ponit: si nos sordibus suis maculet, si memoriam & imaginationem ineptis obiectis pingat, eaq; menti imprimat, si tempus melioribus curis auferat, si inquietum hominem reddat, si contristet, si perplexum faci-
B at. A quibus omnibus diabolus excidit, si absq; mora, & colloquio cum ipso, quis à tentationibus ejus, ad alia disparata illico se convertit, & suis attendit.

Sit ergò hæc res Tironibus magnopere commendata: incredibilem enim in via spirituali ab hac una arte & doctrina consequentur, & facilitatem, & quietem, & securitatem, & à tentationibus immunitatẽ. Neq; enim unquam sibi experientur molestas esse tentationes ullas, nisi quando per injuriam, vel per inscitiam ad colloquium
C sive ad advertentiam & examen, etiam sub prætextu abjectionis, aut securitatis admiserint illas. Quodsi ita cui videatur importunus esse tẽtator, ut neglectu & contẽptu istiusmodi repelli videatur non posse. tum Tironi sequendũ erit consilium, quod superiùs tradidimus hujus Mensis Exercitio 1. & infra etiam dicemus pleniùs M. 4 Exer: 4. (Item Mense 2. Exer: 2. ante finem) quodq; etiam D. Bonaventura tradit, loco suprà inprimis citato, ubi sic loquitur. Quodsi tentationum cogitationumq; malorum in-
D sultus spiritum inquietent: Non solùm familiaris confessor: verum etiam fratres alij Seniores in adjutorium advocandi: ut unius debilitas multorum adjutorio sustentetur. *Frater qui adiuvatur, fratre* (Prov: 18. 19) *quasi civitas firma.* Qui autem vulnus detegere, vel auxilium petere negligit, sua non immeritò negligentia perit. Hæc Sanctus.

EXER-

EXERCITIA
QUARTI MENSIS.



QUartum Mensem Tirocinij sui novus Religiosus impendet sequentibus exercitijs.

Primò vacabit:

Intētionis rectitudini & renovationi Duas res complector ut patet in hoc exercitio, illasq; à Tirone exigo. Una est, ut rectam intentionem habere in omnibus suis operibus curet, atq; adeò in tota vita sua Religiosa: sine qua nihil vtilitatis, nihil sanctæ indolis in ulla actione humana certum est reperiri. Intentio mala, & intentio nulla, ad invicem pestes sunt omnis operis nostri. Mala quidem intentio facit, ut sit opus malum, nulla autem ut nullum. Mala intentio est, quæ non Deum, vel non propter Deum spectat, nulla quæ non spectat quidē aliquid mali, non tamen spectat etiam aliquid boni, præsertim Divini: Quidquid agunt homines intentio judicat omnes. Intentionem rectam, bonam sanctam, quin & perfectam luculenter descripsit nobis S. Pater Ignatius, prout in summario habemus Regulà 17. *Omnes rectam Intentionem habere studeant: non solum circa vitæ suæ statum, verum etiā circa res omnes particulares: id semper in eis sincerè spectantes ut serviant & placeant Divinæ bonitati, propter semetipsam, & propter Charitatem, & eximia beneficia quibus prævenit nos, potius quàm ob timorem pœnarum, vel spem præmiorum, quamvis hinc etiam iuvari debeant, & in omnibus quærant Deum, exuentes se quantū fieri potest amore omnium creaturarum, & affectum universum in ipsarum Creatorem conferāt, eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo iuxta Sanctissimam & Divinam ipsius voluntatem.* Hæc S. Pater: ex quibus luculenter cognoscit quisq; qualem intentionem rectam habere debeat in suis actionibus: qualem malam non debeat. Bona intentio est agere, ut pœnas æternas evadas, Melior ut beneficia spiritualia, gratiæ gloriæq; apud Deum obtineas: Optima ut Deo placeas, ut sanctissimam voluntatē ejus expleas: ut eum glorifices & exaltes quia ille dignus, quia bonus est. Hanc intentionem S. Ignatius perpetuò nobis obtrudit, toties repetendo. *Maiorem Dei gloriam, Maius Dei obsequium, &c.* Ut autem

A hæc intentio servetur, suggerit Sanctus fundamentale medium, *exuere se affectu omni ad creaturas* seipsum inter eas numerando, ita ita ut nec te, nec ullam creaturam ames nisi in Deo, propter Deum, infra Deum; supra omnia autem unum & solum Deum, sic conferendo omnem amorem tuum, per creaturas divisum, in solum Deum.

Ex quo colligi debet, quod facere aliquid propter seipsum, propter suum commodū, voluptatem, honorem, vel propter alijus creaturæ alicujus bonum non referen-

B do alterius in Deum, neq; respiciendo Deum, sit intentio mala & prava & pestilens, hoc est enim amare plus ipsum se, vel creaturam quàm Deum: quæ est iniquitas maxima. Quanquam autem hæc de intentione bona vel mala dicta sufficere possent alicui; tamen ut Tironi melius ejus Exercitij ratio constet, & usus succedat, addenda sunt aliqua explicatius: atq; potissimum de

C varietate bonarum intentionum.

Sciendum ergò quatuor genera esse intētionum: *Vnum esse facere aliquid* propter obligationem præcepti sive imperantis, sive prohibētis: quod genus intentionis licet sit imperfectissimum inter bonas, est tamen fundamentum omnium aliarum optimarum: qui enim præcepta negligit, frustra ad consilia & perfectiones adspirat. *Secundum* intentionis genus est; facere aliquod opus propter exercēdam vel assquendam Virtutem aliquā specialē suam (nam in genere virtutē intendere valde sterile est,) puta obedientiam, charitatem Dei, proximi, Patientiam,

D mansuetudinem, humilitatem &c. Hæc intentio priore perfectior est. *Tertium* intentionis genus est, facere aliquid propter plures speciales simul virtutes exercendas assequendasve, quod perfectionis genus melius est priore propter multitudinem: quæ isthic deest. Talis est intentio: cum quis prævidens, v. g patientiæ vel humilitatis occasionem, acturus aliquid humile vel pas-

ſurum aliquid durum, ſuſcipit & obit illud, ut Patientiã exerceat, ut ſe vilificet, ut mãſuetudinem diſcat, ut obediat, ut charitatẽ fratri præſtet, ut in Deum amorem teſtetur, tu imitetur Chriſtum, ut fiduciam in Deum exerceat &c. Ex tali intentione plurium virtutum ſpecificarum ſtudio, tot habitus virtutum ſpecificè in anima creſcunt, quot hac ratione intenduntur, præter alios fructus. *Quartum* intentinis genus eſt agere aliquid ex mero puroq; ſtudio conformãdi ſe voluntati beneplacitoq; Divino, & quia id Deo placet quæ una ſolaq; intentio purior, defæcatior, altior, ſolidior, ſufficientior eſt omnibus ſuperioribus, adeò ut nihil inſit illis bonitatis, niſi quantum hanc unam includunt ab eâq; participant. Proinde huic potiſſimum intentioni inhærendum & aſſueſcendum eſt. omnes autem aliæ poſſunt illi vel tanquam incluſæ ſupponi vel majoris noſtræ diligentiæ exercitationiſq; cauſa expreſſæ per ſingulas adjungi.

Porrò pro majori horum declaratione, ſimulq; pro bene operantium ad ferventer & diligenter operandum inflammatione: ac deniq; pro majori in laborando conſolatione, ſciendum eſt quintuplicem uſum, atq; adeò fructum cujuslibet boni operis eſſe ſi modò ab operante intendatur *Primo* omne bonum opus eſt meritorium gratiæ ſanctificantis & gloriæ æternæ, juxta bonitatem, tum operis, tum operationis, tum etiam operantis. *Secundò*, bonum quoq; òpus omne eſt Adoratorium & laudatorium Dei. Imò & Sanctorum, juxta placitum operantis *Tertiò*, ſimiliter omne opus bonum & Gratiarum actorium Deo pro beneficijs, atq; etiam Sanctis pro interceſſione. *Quarto*, eſt quoq; opus omne bonum impetratorium cujuslibet boni ſive ſpiritualis ſive temporalis, tam petenti ipſi quam alteri, pro quo is offerat: juxta placitum Dei, & juxta diſpoſitionẽ eius, qui, quid, & cui petit operaturvè. *Quintò*, deniq; eſt quodlibet bonum, opus ſatisfactorium pro pœnis tam illius futuræ quam hujus præſentis vitæ, tam pro temporalibus quàm pro ſpiritualibus, tam pro ejus qui operatur proprijs, quàm pro alienis, vivis, defunctis; modo indigentes & capaces ſint, pro alijſq; offeratur. Omni igitur bono opere poſſumus mereri gratiam & gloriam apud Deum, laudare & honorare Deum, gratias illi agere, impetrare apud ipſum, ſatisfacere juſtitiæ ipſiùs, dummodò hæc omnia intendat is qui operatur: quantũ cunq; enim ſuam dilataverit intentionem tantam operi ſuo bono addet latitudinem. Has autem omnes intentiones oportet ut ſubdat illi quartæ ſuperiùs explicatæ: ut nimirum omnia iſta intendat, ſecundùm Dei voluntatem, & propter Dei voluntatem: ſive ideo, quia Deo placet, & quantum placet, & ut placeat. &c

Atq; de Rectitudine Intentionis, (quod fuit unum ex ſupra poſitis initio) hæc ſufficiant pro informando intellectu Tironis. Iam de Renovatione aliquid ut dicamùs oportet. Intentio enim recta, quàm eſt utilis ac neceſſaria ad bonitatem, utilitatemq; ſpiritualẽ operum noſtrorum, tam eſt fragilis & in momenta mutationi corruptioniq́ obnoxia, in omnibus quidem hominibus & potiſſimum in incipientibus & imperfectis, affectuſq; compoſitos & in poteſtate non habentibus, maximè verò ab amore proprio non ſatis expurgatis, ad minimam enim quamlibet occaſionẽ proprij commodi everti, mutari, inflecti, corrumpi intentio recta præfixa poteſt ac ſolet, niſi vel valde homo attentus ſit ad vias cordis ſui, vel frequenter innovet, repetat, reſtauretque ſuam bonam intentionem. Quare bonus & diligens quiſq; Religioſus in hoc maximam & aſſiduam curam ponere debet, ut omnibus operibus ſuis, atq; adeò toti vitæ ſuæ rectam quin & ſublimem intentionem præfigat: &, ſi fortè, imò ne fortẽ mutata ſit per occurrentem aliam pravam, & proprio commodo creatové bono infectam intentionem: primam ſuam bonã identidem innovet, confirmet, ſtabiliatq; intentionem. Circa quod obſervanda erunt hæc.

Primò, non erit opus quoties placuerit innovare intentionem, toties eam de integro repetere eò modò quò, fortè initio, v. g. diei aut operis facta fuerit: id enim & longum, & moleſtum eſſet, & præ feſtinatione non benè fieret, tandemq; faſtidiretur & negligeretur cum multiplici & gravi Spirituali damno: ſed ſufficit mentem tantum ad intentionem factam conijcere, eamquè breviſſimè ſeu mentis, ſeu etiam oris, verbis, reaſſumere & ratam habere, dicendo: v. g Propter te Domine propter te, vel Domine quæ volui, volo: vel, Domine quæ intendi, intendo, rata habeo, vel, Placeat Domine quod ſtatui, quæ intendi, &c. Tali enim vel ſimili compendio: & innovabitur omnis intentio, & faſtidium tolletur, & curſus operis non retardabitur, & mens nec fatigabitur, nec diſtrahetur, & proſpicietur fructus boni operis, & prava, ſi quæ irrepſerat intentio abrumpetur, & excludetur

ceditur, inq; viam & cursum debitum mens forsitan incurvata & devia revocabitur.

Secundò. Hæc intentionis renovatio, etsi tantò erit utilior, quantò frequentior; ne tamen frequentatio & frequens renovatio nimia fiat, capitiq; nocumentum, & vim inferat sicq; agenti, damnum & impedimẽtum, Diabolo solatium & lucrum è damno ejus pariat. Frequentatio ista renovationis moderata erit, & initio quidem rarior, & in progressu crebrior, ac demum creberrima, quantum prudentia memoriaq; dictaverit. Optimè faciet, qui ad singularũ actionum initia intentionem præmittere curabit, saltem eam reassumendo quæ in initio diei facta fuerit.

Secundò vacabit, fugæ dijudicãdi, inq; deteriorem partem censurandi & exponendi facta aliena, deq; eis cum alijs loquendi ac sententiam ferendi. Hoc exercitium pro totâ vita, pro omni loco, tempore, statu, persona est necessarium, neq; quicquam eo conditionis excedet, in qua non sit ei ab hoc malo malorum, tam vulgatissimo quàm malignissimo cavendum, immò quantò quis in virtute virtutisq; professione ac possessione videbitur progressus ulteriùs, tantò magis ab hoc malo sibi cavere debet. Etenim experientia discimus, plerosq; justorum ac perfectorum coram hominibus tantò esse viciniores, malo ac vitio censurandi alienos mores, facta, talenta, & intentiones, quantò longiùs ab alijs vitijs recesserunt.

Ac semper quidem & universaliter abstinendum est ab alienarum rerum censura ac dijudicatione: tunc tamen potissimum, quando id quod censurandum esset, tale est, quod perinde benè fieri potest, ac malè: & in quo agendo intentio agentis non apparet, sed non minus potest subesse bona aliqua, quam mala. Ad quod si respiciatur, vix aliqua actio hominis aliquando se offeret, secùs omnino interpretanda, & non potiùs bonam faciens explicationem. *Excusa* ait S. Bernardus *intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum*; puta te errare posse, puta illum habere causas, rationesq; sui facti, quæ te lateant, deniq; puta illum quidem hodie peccasse, te autem peccaturũ & quidẽ graviùs cras, puta illum post peccatum pœnituisse, etiam justificatum esse justioremquè te: te interim censurando peccare & in peccato esse, si non in alio, in hoc tamen ipso censuræ alienæ. In quo enim alium judicas, teipsum condemnas, eadem enim agis, affirmat Apostolus.

Abstinendum igitur ab alienæ vitæ perversa censura: aut si censurandum est, semper in meliorem partem: præstat absolutione quàm damnatione proximi peccare, saltem suspende judicium, & dic: *non liquet, Nescio: oportet me aurem alteram alteri parti*
A *servare. Nemo me constituit Iudicem. Quid ad me aliena? habeo meorum defectuum satis. Meum cor non novi: alieni cordis claves non sunt mihi creditæ. Domino suo stat servus, & Domino suo cadit, potens est autem Deus statuere illum.* (Rom: 14. 4) *Angelo non est concessum cor alienum intueri: & ego quomodo illud scrutans non errabo? Si Angelo aliena referenti satis credere tutò non possum, quantò magis vel mihi videnti, vel alteri homini narranti, non tutò assentiar?* Hac similiq; ratione pruritum judicij de alienis rebus reprime in te, esto
B illas oculis cernas, & manibus palpes. Non sit lingua tua ô Religiose lima virtutis alienæ, quæ poliat virtutem & nitidam faciat, se autem corrumpat ipsam. Non sis emũctorium, quod lucernam purgat, & clariùs lucere facit, ipsum autem aduritur & denigratur. Experimentum est his, ipsis nos vitijs deniq; scatere, in quibus alios taxavimus: imò etiam in majoribus. Trabem portamus in oculis, nec videmus, nec sentimus pondus ejus: festucam in oculis alienis discernimus, & ferre inibi non possum⁹.
C Qui alienis moribus dijudicandis linguam & mentem suam occupat, ex lingua sua delicatum & opiparum, diabolo epulum parat, quia illam alienis peccatis, & injurijs saginat, & saginatam, maceratam, conditamq;, diabolo propinat. Quòd vitium, omnium quidem est, sed speciali ratione bonorum proprium esse videtur: non quod eo, alij quoq, non laborent, sed quod boni eo solo plerumq, scateant, cum ab alijs immunes sint. Præcipua porro ratione adhærere solet, hæc pestis illis, qui judicio, ingenio experiẽtia, prudentiaq; polleat, vel pol-
D lere videri volunt: unde etiam inter eos, qui doctrinam, scientiam, virtutem, honorem, opinionem, excellentiam, in pretio habent, frequentissimè reperiri solet.

Bonus igitur & cautus, ac profectus sui amans Tiro, à primo tirocinio suo, ac deinceps in omni vita sua, injiciet habenas judicio, linguæ, censuræ, de alienis moribus, casibus, operibus, talentis, &c. Neq; faciet discrimina inter res parvas, vel magnas, inter personas primarias, vel vulgares: sed fugiat omne omninò judicium de altero

in-

in malam partē ferre, quādo illi ex officio judicare de alijs non incumbit. Optet sibi sortem illam, atq; curet evenire: quam Deus, Veritas prima, & sapientia æterna, toties inculcat. *Nolite judicare & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini: dimittite, & dimittemini: in quo enim judicio judicaveritis, in eodem judicabimini &c.* Matth 7 2. Sat insanus est, ac revera infidelis: qui hæc à Christo prolata, credens ea tamen postponit, & aliena dijudicare præsumit. Verè iste vel judicari vult, atq; damnari, vel Christum falsum locutum esse opinatur, qui sciens dictum esse. *Nolite judicare & judicabimini*, judicat tamen proximum.

Deniq; Cor misericors, & aliena, esto errati, esto notata, esto notatu digna, tam benignè & misericorditer interpretari, potiùs eligit, quam severa notare censura: talibus dictum est, atq; promissum cordibus à Domino. *Beati misericordes, quoniam & ipsi misericordiam consequentur.* Matt. 5. 7. Quanta præmia promissa sunt, non censurantibus aliena? Non judicari, non damnari: imò etiam misericordiam consequi apud Deum, *quo quid optabiliùs?* E contra verò: pæna ordinaria judicantium alios est, *excidere à Dei gratiâ*, ut ait S. Macar: hom: 7. *Et fieri remotum à Deo*: ut ait Cathon: *Sen: dial. c.* 97. quo quid horribiliùs, & formidabiliùs?

Tertiò vacabit Censurationi, dijudicationi, incusationiq; factorum, morū, talentorum, operum propriorum. Hæc solet esse potissima causa multorum malorum in Religiosis: quia circa suas res & actiones, atq; dotes discutiendas, non libenter neq; prout debent occupantur. *Si nos ipsos dijudicaremus non judicaremur à Domino, nunc autem à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*: asserit Apostolus. 1. Cor: 11 32) quæ verba sunt omni dignissima consideratione, sed multò magis observatione & executione. Si enim nos ipsos nostraq; opera, & tam internas, quàm externas mentis nostræ dispositiones accuratè vestigaremus, imperfectionesq; & defectus in omnibus prospectos, habere curaremus, plurimas & maximas utilitates inde reportaremus. 1. Haberemus intimam nostri notitiam, & peritiam experimentalem: quæ est caput omnis humilitatis, ac proinde & salutis, atq; perfectionis. 2 Non vacaret nobis ad aliena discutienda, & censuranda opera, facta talenta, ut tempus enim daremus nobis discutiendis; proinde deesset noscendis alienis. 3 Sed etsi quid incideret alieni defectus in notitiam, illico puderet nos aliena (leviora fortè) discutere, qui sciremus benè in nobis, nostrisq; operibus & cordibus longè ampliùs mali delitescere. 4 Haberemus semper uberem materiem contemnendi nos, & alijs supponendi, alios verò nobis præferendi. 5. Haberemus etiam copiosam &
A paratam segetem, rerum à Deo emendicandarum, Deo proponendarum & confitendarū, in Orationibus, Meditationibus, communionibusq;. 6. Haberemus deniq; paratū contra iram Divinam munimen. Nostra enim discussione nostri, averteremus scrutationes, imò & punitiones Dei: quippe *si nos ipsos dijudicaremus, à Domino non dijudicaremur: qui non punit bis in idipsum.*

Solent quidem aliqui circa se, & suas res actionesq; discutiēdas multùm occupari sed
B ita, ut se ipsos mirentur, magnifaciant coram se, alijs præferant semetipsos. *quasi non sint sicut cæteri hominum*: (Luc: 18 12) ita se examinat, & ita sua inspiciunt. ut imperfecta sua videre, multò magis lugere nolint, sed tantum quæ speciem bonitatis & excellentiæ esto sæpè vanæ ac falsæ, hæc sibi ob oculos ponunt, quo fit ut dum nunquam lutum super oculos suos positum habeant: nunquam etiam illuminentur: sed potiùs in cæcitate deferantur. Hi, qui tales sunt, sicut bona sua ob oculos semper suos ferūt: ita illos ab alienis æstimandis avertunt: æ-
C stimandis inquam: nam & deprimendis & infra sua deijciendis non abstinent: Idem quoq; sicut à suis imperfectionibus videndis oculos avertunt, ita ad alienas dispiciendas defectuositates oculati Argi & lyncei sunt. Est igitur homini spirituali & Religioso, præsertim Tironi, per oppositum incedendum: Bona sua nunquam, mala autem sua semper ante oculos habeat: è contra, bona proximi semper, mala nunquam inspiciat. Nisi fortè aliquādo bona in se Dei cognoscat, ut pro eis non extollatur, sed
D Deo gratias agat, alacerq; ad obsequium Dei reddatur: mala quoq; proximi videat: non tamen ut insultet, ut condemnet, aut infletur: sed ut compatiatur, ut eum adjuvet, ut alieno malo ipse cautior fiat.

Sciendum porrò hanc sui ipsius suarumquè rerum censuram & dijudicationem hisce partibus & actibus constare. Quilque hominum, vel bonus, vel malus est. partimq; bona, partim mala habet: partim benè, partim malè agit: qui censor sui esse

vult

vult cum utilitate & profectu spirituali: ad utrumq; rerum & operum suorum genus oculos intendat, ita ut in bonis videat.

1. Illa non sua, neq; ex se: verum Dei & ex Deo esse: sine quo nihil possumus facere, imò & cogitare boni: sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.

2. Videat eadem bona, magis esse imperfecta, quàm perfecta: hoc est, plus imperfectionibus scatere, quàm perfectionis habere, & quidē se ipsum solum, aliumq; neminem esse authorem illarum imperfectionum, quibus ipse opera & bona Dei inficiat, impediat, & quominus perfecta sint obsistat.

3. Videat eadem bona: à se conservari continuari, perficiq; non posse sine Deo, imò nisi a Deo, qui dat velle & perficere, quia omnia bona in nobis, & nobis operatur, secundùm Isaiam: & cui Ecclesia supplicat: *ut actiones nostras dignetur aspirando prævenire & adiuvando prosequi: ut cuncta nostra Oratio & operatio ab illo semper incipiat, & per ipsum cœpta finiatur.*

4. Videat eadem bona, hoc ipse sibi fieri non bona: quod ea sibi arroget, vel ex illis infletur: tunc enim peccatum, ut appareat peccatū, propter bonum, operatur homini stulto atq; superbo mortem: & fit peccatum supra modum peccans, ut ait Apostol. Paulus, (Rom: 7. 13.)

5 Videat eadem bona: esse quidem aliquomodo in se ex Dei munere: sed valde in humili gradu, & valde multum ab excellenti & supremo gradu, & à consummatà perfectione, quam ista bona haberi deberent: si homo esset dignus, siq; idoneus, si non impediret manum Dei, si non esset fur & raptor, infidelis Deo: si non esset prodigus, bonorum Dei dissipator, si non esset servus piger, & malus, qui bona & talenta Dei involvat sudario, & in terra otiositatis defodiat.

6. Videat eadem bona esse in alijs, & quidem fortè uti sæpissimè accidit, in ijs, quos ipse minoris æstimat apud se, longè plura, ampliora, perfectiora, solidiora; ad qualia ipse nunquam fortè perventurus sit impediente illum sua superbia, & ignavia, & ingratitudine, & aliorum contemptu.

Accedit enim frequentissimè, ut Deus ei, qui ab aliquo alio temerè, superbeve contemnitur, sugillatur, censuratur: propter hoc ipsum, quia contemptus est ab alio injustè, det gratiam illam ipsam, qua tanquam destitutus iniquè, fuerat sugillatus & damnatus. Potens est Deus, ait Apostolus, imò, solet Deus statuere illum, & donare ijs bonis, quibus tu illum velut carentem carpebas & mordebas. Cujus exēplum apertum, Dominus ostendit in Publicano & Pharisæo, atq; in duobus illis filiis, quorum unus prodigus fuit, alter adhærebat Patri, in Pharisæo & Magdalena, &c. Unde etiam accidit sæpè, quod notat D. Augustinus: ut quando nos aliquem censuris

A nostris damnamus; tum planè ille vel cōvertatur à Deo, vel conversus sit jam ad Deum: sitq; melior & justior cēsoribus suis.

7 Videat bona sua, (sive sint talenta nostra, sive gratiæ gratis datæ, sive virtutes, sive actiones bonæ) longè alia, hoc est, longe imperfectiora esse in ipso fundo conscientiæ propriæ, quam in superficie, & in exteriore specie ipsi, vel alijs esse videantur: sæpe contingit nobis vanissimis hominibus ut liquido in conscientia nostra. & in lumine internæ rationis, cognitionisq; discer-

B namur valde imperfectum esse hoc, vel aliud bonum, talentum factum: revera tamen vel ideo, quia hoc alij non vident, uti sunt in se, uel quia etiam perfectum credunt & uocant, nos avertamus oculos à luce interna, & aures à voce conscientiæ, atq, ab judicio & testimonio veritatis, alienæ verò ignorantiæ, & erroris vocibus adhæreamus, & non credentes, licet tamen credi velimus, & credi gaudeamus, sicq, non tantum vanissime, sed etiam mendacissime, atque

C bis stultissime extollamur: impleaturq, illud in nobis mentita est iniquitas sibi: & illud: Diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.

Videat deniq, eadem bona sua, adeo parūm bona esse, ut non pervenerint, neq; attigerint illas omnes, esto paucas & minime sublimes regulas perfectionesq;, quas ipse homo habet in suo judicio, vel etiam voluntario proposito, quas inquam ille ipse apud se statuerat, adjungere illis bonis, illis operibus, illis exercitiis. &c. v. g videat,

D non habere illam devotionem, illam charitatis concitationem, & infermentationem: illam vacuitatem à distractionibus ab ariditatibus, à complacentijs, à studio vel opinione placendi aliis, & laudis referendæ ab alijs: illam constantiam & perseverantiam, illam aversionem à seipso, illam plenitudinē conversionis ad Deum & ad purum, solum maximumq; Dei gustum, & placitū, & gloriam, quam vel poterant, vel debebant habere, &c. Hæc similiaq; si in bonis

nis suis, omnia vel aliqua saltem considerabit: non habebit materiam superbiendi, imò habebit multiplicem causam, de alijs quid longè meliùs, de se autem, deq; suis bonis longè abiectiùs & humiliùs sentiendi: ad perfectioraq; connitendi, & Deo supplicandi, atq; coram Deo imperfectum suum lugendi.

Iam verò in suis malis & peccatis, & miseriis imperfectionibusq;, etsi satis superq; est videre quot sint mala, quot peccata, defectus, imperfectiones & miseriæ: ut merito per eas humilis in suis oculis, infraq; omnes dejectus esse possit Religiosus homo: Si tamen in suis his malis attendere volet, aggravantes & exaggerantes circumstantias & conditiones difficiliùs longè erit spiritu efferri: faciliùs autem in vili & abiecta de se opinione stare atq; permanere, quæ res, unus est summus fructus, qui & à nobis debet, & à Deo solet, vultq; colligi ex nostris imperfectionibus, atq; erroribus & peccatis & miseriis, & malis. Sic enim impletur illud Apostolicum: ubi abundavit delictũ abundavit & gratia, quia abundavit & humilis abiectaq; sui æstimatio, intimaq; cognitio. Circumstantiæ porrò istæ plurimæ reperiri possent, sed hic brevitatis præfinitæ causa, ne numerari quidẽ, nedum exaggerari omnes possunt. Obiter attingo aliquas, ut eas Tiro in suis malis, ac potissimũ actibus videns: tanto plus abominetur mala sua, seq; Deo & omni propter Deum creaturæ subijciat, diligentiorq; in cura sui fiat.

Videat ergo in suis malis. 1. quod sint in ipso homine, & ex ejus intrinsecis essentialibus principiis, nihili non entisq; promanantia.

2. Videat quod sint Dei naturæ, essentiæ, perfectioni, dignitati, bonitati, charitati, legi, voluntati, Iustitiæ, potentiæ, misericordiæ, beneficijs, auxiliis, repugnantia, & inimica.

3. Videat in malis suis, quod repugnent Christi moribus, exemplis, doctrinis, meritis, gloriæ.

4. Videat, quod mala sua repugnent lumini rationis, conscientiæ, rectitudini, honestati, decoro.

5. Videat in malis suis: quod repugnent fidei Christianæ, spei suæ, Timori Dei, charitati in Deum: Professioni, Vocationique suæ, Regulis suis. Obedientiæ debitæ Deo, rationi, superiori Regulæ, Religioni.

6. Videat in malis suis, quod priuẽt Deum gloria, Sanctos lætitia, Ecclesiam auxilio, Religionem & communitatem exemplo, ac communicatione meriti. Animam & hominem ipsum merito gratiæ & gloriæ profectu virtutum, auxilijs Dei specialibus.

7. Videat in malis suis, quod diabolum lætificent & honorent: iram Dei provocẽt, & exacuant, pœnam futuræ & hùjus vitæ mereãtur, gratiam sanctificantem & Dei amicitiam impediant, diminuantq;. A Gratias actuales & inspirationes & motiones Dei excludant, profectum in bono & in fervore constantiam tollant. Mala & vitia radicent atq; stabiliant in anima, alios scãdalisent, idq; vel ad similes actus malos, exemplo provocando audacioresq; ad malũ faciendo, vel contristando, & amaritudini, displicentiæq; occasionem dando.

8 Videat in malis suis, fragilitatem & labilitatem suam, inconstantiam in propositis & cæptis bonis, infirmitatem ad superandas tentationes, molestias, difficultates B etiam alioqui leves, cæcitatem suam ignorantiam, malitiam, & pondus in malũ liberæ voluntatis, vehementiam passionum & affectuum, quos ratione frenare debitè non possit, nesciat, non curet, non velit.

9. Videat in malis suis, Rebellionem suam, & mentis suæ cum Deo, ratione, virtute, gratia. Rebellionem, etiam pravæ voluntatis, concupiscentiæ, sensualitatis, sensuumq; tam internorum, quàm externorũ.

10. Videat in suis malis: quanta sit inter C eum & aliós, propter hoc differentia, qui longè minoris industriæ, scientiæ. gratiæ, ætatis, experientiæ sint licèt, tamen se vincunt strenuè, resistunt tentationibus, frangunt passiones, obsequuntur gratiæ: defectibus paucioribus, minoribusq; abundant.

11. Videat in suis malis, numerum, multitudinem, frequentiam, gravitatem; cum propositis, cum gratijs divinis, tam frequẽtibus repugnantiam. Hæc atq; similia, si considera verit quis in suis malis, nunquam ea, certè non facilè parvi faciet: sed minimi (ut quidẽ vulgò vocari, sed erroneè & D periculosè solent) defectus magni videbuntur, sicut revera magni, vel ex eo solo sunt, quia summæ bonitati Dei summè displicẽt, & charitati repugnant. Facilè etiam se humiliabit coram Deo & hominibûs: neque illi ad alienam morum censuram vacabit vel libebit prosilire.

Præter voluntatem meam immoratus sum hujus Exercitij explicationi: erit tamen operæ pretium, si executio diligens accesserit,

sit, quæ ut fiat, in compendium rem omnẽ redigo. Accuratus censor suarum imperfectionum bona sua sic censurabit, ut agnoscat. 1. Aliena esse. 2. Valde imperfecta. 3. Ut sint perfecta, debita potiùs sunt, & tantò quidẽ majora magisq; præmentia ad reddendum, quanto sunt majora. 4. Non esse in eis securam certamq; perseverantiam. 5. Metuendum, ne hic aliquibus temporaneis ac maximè vanis laudibus compensentur, futura autem gloriâ præmioq; fraudentur.

Mala autem sua sic censurabit: ut agnoscat. 1. Vera & propria sua esse, tum ob naturalem defectuositatem, tum ob voluntariam inclinationem. 2. Pejora gravioraq; esse, quam ab ipso homine sibi semper blandiente, & in omnibus suis naturaliter cœcutiente existimentur, maximè, si ad judicium Dei veniant, & si cum gratijs à Deo homini collatis conferantur: ingratitudinisq; vitio infecta esse attendantur. 3. Esse contra Dei legem, voluntatem, dignitatem, charitatem, contra tot beneficia &c. 4. Esse tam nociva damnosaq;, non ipsi tãtum homini, in quo & à quo sunt, sed alijs plurimis, maximè propter scandalum. 5. Subjacere pœnæ multiplici purgatorij, (nõ dico inferni) temporali, & quàm præcipuè timendam puto, spirituali, quæ in subtractione auxiliorum Dei specialium consistit: & sæpè reservatur à Deo, etiam alijs condonatis. 6. Multis præterea bonis impedimento esse, quæ alioqui fieri potuissent: si mala hæc abfuissent. Bona hæc esse solẽt gloria Dei, profectus proprius: salus aliorũ, aversio iræ Dei &c. quorum opposita mala advocantur ab irato Deo, scilicet contemptus aliquis Dei, ejusq; gloriæ injuria, pœnæ & plagæ in communitatem: obstinatio propria, & aliena in malo, inefficacia laborum circa proximos &c.

Hæc consideremus in nobis, & in rebus nostris, & prout sæpiùs dixi, aliena considerare non vacabit, non libebit.

Quartò vacabit Confidentiæ, recursui, candori, manifestitioniq; sui, in omnibus necessitatibus suis, (præcipuè autem internis) coram Patre, & cum Patre suo spirituali. Nulla res æquè est odiosa diabolo, quam hic recursus ad Spirituales Patres, suiq; manifestatio in Tironibus. Nullam rem majoribus pluribusq; occultioribus & manifestioribus etiã artibus, diabolus impedire ac disturbare conatur, & solet in animo & corde teneri Religiosi, quàm recursum cum suis tentationibus, dubitationibus, necessitatibusq; ad Patres Spirituales. Hoc studium quamdiu diabolo apud Tironem succedit, quamdiu, inquam, illum in hoc obsequentem habet, ut non recurrat, ut se, suaq; non aperiat, tamdiu diabolus in pacifica possessione est Religiosi, & securus est, & pro arbitrio suo tractat, tentat, vexat, exagitat, & versat miseri ho- A hominis animam conscientiamq;: tunc tantummodo illi remittens & indulgens modicum, quando advertit miserum parare accessum ad Superiorem Spiritualemq; Patrẽ, tunc enim tantisper cessat; levitatem materiæ & meras nugas proponit, quibus aures Patris obtundere indignum sit: Vides (ait interiùs ad aurem diabolus) nihil esse, jam cessarunt molestiæ, quid afferes, aut dices? Ridiculus eris hæc narrans. Potes tu tuo marte hæc abijcere, & vincere, hactenus nihil damni retulisti. Occupatus est interea B Superior: impeditum invenies: molestus interturbator aderis. Deperdes de opinione apud Superiorem: putabit te tentatum, inconstantem. Adibis postea, non modò &c. His similibusq; suggestionibus astutus diabolus avertit imprudentem à Superioris accessu, & in suis retibus tenet miserum, atq; ex intervallo rursum aggreditur, & tanto majore fiducia, audaciaq; infestat, quantò illum fideliorem in tacendo, seq; occultando, iam expertus est, & quantò minùs in eo animi resolutionisq, ad sese C manifestandum Superiori agnoscit.

Est hæc ratio agendi cum Tironibus dæmoni, & hæc ratio obsequendi dæmoni apud Tirones adeò vulgata, adeò quotidiana: ut ex 100, aut 1000. Tironibus, vix unus reperiatur, qui hac ratione non sinat sibi à diabolo illudi. Et quamvis experiẽtia propria alienaq; doceantur, pestilentiam istã, nequaquam tamen post experimẽta, satis discunt eam fugere, atq; animum sumũt, quo se audeant Spiritualibus Patribus aperire. Usqueadeò tenax est natura humana sui juris in amore proprio, inq; indulgẽdo amori D eidem: quæ indulgentia potissimũ in sui occultatione apud Superiores exercetur. Potissimũ dico apud Superiores & Spirituales Duces, nam experimento quotidiano scimus Tirones, faciliùs cuilibet alteri tentationes afflictionesq; suas internas & pericula manifestare, quam suis Patribus atq; Magistris Spiritualibus: à quorum notitiâ & communicatione nescio quo naturalis vitiositatis morbo libenter abhorrent, eorumq; congressus conspectusq; vitant: ab ijsq; ignorari &

ri & curant, & gaudent. Perversissima prorsus ratione, & ad animarum ruinas, atquè damna accuratissimè prorsus factâ: Cũ enim substantia & essentia Spiritualis vitæ sistat in hoc, ut Religiosi à Deo gubernentur: sitq; hoc eorum, quod à Deo pro sæculo relicto referunt, unicum & summum hujus vitæ præmium: & propter hanc Divinam obtinendam gubernationem, providentiæ ejus circa se curam, & mundum deserunt, & curam sui omnem deponunt, & libertati omni ad se regendos, ad commoditates, ad possessiones omnes abrenuntiant, idq; etiam voto firmãt: Deusq; ex pacto inito hanc Religiosis providentiam suam curamq; obligat, eamq; per solos Superiores, Spirituales exercet, & impendit, fidemq; suam Religiosis exsolvit: versutiâ diaboli, & perversitate amoris proprij inducti Religiosi, à Superioribus suis ab eorũq; congressu, recursu, notitiâ, regimine, manibus, atq; pedibus refugiunt: ijsq; se se omni quâ possunt ratione occultant, occultariq; gaudent, quô misero agendi modo, id efficiunt, 1 ut rescindant pactum suum cum Deo, 2 ut reijciant Deum à sui curâ. 3. ut excidant à Providentia Dei. 4 ut relinquãtur sibimetipsis, & à Deo illis non provideatur, neq; opportuna auxilia in tẽtationibus offerantur, utpotè qui ordinariã viam, quâ Deus gubernat, & quâ solâ solet, teneturq; ex fide conventâ, gubernare Religiosos, reiecerint, reliquerintq;. Inde impossibilis est Religiosis talibus profectus, in virtute impossibilis est securitas, ac immunitas à tentationibus, impossibilis est declinatio casus, & ruinæ. Non enim habitãt tales Religiosi in adjutorio Altissimi, non sunt, nec morantur in protectione Dei cœli, exciderunt ab eius Providẽtiâ, relicta est, eis domus sua deserta. Mundata est aliquatenus domus illorum scopis: sed interea vacant à custode & inhabitatore provido, & Rectore Deo, unde ad sic inventam vacuam, diabolus, redit ad eam assumptis secũ 7. spiritibus nequioribus se, & intrant omnes in eam, & habitant ibi, & fiunt Religiosi illius novissima, prioribus pejora. Quæ utinam experimentis non probentur quotidianis, nimiò plus vera esse.

Hæc si movent (& certè movere maximè debent) animum Religiosi: statuat ergo apud se, cum omni simplicitate, filialiq; cãdore, in omnibus recurrere ad suum Ducẽ Spiritualem: deq; omnibus cum eo conferre: neq; se frivolis illis suggestionibus à Diabolo atq; amore suimet objici oggeriq; solitis, à recursu, ab accessu manifestationeq; sui coram Spirituali suo Patre avocari sinat. Certissimè & plenissimè sciens, tamdiu se tutum fore ab omni diaboli impetitione, ab omni ruina Spirituali, ab omni retardatione in profectu, quamdiu recurrere non desinet ad Magistrum spiritûs sui: è con-
A tra autem: infallibiliter futurum credat sciatq; tamdiu se in vinculis diaboli fore, tãdiu illusionibus diaboli obnoxium mansurum, tamdiu nec in Spiritu virtutibusquè profectum facturũ, tamdiu Spiritualẽ prudẽtiã discretionisq; donum non gustaturũ, tãdiu extra Ordinem & curam tutelamquè Providentiæ Divinæ futurum, quamdiu se occultaverit Spirituali suo Patri. Habebit ergo Tiro certa & conventa sive assignata tempora à se, & à Patre suo, quibus recurrat, & quorum rationem reddat, quibus tamen semper addet omne id quod interea extraordinariè sibi cum animæ suæ
B statu acciderit: sicut etiam, non expectabit tempus solitum, sed veniet quoties opus esse sibi judicabit.

Concludam hoc caput: si mentem Sancti Patris Ignatij Fundatoris nostri, eã de re Tironibus proposuero, etsi illam in summario habeant, satis frequenter expressam. Regulâ sum. 6. sic habetur. *Quisq; suum stabilem habeat Confessarium, cui ipsius Conscientia prorsus aperta sit.* Et mox Regulâ 7 dicitur: *Debet quisq; suo Confessario totam suam conscientiam aperire, ut nihil ignorando, quod ad eam pertinet, meliùs in Domino possit eundẽ*
C *iuvare.* Sed potissimùm res hæc urgetur Regulâ sum. 41 ubi sic ait S. Pater. *Nullam debent celare tentationem: quàm Præfecto rerũ Spiritualium, vel Confessario, vel Superiori non aperiant, Imò verò totam animam suam illis integrè manifestam esse pergratum habeant: nec solum defectus aperiant, sed etiam pænitentias, vel mortificationes, vel devotiones, ac virtutes omnes: pura voluntate optantes ab illis dirigi sicubi à rectitudine deflecterent, nolentes suo proprio sensu duci, nisi conveniat cum iudicio illorũ, quos Christi Domini Nostri loco habeat.* Totam
D hanc doctrinam idem S. Pater Noster, in Regulis ad Spiritus dignoscendos assignatis Regulâ 13. hac similitudine appositissimâ illustrat. *Inimicus noster diabolus morem sequitur nequissimi, cuiuspiam amatoris, qui puellam honestorum parentum filiam, vel uxorem viri alicuius probi volens seducere, summopere procurat, ut verba & consilia sua occulta sint, nihilq; reformidat magis ac ægrè fert, quam si puella*

Patri

Patri suo, vel uxor marito illa patefaciat: cum sciat hoc pacto de votis & conatibus suis actum esse. Ad eundem modum obnixè satagit diabolus, ut anima quam circumvenire cupit ac perdere, fraudulentas suas suggestiones teneat secretas. Indignatur verò maximè & gravissimè cruciatur, si cui vel Confessionem audienti, vel Spirituali homini molimina sua detegantur, à quibus ita excidere se funditus intelligit. Hæc S. Pater ad omnium quidem, at potissimum ad Tironum usum utilissimè.

Quintò vacabit Fugiendis familiaritatibus, amicitijsq; & confidentijs privatis, cum uno vel altero, vel pauculis, in præjudicium communis & omnibus debitæ charitatis. Hoc solet contingere, quando unus & alter, inductus sive morum, naturarumq; similitudine, sive affectuum adhæsione, sive ingeniorum, ætatis, vicinitatis, munerum, officiorum, eventuumq; non valde disparium occasione, eam inter se contrahunt, non dico amicitiam, sed cõspirationem, consociationem, confæderationemq; qua sibi solis tantum adstringuntur & adhærent, alios autem non alia de causa, quàm quia similes non sunt, excludunt: neq; tantum excludunt, sed etiam repellunt, fugiunt, aversantur, quin etiam (malo vires sumente) persequuntur. Ab hac connexione privata fit, ut qui sic nexi sunt, ipsi tantum esse velint secum, & quærunt: ut secum assiduè sint, cum possunt, cũ autem non possunt, vel prohibentur esse, tædio afficiuntur, indignantur, clandestinas artes occasionesq; conveniendi suffurantur, quantoq; magis ab invicem separãtur, tantò ipsi impotentiùs mutuo alligantur, & in mutuum occursum ardent.

Hoc malum, communitatum est pestis, charitatis venenum, dissidiorum, discordiarumq, seminarium, murmurationum, suspicionum, diffidentiarum, schismatumquè seges, disciplinæ convulsio, Religiositatis ruina, Apostasiæ janua; De hoc malo imprecatur Apostolus, dicens: *Vtinam abscindãtur, qui vos conturbant:* (Gal: 5. 12.) revera enim tales, particulariter impotentibus affectibus inter se connexi colligatiq;, aliud sunt nihil, quam conturbatio fratrum, & pacis atq; Unionis animorum exilium, excidiumq;. Hæc labes potissimũ dominari, atq; etiam nocere solet inter juvenes: quorum ut ætatis ita & affectionum paritas immortificationi conjuncta commodior, & vehementior esse solet ad conspirandum, adhærendumq; mutuò, quare quàm maximè advigilare debent juvenes Religiosi, sibimet ipsis, (atq; etiam ab alijs qui præsunt advigilari debet,) ne in hunc diaboli laqueum, opinione perniciosiorem, vitiositate agglutinationeq; affectuum suorum incidant. Curent æqualiter adhærere omnibus, æqualiter amare omnes, & æqualem
A omnibus charitatem, benevolentiam, officiositatem, reverentiamq; adhibere & exhibere. Quodsi aliquando sentiunt, se ad aliquos affici vehementiùs, esto videatur id ab occasione, & à fonte bono promanare, puta quod ab illis plus juventur in spiritu, quod ab eorum colloquio, & exemplo videantur sibi meliores effici: tamen ob hoc ipsũm cautiùs & rariùs cum eis agant, quod se affici illis teneriùs, impotentiusq; agnoscunt: illa enim ipsa teneritudo, impotentia & vehementia, ardorq; affectus adhærentis, & tendentis, & conversari cupientis, potest ac solet dare diabolo, magnam non
B tantum occasionem, sed etiam fundamentum inædificandæ pestilentissimæ privatæ conspirationis: efficereq. ut tandem qui in spiritu cæperant, carne consummentur, & consumantur.

Quamobrem his indicijs nascentem, vel natam in se hanc pravam affectionem cognoscet, quisquis volet: si ad alium afficitur, sic ut tædio afficiatur eum non videns, atq; non alloquens, vel non assidens. Si illum alium præteritis alijs quærat, expectet, eiq; assidendi & loquendi occasionem vene-
C tur. Si ab eo sejungi, vel cum eo non cõjungi molestè fert, atq; impatienter. Si in occasione loquendi cum ipso, effundit se pleniùs, viscerosiùs, cum contestatione amoris sui erga illum, cum cupiditate ut ille nôrit, quod & ametur, & multum ametur, atque ut vicissim respondeat amori, amore. Si missitatio munusculorum & schedularum intervenit: si loca remota, obscura, occulta, clam arbitris, colloquendi quærantur. Si contrectatio manus, vestis, brachii, aliaquè similis non vitatur. Si aperi-
D untur mutuò consilia, proposita, & approbatio eorum exquiritur: Si de alijs obloquutiones judiciaq; & narrationes feruntur: Si aversio & abalienatio, saltèm verò occultatio Superioribus locum habet. Si alii ac præsertim meliores, magisq; disciplinæ observantes contemnuntur, fugiuntur, irridentur, atquè exagitantur, scommatis, sarcasmis, dicteriisque lepidis, amaris, subobscænis perstringuntur. Si oculis, nutibusquè

busquè oculorum, frontis, nasi, manuum aliarum partium corporis, colloquia & consensus animi, vel à longè vel à propè manifestantur. Hæc similiaquè prout magis vel minus locum alicubi, aliquorumve in moribus & convictu habent, ita etiam plus minusque adultam vel nascentem hanc pestē, manifestis, indubitatisq, indiciis demonstrant. Ab his ergo Tiro & juvenis Religiosus erit, quam remotissimus ipse & alium quemlibet se suaq, tali conjūctione removebit, & si quam vel in se ad alium, vel in alio ad se, vel ad aliquem alium in alio, hujus ignis maligni scintillam notaverit, eam quàm primùm, cum omni candore atquè charitate Patri suo Spirituali deteget, atquè manifestabit, prout cognitam habuerit: ut maturè extinguatur malum: ne si for- A tè serpat, usque eo invalescat, ut non possit nisi cum aliquorum pernicie, & excissione restingui ac sanari. Ita enim fieri amat in hoc malo: ut nisi maturè obvietur & prudenter, sanari demum aliter nequeat, nisi ejectione aliquorum ex Religione.

EXERCITIA QUINTI MENSIS.



Quintum Tirocinij Mensem, Religiosus impēdet exercitijs subsequētibus.

Pirmò vacabit,

Operum quotidianorum perfectioni, seu perfectæ, exactæque, & omnibus quoad potest fieri numeris absolutæ transactioni. Summa, tota, compendiosaquè perfectio est hæc Religiosi hominis, ordinaria benè perfectèquè peragere. Hoc primum, hoc solum, hoc semper in vita præstare Religioso sufficit: plura ab illo non requiruntur: imò nec acceptantur, si omissis aut obiter perfectis ordinariis, quamlibet magna & insignia alia obtrudantur. Dicitur talibus à Deo: *Quis quæsivit hæc de manibus vestris?* Isa: 1.12. *Ecce in Ieiuniis vestris invenitur volūtas vestrâ &c* Is. 58 3. Magna insania est, & tamen inter Religiosos quoq, vulgatissima, ac ideò iam non insania, sed recepta consuetudo, negligere, vel neglectim ordinaria, communiaquè facere: aliqua autem alia, tanquam scilicet opera supererogationis, & perfectionis amplioris peragere. Nullo quidem alio operæ pretio, quàm prævaricatione Divinæ voluntatis, Vitæquè communis ac disciplinæ corruptione, meriti amissione, diabolica illusione, & insultatione, temporis & laboris iactura Magna enim & mera est iactura temporis, bona non benè agere: illusio etiam manifesta: quia homo satis esse putat, bonum egisse: absq; cura benè agendi, qui est intolerabilis error in vita spirituali, maximè Religiosa, in qua diabolus non hoc curat, ut Re- B ligiosi non agant bonum: id enim difficile fieri potest, ob vigilantiam disciplinæ: sed hoc maximè satagit, ut bona quæ agere coguntur, negligenter, & non benè agant: ad hoc enim non pertingit cura Superiorum, & disciplinæ, cum in interiori applicatione consistat: & à fervore Spiritus charitateque procedat, quæ si non est, mox tepor regnat, & perfunctoriè bona, ad oculum solum, metu pœnæ peragit. Inter prima i- C gitur documenta, suum per Tirocinium Religiosus novus observanda seponat, atq; ad extremam prorsus senectam, servare pergat Ordinariorum perfectam transactionem.

Sciendum porrò. 1. Aliud esse bonum agere: aliud benè; illud substantiam, hoc modum operum, actionumque dicit. Religiosi habent hoc à Religione beneficium, quod ab ea constitutas, præscriptasque habeant omnes pro tota vita actiones, ita ut D hac eos cura distineri minimè sit opus, quid agant, quid agere debeant. Habent enim hoc à Religione, & à Superioribus præscriptum & designatum, à quibus quidquid designatum est, hoc ipso rectum & bonum censeri debet: nisi manifestum peccatū designatum esset: quod nec Religio, nec Prælatus Religionis potest: quin continuò

nomen

nomen & jus suum, quoad hoc amittat. Sola & una est Religiosis cura relicta, benè peragendi ea, quæ ordinata sunt: & hæc quidem non integra etiam: Nam & eãdem curam non parum ex parte aufert providentia ordinantis, quæ non tantum quid agendum, sed etiam ubi, quando, quandiu, cum quo, juxta quam normam agendum sit, ordinat & præscribit: in quibus non modica bene agendi portio consistit: sed unica illa Religiosis agentibus & actoribus est cura relicta, quæ ab interna cujusq; devotione, piaque voluntate descendere debet. Hæc etsi plurimas complecti potest rationes, quibus opera nostra sublimari & perfici magnopere, cum ingenti merito gratiæ atq; gloriæ supernaturalis, nec non præterea cum multiplici aliorum bonorum accessione: quas recesere longum & ab hoc loco valde alienum est: tamen ad pauca præcipua capita revocari possunt. Sunt autem hæc: 1. Intentio, 2. Attentio. 3. Devotio, seu fervor 4. Conscientia, seu Perseverantia, ad quæ omnia deducit Charitas Dei, hæc enim docet nos omnia, quæ agẽda sunt, Agere dignè Deo: seu, ita, quomodo dignus est Deus, quomodo placet Deo, ut placeat Deo, sub quà una re, quàm multæ perfectiones excogitari possunt, sublimitatesque inveniri, tam multas contineri, manifestum est cuilibet, si modo sensum verborum percipit.

Igitur Tiro, quidquid aget maximum, juxta ac minimum: Curabit ut sit in substantia suà vel bonum, vel saltem non malum, sed à circumstantia aliqua honestabile, quod potissimum ab Intentione, obedientia, charitateq, fieri debet. Curabit deinde ut agat suo tempore, loco, modo, suo inquam, id est eo, quo in Religione præceptum, receptumq; est, & juxta ea, quæ sunt de hoc, vel illo opere in Regulis, vel Instructionibus præscripta, consuetudinevé maiorum laudabili recepta & approbata. Curabit præter hæc, ut agat Intentione bona supernaturali, sublimi, perfecta, plena: quà de re supra satis dictum est. Curabit etiã ut agat cum attentione, applicatione, diligentia, & reverentia, tanquam in oculis Dei præsentis & spectatoris. Curabit ut agat devotè seu ferventer, non in charitate tantum & gratia. sive amicitia Dei, (hoc enim supponitur in Religioso, quod non sit in peccati mortalis statu, in quo nulla opera hominis, Deo sunt grata,) nec solum ex charitate, vel pro charitate, quia hæc intentio secum adfert, sed etiam cum charitate, eàq; ferventi ignita, & tali, qualis est ardenter, amantium propria. Curabit ut agat constanter, exactè, omnibus numeris absolutè & perseveranter, juxta præscriptum. Curabit, ut agat unitè ad merita Christi: ad instar etiam Christi. Curabit, ut agat semotis imperfectionibus, non tantum intrinsecè, opus ipsum vitiantibus, sed etiam extrinsecè adiunctis, sive operi, sive A operanti: quales sunt levitates aliquæ externæ ac immodestiæ: Curiositas sensuum: cognitiones de rebus impertinentibus, aut non pijs: intuitus ad gustum hominum, aut ad proprium commodum, puta laudem approbationem: garritio non necessaria: præcipitatio in agendo, vel lentitudo & mora inutilis, aliæq; id genus imperfectiones, ex quibus nævi adhærent, coram Deo ipsi agẽti, ac propter eum etiam sæpè ipsi actioni. Sic agere est dignè Deo agere: vel ut de Salomone dicitur, hoc est: *Magnificè Sapien-* B *tiam tractare.* (Mach. 2. 9.) vel ut in Apocalipsi à quodam requiritur, hoc est: *plena opera habere coram Deo*, vel *solicitè ambulare cum Deo*, vel *dies plenos possidere*, ut scripturæ loquuntur. Sic agere, est Ordinaria, non ordinariè, sed perfectè ac sublimiter, Heroïceq; agere. Sic agere Sanctitas est, & quidem sine periculo admirationis & humanæ laudis, sed est humilis, & solis nota Divinis oculis, & maxima in minimis: pretiosissima in vilissimis. Sic agere, qui didicerit *legem implevit*. Sic agere, qui assuevit, & in morem sibi induxit: huic, *non est* C *lex posita*: sed ipse sibi, & alijs lex est. Sic agere, est & *lucentem & ardentem lucernam esse.* Sic agere, est quodlibet opus, Heroicum & Superogatorium opus facere, est Deo cœlum in terra repræsentare: est sic in terra voluntatem Dei, sicut & in cœlo adimplere. O sic agere condiscat Tiro, & in sic agendo, ad ultimam mortem perseverare assiduò curet Tiro. Sic enim agens omnibus veteranis par erit Tiro: & in brevi explebit tempora multa.

D *Secundò vacabit* Custodiæ exercitioque, & amori Munditiei externæ circa seipsum, in vestitus sui munditia & compositione, in lectuli, in loci sui, seu cubiculi mundo & decenti nitore: in rerum omniũ quibus utitur munditia, ordine, conseruatione, In officii sui, nec non rerum ad suũ officium pertinentium, munda & integra conservatione, esto res sint viles, sint vetu-

stæ.

stæ. Hæc cura atq; Virtus, Iudicio S. Patris nostri utilis est, ad valetudinem conseruandam, & ad ædificationem proximorum, proinde vult illam nostris hominibus magnæ curæ, estq; omnino necessaria his, qui cum proximis versari volunt. Est etiam index castitatis, est comes paupertatis: est exactæ obedientiæ propria filia, soror modestiæ, deniq; alumna diligentiæ. Discat ergo Tiro, ab initio conversionis suæ, pro tota vitâ suâ mundè & decenter tam circa seipsum, quàm omnia habere, atque conservare, operamq; dare, ut quàm diutissimè in sua integritate conserventur. Quod quidem facilè assequetur: si Domum Religiosam esse domum Dei, domumquè Sanctorum cogitaverit: si Res omnes quæ domi, quæ apud illum sunt, pretium esse sanguinis Christi ejusdemq; patrimonium sibi persuaserit si res suo usui vel curæ cõcessas, commissasvè Christi Divitias, & famulorum Dei usibus deputatas res crediderit. Itaq; nec dispersas res suas, nec temere positas, nec luto infectas, nec pulvere obsitas, nec laceras, nec immudas, neque confractas esse sinet: sed in competenti ordine, munditiaq; conservabit collocabitq;, tanquam si quotidie ab aliquo magnæ authoritatis viro essent, vel inspiciendæ, vel in usu habendæ. Revera enim & à sanguine Christi pretium habent: & de Patrimonio Dei sunt: & nobis tantum ad usum, aut ad conservationem dantur: & servire adhuc aliis debebunt, & in Angelorũ in Sanctorum, in Dei filiorum oculis manibusq; versari solent. Accedit quod à singulorũ munditia, totus consurgit domûs, & ordo, & mundities: Sicut è contra singulorum esto paucorum immundities, totam domũ reddit inquinatam, & externorum invenientium, vel videntium sugillationi expositam. Magni ergo æstimabitur à Tirone hæc virtus, ejusq; exercitatio inter curas non postremas habebitur. Dicebat S. Bernardus. *Paupertatem quidem amo: & sordes non amo.*

Tertiò vacabit. Exercitio Resignationis in Dei voluntatem, nec non Indifferentiæ ad omnia, & in omnibus etiam minimis. Maxima Virtus Resignatio: & revera apex, consummatioq; Virtutum, ipsiùs etiam Charitatis: si in sua latitudine, tota sumatur resignatio: cæterum hoc loco paulo pressiùs tàm sumimus eam, quàm præcipimus: etsi extra dubitationem cuilibet Religioso, potissimum autem Nostræ Societatis eam virtutem, in omni perfectione sua, maximè necessariam esse confirmemus. Sed quia in præsenti hoc non agimus: quod ad Tironis exercitium satis erit, tractamus.

Resignationis exercendæ in Tirocinio sunt minimæ quidem frequentes, tum occasiones: & eæ quidem ideo, ut in minimis pudeat Tironem non vincere, in frequentibus autem facile sit discere practicè victoriam propriæ, sequelam Divinæ Voluntatis. Quod Tironibus in hebdomadas, dies, horasvé, studia, exercitia, labores, socij, loca, lecti, vestes, libri, mutentur: quod consultò ea quæ cupiunt, negentur, subtrahãturq; ea, quæ nolunt, imperentur operanturvé, quod consultò festinantibus mora, morantibus festinatio injungatur: quod tali vel tali modo tractẽtur: hæc & similia non alio consilio fiunt, quam ut Tirones obedientiam, subjectionem, dependentiam, tractabilitatem, mansuetudinem Spiritus, mortificationem cupiditatũ, designationumq;, abnegationem propriæ voluntatis & Iudicij, Resignationis & indifferentiam ad omnem nutum Dei projectionem & fiduciam, sui in Providentiam Divinam, ediscant penitus, imbibantque medullitus: & fiant instar senilis Scipionis & baculi, instar mortui cadaveris, quod se tractari versariq; sinit, juxta omnem volũtatem alienam, absq; ulla resistentia, cumque omni in omnibus mutationibus æquabilitate & imperturbabili pace. Sciat ergo Tiro valde miserum turpe & à statu Vocationeq; sua alienum esse in supradictis occasionibus turbari, passione moveri, obmurmurare, conqueri, hæc enim qui faciunt servum se propriæ voluntatis, non Divinæ amatorem ostendũt: & nisi se strenue nunc inter hasce minutas occasiunculas vincere addiscat, maximis se versaturum jactandumq; in difficultatibus toto vitæ suæ tempore certò sciat. imò se ad Religionem hanc ineptum nôrit.

Sciat etiam Tiro turpe esse prævolare cogitatione, quid de se, deq; alijs sit statuendum, colloqui hac de re cum alijs, designare apud se, in desiderio quid potissimum velit aut speret, quidvẽ nolit præcurrere ante tempus, vel ante alios ad Tabellam, in quâ officia nova sint proposita. Bonus & prudens Tiro talia omnia importunæ volun-

tatis, cupiditatisq; immortificatæ argumẽta rescindet à se uno Resignationis & Sanctæ Indifferentiæ argumento, dicens. *Dominus regit me: & nihil mihi deerit. Dominus providebit sibi victimam. Pater mi, fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Pater non mea voluntas, sed tua fiat: Non quod ego volo, sed quod tu. Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in cælis est. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic faciam. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum. O Domine venit hora, ut frangatur rebellis voluntas mea. O Domine ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates* Hic est Spiritus, hic est genius Sanctæ Resignationis, ad hunc solem exploret se, quilibet Societatis Tiro, tanquam aquilæ pullus utrum genuinus sit & non adulterinus fætus. Si enim talis ei Spiritus non sapit: spurium vitulamen esse non est dubium: si talem amat, & desiderat facilitatem & tractabilitatem mentis, non est alienus: sed est filius ejus qui dixit: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me, Patris.* Expectet ergo omnem de se dispositionem, quilibet Societatis Filius, tanquam de manu Dei: acceptet, osculetur, veneretur, exequatur, ut talem, pro ea gratias agat cordiales Deo, qualiscunq; demum ea fuerit; certò sibi persuadeat eam esse sibi, hoc tempore convenientiorem, indubitateq; ad salutem & profectum magis, quam si per omnia gustui suo factum fuisset satis. Hoc enim nihil est periculosiùs coram Deo: quia hoc est tradi in reprobum sensum, & in desideria nociva, & animo irreverenti & infrunito.

Quocirca hoc censere debemus. optimũ nobis quod Deus vult & ordinat per Superiores, in quacunq; demum circumstantia eveniat ordinatio ista: Novit namq; Deus omnia quæ circumstant: novit eventus futuros. Novit bona nostra & commoda: amat ut vult & curat illa nobis melius impensiùsq;, quàm nos. Magis enim diligit nos Deus, quam ipsi nos, quia magis novit nos suos esse, quàm nostros, quocirca cum summo gustu, absq; ulla amaritie sorbendus est de manu Dei oblatus calix: quia non poterit non esse salutaris, quibuscunque demum sit mixturis temperatus. Hoc ingenium qui sortitus, qui assecutus est à Deo, factus est supra mundum, supra omnem mutationem, excessit aera & nubes, adeptus est pacem, quæ exsuperat omnem sensum, omnem Crucem exhausit, & vertit in delicias: non reliquit sibi ad inquietudinem, ad sollicitudinem, ad molestias viam, adeptus est Dei omnipotentiam: & cum voluntate Dei, ita coaluit, ut tam illa ipsius, quàm ille ejus juris sit: fitq; dubium Deusné suam voluntatem, ejus voluntati, an ille suam Divinæ resignaverit vel conformaverit: usq; adeo non tam homo Dei, quàm Deus hominis obsequitur in hoc statu voluntati. Supra quod virtus in hac
A vita altiùs non ascendit: estq; status Beatus in cœlo hoc uno felicior supra istum, quia immutabilior isto. Ad quem utinam non tantum Tirones, sed etiam Tironum Magistri: ipsorumq; Magistrorum Patres perveniãt, pervenireq, satagant! Sed de hoc Exercitio plenior recurret tractatio inferiùs, Mense scilicet II. Exer: 5. ubi de Unione & conformitate cum voluntate Dei ejusdẽque amore tractabitur.

Quartò vacabit. Victoriæ abne-
B gationi, & fugæ curiositatis in noscendo, indagando, sciendo, narrando, conjectandoq; res ad se non pertinentes. Vulgare tritumq; est de Novitijs proverbium. *Novitius est animal curiosum*, etiam non videndo videt: clausis inspicit oculis: ignota conjicit: & libenter denarrat ut sapiens atq; sciens rerum non cuilibet cognitarũ videatur. Periculosa vitiositas, & opinione vulgari majus habens incommodum, non admittens tantum diabolum ad animam, sed etiam inducens, imò invitans & attrahens. Pro-
C pter Curiositatem, non possunt Religiosi dediscere mores antiquos, nec oblivisci mundi, nec inolitas vitiorum ex animo delere imagines: Curiositatis enim vitio, & narrationibus, ac indagationibus novitatum, semper renovantur, & iteratò in anima & in memoria imaginationeq; quasi novis coloribus repinguntur. Hoc igitur aget Novitius, ut ubicunq; eum esse contigerit, nihil eorum inter quæ versabitur, nullas rerum personarumque imagines animo recipiat, vel receptas cita oblivione deleat,
D quod faciet non commemorando apud se, non narrando. Non erit spongiæ similis, quæ etsi aquam vix tetigerit, tamen illam mox imbibit, leviterque compressa, eam statim fundit: sed sit lapidis instar, qui etiam centum annis in aqua jacens, eam tamen non imbibit, neq; mollescit, & quam primum extrahitur, mox desiccatur tam foris, quàm intus. Talem esse Religiosi animum decet, inter externas res, personas,
E curasq;

curasq; versantem: qui aliter se habet, is inquietudines animi, evagationes, maximè inter orandum, vanissimas imaginationes, somnians, atq; vigilans pati cogitur. Neque hoc solus sustinet, verum & alios suis malis inficit; eos nempè quibus audita aut visa, aut cognita retulit. Necesse est, nimirum, impleri dictum Sacræ Scripturæ. *Qui addit scientiam, addit dolorem, qui minoratur actu, Sapiens.* Quæ etiam ideo admonet: *Fili audisti verbum: serva illud: non enim te disrumpet,* sunt enim aliqui, qui quacunquè re cognità, visà, audità, ita afficiuntur atq; pruritum patiuntur linguæ, ut si disrūpendi foret, si non illicò apud alios, opportunè, importunè effutiverint. Similes illi apud Comicū dicenti. *Crepo erepo: plenus rimarum sum: totus hac illac perfluo.* (Plautus) Quos eadē Sacra Scriptura comparat cani sagittà vulnerato: ait enim: *Sagitta in femore canis, sic verbum in ore stulti.* Confixus canis tamdiu currit & eiulat, quamdiu sagitta non excidit: ita isti audita aliqua novitate aut curiositate, tamdiu quæritant & obambulāt, donec aliquem inveniant, cui rem cognitam insusurrent. Res omninò indignissima: & summè dedecens omnem quidem hominem, & maximè Religiosum spiritualemq; quibus vivendum monet Apostolus: Sicut decet Sanctos: agendaq, omnia prout ipsorum addecet gravitatē, sive honestatē.

Quintò vacabit Contemptui respectuum humanorum: atq; extirpationi studii satisfaciendi placendiq; hominibus, eorum judicia evitandi. Protestatur Apostolus Paulus: *Si adhuc hominibus placerem servus Christi non essem.* Et iterum: *Mihi pro minimo est, ut à vobis aut ab humano indicer die* Gravissimè autem Christus Dominus interminatur: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo; qui autem me erubuerit, coram hominibus erubescam, & ego eum coram* Patre meo, *& coram Angelis.* Causa tantarum Christi & Apostoli asseverationum est, quia & Apostolus, & Christus Dominus sciens infelicissimam captivitatem, quà vulgò etiam optimæ mētes teneri solent, ab amore proprio primū, tum deinde à studio placendi, à metu verò displicendi oculis & judiciis hominum, quod malum, vulgò Spirituales homines vocant *Respectus humanos,* volens autem eas hac Captiuitate liberare, tam prægnantes ponderosasq; uterq, protulit sententias, quibus omnia Respectuum humanorum vincula omnesq; cippi disrumpi & executī possent. Quo etiam consilio, aliàs sæpiùs Dominus noster exaggeratissimis sententiis respectuū humanorū servitutem à suis sectatoribus arcet. Nunc quidem docendo, eos, qui hanc servitutem serviant, incapaces esse non tantùm salutis, sed etiam ipsiùs fidei: cum ait: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem quæritis?* Nunc verò omnes istos exclusos à regno Dei, vilissima mercede contentatos pronūA ciando: *Amen dico vobis, receperunt mercedē suam:* Nempè vani vanam. Nunc dicendo: *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* (gravissimum scilicet malum, quod homo ab homine perpeti potest in exemplum ponit) *post hæc autem non habent quid faciant: Ostēdam autem vobis, quem timere debeatis: Timete eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittere animam in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Quæ verba Domini, & alia plura his similia, satis indicant, non tantum curam ejus in absterrendis nobis B ab hoc vitio, sed etiam malignam, pestiferamq; naturam hujus vitij. A quo vix quisquam etiam robustè perfectorum, liber plane ab experimento comprobatur. Sanctus Franciscus Xaverius Noster, respectuum humanorum morbum solebat vocare *Idolum,* cui universus mundus etiam fideliū genua flectat, & sacrificia faciat: hoc autem Idolum vocari dicebat, *Quid dicent?* cuius idoli metu infiniti infinita, seu mala committunt, seu bona omittunt, seu bona faciunt, seu à malis abstinent: Quo etiam C sensū idem Sanctus amarà & alta voce repetebat verba illa. *O opinio, opinio, quanta mala in mundo fecisti, facis, & factura es?* Revera enim opinione mundus gubernatur, & peccat, & perit. Tolle opiniones, tolle metum opinionum, tolle spem opinionum: omnes malos sustulisti, omnes bonos fictè in verè bonos verosq, Dei servos commutasti. Hoc ergo malum opinione latius patet, validiùsq; dominatur, & subiectos premit: & qnod sine dolore dici nequit, in perfectorum virorum genus potissimum D desævire contendit, non absq; frequenti successu.

Contra hoc malvm pugnare multi nolunt, multi nesciunt, multi differunt, multi etiam dedignantur, & nescio an puerile, an supervacaneum credunt Cum tamen hoc malum, vel maximè formidandum sit ijs, qui illud minimi faciunt. Hoc enim malum ex eadem radice, cum superbia & vana

vanâ gloria, & hypocrisi, & amore proprio, & pusillanimitate, & tepore acediaq; excrescit: omnibusque his fidelissimè famulatur, & alimentum copiosum subministrat.

Contra hoc malum (mea quidem sentētiâ) ab initio statim conversionis, vitæque spiritualis pugnandum est, hæcque pugna, semper continuanda donec ad finem vivēdi pugnandique veniatur. Sed, uti dixi, ab initio statim huic pugnæ asuescendum est: nam alias si initio non fuerit expugnatum aut saltem oppugnatum strenuè, deinceps fiet malum domesticum intrinsecumque: ac per hoc inexpugnabile: quia nimirum familiare. Adeò quidē, ut etiam inter virtutes, prudentiæ potissimum & discretionis, sit cum tempore collocandum & connumerandum. Tiro igitur Respectuum humanorum erit, & ab initio & tota deinceps vita Religiosâ, implacabilis acerrimus vigilantissimusque hostis: occinens illud sibi vel Apostolicū: *Mihi pro minimo est,&c. Si adhuc hominibus placerem, servus Christi non essem*, vel Christi Domini *Qui me erubuerit coram hominibus*. Vel illud nescio cujus. *Propter te Domine, propter te*: vel illud Bernardi: *Non propter te cœpi, neq; propter te finiam.* vel illud cujusdam ex nostris priscis Patribus. *Ecce ego Domine & omnia mea coram te: Non propter me, non propter consuetudinem, non propter alios, sed propter te Domine Deus meus & omnia &c.* vel illud Christi Domini. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Et ita Pater quoniam sic placitum est ante te.* vel illud Davidis: *Et exaltetur Deus salutis meæ.*

Ad hanc pugnam bene feliciterque peragendam primarie juvabit Tironem Intentiones bonæ, rectæ, & puræ studium frequētatioque, de qua supra dictum est, cum respectus homini directe intentionem bonā avertant. Iuvabit etiam. Præsentia Dei æstimati super omnia, atque amati, eiq; soli placendi studium. Iuvabit etiam (& nisi fallor maxime, quanquam & ab aliis juvanda est auxilijs) Sancta Spiritus libertas, atque Dominium in Virtute, qua homo tanquam in suo Regno tanquam in suâ domo, tanquam in suo fundo plantat operatur ædificat opera virtutis, cum omni libertate, & uti phrasis est Evangelica, *tanquam potestatem habens.* Ad eum modum planè quo sæculares homines sæcularia sua opera studiaque etiam peccaminosa operantur libere inter se & absque pudore: ita etiam Religiosus, vel potiùs Religiosi operari debent, opera virtutum & perfectionum& sanctitatis omnis receptæ atque cujusvis in Religione absque metu, absque verecundia, absque retardatione, & reverberatione seu reverentia alienorum oculorum, & scientiæ.

Sicut enim mundus est regnum vitiorū, ita Religio est Regnum Virtutum: & sicut virtus abscondit opera sua in sæculo, in quo vitia perfricta fronte incedunt: ita in Religiosa domo Virtus quidem sine verecundia A (ut sic loquar) incedere debet: vitia verò in angulis delitescere, vel potius exulare. Alioqui væ & decies væ Religioni illi & communitati illi in qua Virtus quidē probro & verecundiæ est, angulosq; & latebras quærere cogitur irrisores, censores, osores, & discolos, vitia frontem palam sunt & effrontem ostentant, & inter mores, urbanitatesq; cōputantur. Talis enim communitas non tātum est ruinæ vicina, sed corruit jam: stillātemq; furorem Dei expectat propter abominationem desolationis stantem B in loco sancto, in quo non debet.

Maximè ergo faciat, & maturè consuescat, Tiro huic exercitio contemnendorum respectuum, evertendiq; Idoli. *Quid dicent*: Studeat Domino in Virtute & magna Spiritus libertate conservet hæreditatem suam, sibi atq; Virtuti & Disciplinæ Religiosæ, palam profitens se ad nullius gratiam Deum velle offendere, vel virtutē deserere, vel Regularum disciplinæq; observationem, integritatemq; negligere. Eligatque potiùs: pati propter Iustitiam, quā cum lupis (ut ajunt) ululare, & aggregari C discolis, stareq; vel abire in via tepidorum, ad provocandam iram Dei super omnes. Stet potiùs ex adverso & opponat se murū pro Deo: cum omni humilitate mansuetudine patientiâ, constantia: neminem damnando & judicando, nulli tamen in malis moribus communicando, propter nulliùs censuras aut irrisiones, aut gratias, à recta virtutis via deflectendo. Talibus enim servis delectatur Deus, & pluris unum talem præmultis tepidis facit, per taD les, alios plerumq; confundit & emendat: alios verò infirmos corroborat & erigit: ut & ipsi audeant propter virtutem aliquid tum agere, tum pati. Talibus dicit Dominus de talibus *Dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum*: Et *Dedi te in murum ferreum.* Talem fuisse Ioannem Baptistam: asseruit Christus de eo dicens. *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatā?* Veri enim Dei servi, ac præsertim in hac

minimâ Societate debent esse Lucernæ ardentes & lucentes, neutrum deesse illis debet. *Est enim* (ut ait Bern:) *tantùm lucere vanum, tantùm ardere parum: lucere & ardere perfectum.* Lucent porrò servi Dei, quãdo proximis per bona opera viam vivendi monstrant: ardent autem, quando bona quæ faciunt ardore charitatis Divinæ conservant, secundùm illud Domini quoq; dictum: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona: & glorificent:* (nõ A vos quidem, ait August.) *sed Patrem vestrũ qui in cœlis est.* Sic enim justi vivere debent inter alios, ut bona opera illorum etiam alij videant quæ imitentur: quod est lucere: propter bona tamen illa, non ipsi operantes laudari velint, sed Pater cœlestis communis, omnium bonorum dator, exaltetur. Timorem ergo hominum ô Tirones Religiosi ne timueritis, sed si propter virtutem, disciplinam, observantiam, aliquid perferendum occurrerit, hoc inter lucra & beatitudinem reponetis. Beati enim B qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: non tantum illud futurum: sed etiã in præsenti, Regnum consciẽtiæ bonæ; imò etiam successu temporis, Regnum bonæ famæ: Tales enim, qui nec displicendi motu, nec placendi studio, dimoveri à Religiositate disciplinæq;, observantia, & tramite Virtutis se sinunt, tandem in admiratione, in reputatione, in honore, in amore, denique, quod maximè optandum, in imitatione sunt. Ita ut qui antea irridebantur tanquam scrupulosi, postmodum honorentur, tanquam boni & solidi Religiosi: & qui antea fugiebantur tanquam morosi & tetrici, postmodum æstimentur & assumantur, tanquam morum specula, & vivendi Magistri. Sic nimirum Deus glorificantes se glorificat, diligentes se diligit, & eos qui magis obediunt Deo quàm hominibus, exaltat & præfert cæteris hominibus: *qui autem contemnunt illum erunt ignobiles* quia dilexerunt magis gloriam hominum, quàm Dei.

Notandam hanc observationem atque Mutationem, notavit Augustinus, & retulit his verbis: *Cum quisq; Christianus cœperit benè vivere, fervere bonis operibus, mundumq; cõtemnere: in ipsa novitate operum suorum patitur reprehensores, & contradictores frigidos Christianos. Si autem perseveraverit, & eos superaverit perdurando, & non defecerit à bonis operibus, iidem ipsi iam obsequentur, qui antè prohibebãt. Tamdiu enim corripiunt, & perturbant & vetant, quamdiu sibi cedi posse præsumunt. Si autem victi fuerint perseverãtia proficientium, convertunt se, & dicere incipiunt, Magnus homo, Sanctus homo, felix cui Deus concessit. honorant, gratulantur, benedicunt, laudant.* Aug: ser: 18. de verbis Domini: secundùm Matthæum.



EXER-

EXERCITIA SEXTI MENSIS.



SExti Mensis Exercitia Tiro habebit hæc quæ sequuntur.

Primò vacabit, Cognitioni, contemptui, humiliationi, suimet practicæ quotidianæ: ita ut humiliatio sui, & vilificatio & exinanitio, & abiectio, & contemptus proprius, tam à se, quàm ab aliis quibusq; susceptus, efficiatur homini panis quotidianus, esca electa, & cibus delicatus atq; præ omnibus mundanis honoribus, successibus, voluptatibusq; appetibilis. Hunc petat, hunc intelligat, hunc tota cordis fauce, tota mentis fame esuriat quotiescunq; dicit. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quod est ros sitienti terræ: quod est sal insulso cibo, quod est aqua pisci extracto, quod est medicamentum infirmo, hoc sit humiliatio, & contemptus Religioso: & inprimis quidem Novitio: qui quamdiu ab hoc spiritu humiliationis sui non inceperit: quandiu hanc insatiabilem contemnendi se, & à se, & ab aliis, famem avaritiamq; non didicerit, tamdiu nullum solidum in virtute profectum facturum se fecisseq; sciat. Inde incipiendum, hac pergendum, hic perseverandum usq; in finem, plenè sibi persuadeat.

A Quotidie igitur Tiro Religiosus, certum à se numerum, humiliationum, externarũ, internarumq; cordialium, & ex animi de se abiectissimè, (hoc est veracissimè, debitissimè, justissimeq;) persuasi profectarum, tãquam irremissibile pensum exigat, quas ipse sibi ultrò ingesserit, vel ingeri curaverit, uel sine cura aliunde sponte ingestas hilariter exceperit: adeo ut tristis dormitum concedat vespere quoties sibi parcus, extitisse videbitur in humiliatione, aut rariùs se humiliatum invenerit ab aliis in die.

Scio, angi sæpè, atq; dubitare & inquirere Tirones, unde & quomodo se contemnãt atq; humilient? Unde, quærunt? quia sui notitiam non habent. Quomodo dubitãt? quia praxim humiliationis non didicerunt. Quanquam si verum fateri velimus, neutra in nobis deest notitia, sed tantum deest, utriusq; notitiæ ad nos applicatio debita & practica. Cujus rei manifestum indiciũ & notitia illa, quam de aliis habemus. illa inquam notitia qua novimus, & unde, & quomodo alios humiliemus atq; contemnamus quam notitiam, si ab aliis abductam ad nos transferremus, citò, atq; adeò statim perfectissimi in humiliãdi nos arte, scientiaq; evaderemus Ex quibus enim capitibus alij apud nos solent esse abjecti: exijsdem, & nos apud nos ipsos, (apud aliosq:) esse debemus: quoniam sine dubio, nullo illorum capitũ caremus. Pari modo: quibus affectibus alios quos viles ducimus prosequimur, ijsdem nosmetipsos, & ipsi persequi: & ab aliis, ut item afficiamur optare debemus.

B Sed quamvis hoc ita sit, quamvis inquam satis in promptu sit materia seu causa, simulq; modi nos humiliandi: erit tamen operæ pretium Tironibus fontes horum omnium, atq; adeò hujus Exercitij praxim digito monstrare.

Humilitas, seu animi demissio, uti nomẽ utrumq; sonat, est parva & vilis, abiectaq; de semetipso opinio: Nota ex cognitione suæ propriæ vilitatis: quæ cognitio, quantò est intimior & exploratior, tantò opinio

C de se vilior: quanto autem opinio de se vilior, tantò animus demissior, atq; ita homo totus est efficiturq; humilior. Humilitas ergo prærequirit & supponit, tanquam fundamentum notitiam sui: producit autem tanquam fructum, abjectionem & despicientiam sui, cum alijs ad hoc ipsum servientibus, quæ omnia uno nomine com-

D prehensa vocantur Humiliatio & contemptus sui. Etsi autem Humiliatio sui nascatur ex humilitate, sicut hæc à sui notitiã tamen vicissim humilitas propagatur, & fovetur, & radicatur, & alitur Humiliatione sui: utrisq; succum salutarem subministrante Cognitione sui. Cognitione ergo opus est, inprimis ad humilitatẽ, & ad humilitationem sui.

Cognitio sui paratur tribus modis. 1. Sui

Sui inſpectione. 2. Sui ad alios comparatione. 3. Sui quotidiano experimento.

Quantum ad primum inſpiciat ſe, origineſq; ſuas homo: & cognitione, humiliatione humilitateq; illico abundabit homo. Benè S. Bern. meditatus de homine ait: *Cujus conceptio culpa, naſci miſeria, vivere pœna, neceſſe mori.* Sed profundior eſt origo hominis, & fons, anima originis ejus: ſimulquè caput abjectionis eius: nimirum Nihil & non Ens, ſeu non eſſe, Quo fonte & capite, nihil eſt miſerius, vilius, abjectiùs, contemptibiliùs, fragiliùs, indigniùs inſufficientiùs. Quid enim mali & incommodi non à nihilo? Sicut in Deo nihil non eſt Boni: ſed eſt omne bonum, & ſummum bonum, ideò quia non eſt ex nihilo, neq; ex non eſſe, ſed eſt Ens à ſe: eſt id quod eſt. *eſt Qui eſt: Ex* 3. 14. ut ipſe in ſcriptura loquitur: ita per contrarium in homine, nihil non eſt mali, ſed eſt omne malum: & ſummum malum, & pondus in omne malum: ideò, quia eſt ex nihilo & nihil, & non Ens, neq; ullis viribus poteſt extrahi ex nihilo, ita perfectè & plenè, quin infinities plus non ſit, & nihil ſit, vel bonum ſit. Semper enim homo (& id de omni creatura judicium) quantumcunq; perfectus ſit infinities plus habebit de imperfectione, & de non Ente ac nihilo, quam habebit de perfectione & Ente. Quod non diſcurſu rationis, ſed manibus palpare poſſumus. Da hominem debitæ ſtaturæ, quoad corpus atquè formæ, & valetudinis, & elegantiæ, & roboris, da quoad animam magnæ memoriæ ingenij, ſapientiæ, judicij, gratiæ, ſanctitatis, ſcientiarum, artium multarum &c, tamen in hoc homine ad ſtaturam ejus infinita deerit ſtaturarum multitudo, infinitæ formæ, valetudines, elegantiæ, vires: quæ in tot alijs ſunt extra unum iſtum. Similiter memoria hujus, non complectitur in ſe omnes memorias: nec ingenium omnia ingenia, nec ſapientia, omnes ſapientias, neq; ſanctitas omnes ſanctitates &c. Quãtulus eſt homo reſpectu unius domus, unius urbis, unius regni, unius terræ, quota eſt particula mundi totius homo unus? infinitum ergo illi deeſt, quoad ſtatum: etſi habere videatur, ſtaturam, cui tamen ille (ut ait Dominus noſter) *non poteſt addere cubitũ unum,* non tamen cogitando, ſed etiam omnes poſſibiles ſuas vires exerendo. Hæc ergo & omnis alia defectuoſitas manat in homine, à nihilo ex quo eſt homo, imò quod eſt, & impoſſibile eſt ut non ſit Homo. Dixi omnis defectuoſitas: quia & Naturalis, & Moralis, quæ quidem eſt longe priore miſerabilior, quia damnabilior homini, & odibilior Deo. Miſeria nempè peccati, vulgo peccaminoſitas. Eſſet homo & centies, millieſq; eſſet ex nihilo: eſſet miſerrimus naturæ conditione: ſi non eſſet peccaminoſus: magna & abundãs hæc eſſet conſolatio. Sed quis eſt homo, ut non peccet? *Nemo mundus à ſorde: inven-*

A *tu* non tantum peccati, ſed multo profundiùs peccaminoſitatis. Itaq; non eſt peccatum quod fecit homo: quod non poſſit facere alter homo. Ergo quod homo peccare poteſt: quod tendit natura, nihiloq; ſuo in peccatum: ſatis eſt ad contumeliam, ſatis ad vilitatem, ſatis ad contemptum, ſatis ad humilem de ſe opinionem, ſatis ad humilitatem. Cui ſi accedit, imò quia accedit Originale peccatnm, tot mortalia commiſſa actualia: tot venialia quotidiana: tot habitus pravi qui vitia vocantur: tot

B propenſiones ad mala ad peſſima, ad malorum monſtra: tot paſſiões ad nequitiam præcipitatiſſimi duces, tot cæcitates, ignorantiæ, dubia, opiniones, errores, etiam in naturalibus, etiam ſuis proprijs, multoq; magis in alienis & ſupernaturalibus: tot malitiæ perverſitates, obſtinationes, & obdurationes voluntatis, tot maculæ vulneraq; in Anima & corpore ex peccato relicta: tot rebelliones & abſurditates ipſis etiam beſtijs pudendæ ac ignotæ, tot reatus culparum pœnarumq; culpis debitarum:

C de quibus dictum: *multa flagella peccatoris: Pſal:* 31. 10. tot genera ſuppliciorum: ipſa æternitas eorum, ipſa impoſſibilitas virium ad ſurgendum à peccato, ipſa tentationum moles, vis, aſſiduitas: ut *Tentatio vita ſit noſtra appellata:* (Iob: 7. 1) tot modi peccandi pereundiq;: ipſa mortis corporeæ genera morborum infinita ſunt: quanto infinities plura mortis Spiritualis & animæ? Impoſſibilitas etiam non peccandi ac ſine peccato vivendi proprijs viribus. Ipſa deniq (repetere enim illam oportet, vel millies, ſuper-

D biæq; noſtræ retundendæ inculcare) ipſa in quam, & una ſolaq; peccaminoſitas, & in omnia peccata corruendi poſſibilitas, pronitas, tendentia, feſtinatio, conatus, impetus, præcipitatio pluſqaum incitatiſſima, & nullis abſolutè viribus ex nobis radicitus exſcindenda: pro quantum eſt monſtrum, quantum chaos, quam inexhauſtum mare, ſicut miſeriarum, ita & humiliationum noſtrarum: eſto etiam ſi in ipſo Beatorum ſtatu eſ-

tu essemus: adhuc tamen hæc cogitantes meritò humiliaremur, sicut certè Beati humiliantur, hæc in se etiam intra Beatitudinis statum intuentes.

Quantum ad Secundum. Comparet se homo aliis, Deo, Christo. Creaturis. Hominem Deo comparare possumus dupliciter. 1. Secundùm se utrumq́, sumendo Deum in se, hominem quoq́; in se, (esto etiamsi non cogitetur homo ex Deo esse, & habere tam ipsum se, quàm alia omnia,) hoc quidem modo, pudet hominem Deo conferre; quia non sic scintilla coram sole, non sic atomus coram universo: non sic guttula roris coram mari: non sic folij unius strepitus coram vastissimo nemore dìsperit, quam homo compositus Deo in natura, in essentia, in perfectionibus. Nec est quod in hac collatione morer, tantùm dico, etiamsi per impossibile Deus, non esset conditor & autor hominis, adhuc tamē homo deberet se abiectissimum scire & reputare, humiliareq́; tum Deo, tum omni alteri rei. propter Deum, propter sui nihili, ejus dignitati perfectioniq́, comparati, vilitatem.

2. Potest comparari Deo homo, prout est in Deo, & Deus autor ejus conservator, eius gubernator, provisor, tolerator, nutritor, sanctificator, Redemptor, Benefactor, Glorificator ejusdem. Hujus comparationis instituendæ finis non erit, si per omnia eundum erit. Sufficiat homini hoc scire, apprehēdereq́;, & semper in oculis habere: quod à Deo sit. Ex hoc enim quod à Deo sit homo: omnis causa& materia humilitatis & humiliationis consurgit homini. Ex hoc consurgit omne jus in hominem, in omne id quod est, quod facit, quod potest homo: ex hoc consurgit omne debitum, quod homo debet. (omnia autē debet, quia & ab illo omnia habet) Deo. Ex hoc consurgit, quia tam modo homo nihil est ex se, nihilq́; habet, nihil potest, nihil meretur, quando à Deo est id, quod est, quàm nihil fuit, potuit, habuit, merebatur, quando à Deo nondum conditus fuit, sed in suo nihilo latuit: sed quidquid est, potest, habet, meretur, totum id Dei est, Deoq́; debet. Ex hoc consurgit, quia tam nunc & semper debet esse subiectus, omniaq́; attribuens Deo, quam tunc fuit, quando primū ex nihilo educebatur, potentiæ Divinæ manu.

Ex hoc surgit, quia tam modo est in potestate Dei ipse ejusq́; bona omnia: quam fuit in primo creationis suæ instanti: tamq́; est liberum Deo eundem non creare, nihilque illi dare: & tam modo homo indigus est indignusq́; omnibus, & ipso se dum omnia est, indigusq́; est, inquam, Dei conservatrice Sapientiâ, Bonitate, Potentiaq́; quàm indigus fuit, antequam crearetur: tamq́; modo quatenus ex se homo infixus est, tenditquè tota nihili sui naturalis pōderositate in nihilum suum, & in non esse nativum, quam fuit infixus eidem, immò quam fuit exstititq́; nihilum idem antequam crearetur.

A

Christo Domino collatus homo: ab exemplo & vitâ, à doctrina ejus, & præceptis, nihil aliud discet, quàm sui contemptum. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam, sed naturam arbitratus est, esse se æqualē Deo, sed exinanivit semetipsum, formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, factus obediens Patri,* usq́; ad contemptionem, in humano viscere, usq́; ad nativitatem, in stabulo, usq́; ad Circumcisionem; quasi esset obnoxius peccato & egens peccati remedio, usq́; ad paupertatem mendicitatemq́; ipsarum vulpiū, & volucrum egestate maiorem, usq́; ad cōtemptum vermis non hominis, usq́; ad stulti & dæmoniaci, & insani, & blasphemi cognomen, usq́; ad diaboli portitoris manus & ad Iudæ proditoris pedes *usq́; ad mortem, mortem autem crucis.* (ait Apost:) usque ad principatum latrociniorum & latronum, usq́; deniq́; ad sepulturam & sepulchrum, Ohe Christiane: hic tuæ humiliationis contemptûsquè fige metam, ubi Christus posuit suam. Non est discipulus super Magistrum: disce ab eo, quia mitis est & humilis corde: *quia non venit ministrari, sed ministrare,* (ait ipse:) *quia nisi efficieris sicut paruulus Deus iste, non intrabis in Regnum cœlorum.* (ait idem:) Ubi Christum in humilitate æquaveris: tum te humiliare & contemnere desines. Ubi Christum contemptu digniorem, quam te inveneris, tum te contemptui subducere poteris: quodsi desperas aliquando fore: semper ergo ad Christum clama, & pete pro Christo, contemni & pati.

B

C

D

Quanquam superbiæ quædam species videtur homini, velle contemni pro Deo, vel pro Christo, cum Deo vel cum Christo, quasi aliàs non humiliandus sit, nisi prævium habuerit exemplum Dei Christi. Non sic, non sic: sed contemnatur homo, quia Natura & Essentia illius est contemptibilē

& vi-

& vilem esse plus quam cogitare potest, plus quàm contemni vel vilificari potest, quodsi eo vel stultitiæ venit, ut nihilum suum non esse contemptibile, nec contemnendum putet, vel eò superbiæ ut etiam illud extolli secum & in se velit: aspiciat contemptum Deum, & sicut Deus tractavit Dignitatem suam humiliando, sic tractet abiectionem suam homo vilificando: saltem propter exemplum Dei: si non vult aut nescit propter essentialem vilitatem suam.

Comparet se adhuc homo Sanctis & Beatis Dei: & inveniet non eandem tantum, sed multo etiam uberiorem sibi inesse materiam humiliandi contemnendiq; sui.

Comparet se etiam omni creaturæ, omni peccatori, omni etiam damnato: & inveniet in quolibet quo se viliorem putet. Certè diabolus hominem tota natura superat, sed & in hoc minus nocens est, quia spatium pœnitētiæ non accepit à Deo, quo, saltem semel lapsum suum, si corrigere potuisset, in æternum eum non repetijsset: homo autem infinities à peccatis, absolutus & liberatus pretioso etiam sanguine Dei sui: nunquam tamen hactenus à peccando cessavit, esto credat & scia, quantum causà sui à peccatis abluendi, laboraverit impenderitq; Deus suus: quantos Sacramentorũ Sacrificiorum remediantes thesauros reliquerit, totiesq; in tuarum virium remediũ lavacrum, subsidium, pastum deprompserit: quorum nihil impensum in dœmonem: si autem vel umbram harum dignationum habuisset, mille millia infernorum potiùs, quàm peccare subijsset. Videat ergo homo, an infra dæmonum malitiam atq; miseriam, ejus non sit malitia & miseria, & contemptibilitas, humiliandiq; meritum, & debitum, & necessitas. Hoc certè fundamento, atq; hac consideratione homines Sanctissimi, perfectissimiquè ducti, pejores se pessimis quibusq; & latronibus agnoscebant, atq; fatebantur, non minus humiliter quàm verè: omniumquè se criminum & pœnarum, & malorum quæ in mundo fierent reos, suis peccatis arbitrabantur.

Quomodo homo comparatione creaturarum omnium humilitatem discere possit, atq; exercere: legat diligenter Collyrium Spirituale S. Francisci Borgiæ.

Quantum ad Tertium. Ex sui quotidiano experimento, cognitionem, humiliationem, contemptumquè sui, discet Tiro, si quotidiè in suis quotidianis operibus, non tantum malis aut manifestè mâlè factis, sed etiam in bonis, etiam in optimis, judicioquè communi probatis & perfectis, imperfectiones miseriasq; suas inspexerit, & quotidiano experimento imperfectum suum viderit planxeritque. Qua de re, quia jam superiùs dictum est, Mense scilicet 4. Exercitio 3 illuc Tironem remittò interea, nequè enim opus est scribendo repetere: quod utilissimè semper exercendo, practi-
A candoquè repetetur. De Humiliatione dequè humiliationis affectibus, & de praxi eorum, quoniam præsentis Exercitij explicatio, multum producta, est in sequenti exercitio commodiùs dicetur.

Secundò vacabit Affectibus humiliativis, quos pariet in Tirone cognitio sui, jam modo explicata. Notitia enim sui sterilis & insipida fiet, nec Virtuti, sed Theoriæ speculationiquè deputabitur, nisi ad idoneos, competentesq; affectus & fru-
B ctus deducta fuerit. Hi affectus practici esse debent, seu in praxim deducendi sunt: sunt autem duplices.

1. Affectus interni humiliativi hominis: 2. Actus externi, operaquè & officia, & munia humilia abjecta ex spiritu, & cum spiritu contemptionis sui suscepta exercitaq;, sive ex propria electione salva particularitate & ostentatione, sive ex obedientiæ assignatione, aut concessione. Affectus humiliationis sui, non difficilè quisquè discet ex affectibus humiliationis alio-
C rum: quomodo enim afficimur erga alios, dum illos ob eorum vilitatem humiliamus: eodem modò, si erga nos quoq; afficiemur, condignis humiliationis affectibus abundabimus. Possunt autem esse plures & varij affectus hujus humiliationis, præcipui erunt hi.

Primus Affectus Contemptivus, seu cōtemptûs sui, desiderium vehemens & ardens sui contemnendi, à se quidem imprimis, deinde etiam ab aljs omnibus, & in-
D fra omnes creaturas. Si enim verè homo se agnoscit, id esse quod verè est, & talem esse, qualis revera est: facto sano & sobrio judicio, non potest non cōcludere apud se, dignissimum se contemptu esse, indignissimum autem omni æstimatione & reputatione. Quis enim habens cerebri micam, non judicet neq; censeat, rem adeò vilem, miseram, malam, inutilem, pestilentem, qualis est homo ex se, non esse dignissimā contem-

contemptu summo atq; omnimodo? Hunc igitur contemptum impendat sibi ipsi quem talem per omnia esse novit ex se, in se, & sibi ipsi, tractet se contemptibilissimè, æstimet appretiet contemptissimè, nominibus vocibusq, compellet abiectissimis; ab aliis omnibus tractari, æstimari, vocitari cupiat, curet, quærat, gaudeat contemptissimè: eo solo & uno nomine quia est, & scit se esse contemptissimum.

Secundus affectus est Odij sui ipsius, & odij quidem implacabilis, infesti, perpetui. Tale enim sibi odium homo debet ex justitia rigorosa, & ex ratione recta, & ex lege publicâ. Amare debemus lege Dei etiam inimicos: sed ab hac lege exceptus est unusquisq; respectu sui: debet enim seipsum odisse, & inimicus sibi esse hoc nomine, quia sibi est plusquam inimicus. Mirabile hoc est quod dico, sed tamẽ verum est, & ita sicut dico. Homo se ipsum amando perdit: ut nimis in Christiana lege notum est, quia ergo amando se perdit, & quidem perditione æternæ damnationis, quali perditione nemo ab alio ullo, ne à Diabolo quidem perdi potest, nisi ab uno & solo semetipso inordinato sui amatore & amore: idcirco tantò se ipsum odisse magis impẽsè implacabiliterq; tenetur, quantò scit & experitur sibi amorem sui esse perniciosiorem.

Quanta homines mutuò exercent odia inter se propter res & injurias, & damna, & causas nihili penitus: iidem tamen homines, semetipsos odisse nolunt, non audent, non possunt: licet habeant causas odiendi se gravissimas & justissimas. Odimus diabolum quia nos tentando ad malum culpæ, perducere simul vult ad participationẽ sui mali pœnæ. Atq; nullus diabolus, ne omnes quidem simul pertrahere nos possunt ad culpam si nos nolumus, nulli retrahere possunt à culpa, si nos peccare volumus; cur ergo nos ipsos non magis dæmone odimus? Certum est nullum malum gravius esse peccatò, & gratiæ Divinæ vitæquè æternæ damnô; atqui nemo nos in hæc damna præcipitat unquam nisi nosmetipsi. Certum est nullum malum (dicam mitius, nullum pænè malum) immitti, vel permitti nobis à Deo, nisi propter peccata nostra; quorum nemo nobis causa nisi sola malitia nostra: ita ut sicut peccatorũ, sic & malorũ omnium reliquorũ sola, & una, & adæquata sit causa malitia nostra: quomodo ergo non erit nobis sufficiẽs adæquata, justa, necessaria odiẽdi nos causa malitia nostra? Præsertim cum ea sit adeò infinita, adeò altè radicata, adeò obstinatè in nobis defixa, ut nullis viribus possit ex nobis, quamdiu creaturæ sumus penitus & plene expelli ac eradicari. Hoc qui perpendet pro undè, inveniet utiq, perpetuam perpetui odii contra se causam: amoris autem sui reperiet nullam.

Tertius Affectus, Accusatio & proditio sui: suæ inquam culpæ, suæ imperfectionis, suæ malignitatis, suæ infirmitatis, suæ dolositatis, suæ, unò verbò dicam vitiositatis: sequitur hic affectus ex præcedente. Quos
A enim odimus hos facilè accusamus, eorumquè vitia publicamus, & pœnas protrahimus. Si igitur odimus nos, restat etiam accusemus: Iustus in principio accusator est sui: sicut impius semper est excusator sui: non est opus Iusto torturis, ut fateatur culpas suas: sponte sua agnoscit & fatetur: impiis, gravior morte, errorũ, peccatorum, defectuum suorum manifestatio, unde justis venia semper obvia, impiis autem obligata est semper pæna. Ex hoc ergo quisq; ju-
B stitiam salutemq; metiatur suam, si facilis est ad accusandam imperfectionem suam, tantumq; se sciat in humilitate profecisse, quantum in manifestatione & agnitione errorum suorum comperit facilem se esse.

Quartus Affectus, neq; credere, neq; fidere sibi quidquam unquam: in hoc solo & uno debet sibi credere, quod non debeat sibi credere: in hocq; solo etiam debet, sibi fidere quod uullam possit in seipso fiduciam collocare. Omnis homo est mendax, asser-
C tore Spiritu Sancto, diligit mendacium, cæcus est & plusquam cæcus in intellectu & prudentia sua, præter intellectum autem & prudentiam, nullam aliam habet in se cognoscendi veri potentiam & facultatem; quomodo igitur & qua ratione aut prudentia credet suo intellectui atq; prudentiæ. Si lumen intellectûs ac prudentiæ, quod in homine est, tenebræ sunt, & cæcutiũt, & innumeris erroribus, ignorantiis, dubiis, suspicionibus, perplexitatibus scatent, ipsæ tenebræ quantæ erunt? immensæ utiq; & palpabiles erunt. Verus ergo humilis,
D diligensq; humiliationis discipulus nunquã sibi credet, eritq; hæc una ejus summa Sapientia, ignorantiam suam nosse, & semper suspectam habere, Sicut autem propterea quod omnis homo sit mendax: credere sibi nemo potest, ita etiam quod omnis homo sit infirmus, & fragilis, & (uti Salvator ait) nil potest omnino, sed est cæcus, pauper, nudus, miser, miserabilis, nunquam sibi, nunquam suis viribus, potentijs indu-

striisquè confidet, sed suprema ejus erit fortitudo, nihil sibi ipsi, per omnia verò Deo & ejus auxilio confidere.

Quintus Affectus est oblivio sui: resultat hic affectus ex præteritis omnibus affectibus: potissimum autem exercetur per puritatem, seu nuditatem intentionis, qua homo nunquam in ullo bono, in ullo opere, respicit ad se, ad suavè commoda ulla, sed semper purè solum unumq; Deum spectat. Exercetur etiam oblivio sui, per projectionem sui, in curam Providentiæ Dei: quantò enim se homo magis, proijcit & negligit in curâ Divinâ, tantò magis recedit à memoriâ & curâ sui ipsius. Magna & sublimis, & primæ omninò Notæ virtus, coincidens cum Resignatione sui in Deum, ad quam tamen introducit quasi naturali suoquè jure, cognitio sui & humilitas.

Exemplum hujus virtutis discant homines ab infantulis, qui sui curam nullam gerunt, sed toti sunt, totiquè pendent positi in sinu & ulnis, & ad ubera Matris, sivè Nutricis. Nescientes (ut ait Scriptura,) quid sit inter dexteram & sinistram: sed sive ad sinistram, sive ad dextram mamillam applicentur: sive sinistrâ, sive dextrâ manu portentur, ac stringantur perindè habent. Talis est verus humilis, qui sui oblitus, ac Dei securus ab uberibus nutricis omnium gratiæ (hoc eam nomine appellat Sapiens) securissimus dependet: de prosperis & adversis nihil discernens, de futuris, præteritis, præsentibus, nihil cogitans: hoc unum solumq; curans, ut Dei curâ contẽtus sit, Deo se totum remittat, in Dei curâ & dispositione, totum se negligat, atq; adeò sepeliat, sic Divina bona curet ipse in se ipso, atquè etiam pro suo modulo in aliis, etiam in universis creaturis, ac si omne bonum Dei, omnisq; honoris ejus integritas & auctio ab illius unius cura dependeat: sua verò bona omnia, (præsentia & futura, temporalia, spiritualia, gratiæ & gloriæ, meriti & Præmij) omnesq; successus & progressus industriarum & laborum & intentionum suarum, sic in Dei providentiam transferat & proijciat, ac si isthæc omnia non sua, sed Divina forent, nec ad se ullatenus, sed ad Deum ex toto pertinerent. Sic affici revera (ut ait Bernardus) deificari est: est inquam non tantum ad humilitatis fundum, verùm etiam ad charitatis apicem pervenisse. Nimirum, ubi homo sibi perit, ibi Deo vivit: & ubi se relinquit, ibi Deum invenit: & ubi Deo fidelis factus est, ibi Deum sibi, & se, & sua omnia fidentem, permittentem, impendentemq; accipit.

Hos affectus humiliationis curet Tiro quam optimè perspectos praxiq; & exercitio possessos habere. Modico enim compêdio maximos, & quidem perceptu magis, quam explicatu faciles experietur. Tantummodò sibi à communi vulgatoq; pusillanimiũ, A & tepidorum terriculamento caveat: quo solent isti, tàm se, quàm alios præsertim teneros adhuc in spiritu, veluti prudentiam & cautelam Dei habentes, præmonere quidem ipsi vocant, revera autem deterrere dicentes. Ardua sunt ista: non statim ad ista: perfectorum sunt ista: &c & non intelligũt hi. Religionis etiam ipsos candidatos: perfectionis esse non dico professores, sed sectatores: proinde vel ab ipso initio meditari & moliri debent perfecta, & quanquã non statim perventuri sunt ad summa, sta- B tim tamen ab initio talia jacere debent fundamenta, ut in eis pervenire ædificatio illorum possit ad summa.

Id quod speciali ratione in Humilitatis studio, & rursum in Societatis IESU Tirone atq; candidato locum habet. Nam humilitas quantaquanta ea sit, nisi planè consummata sit, ædificij spiritualis altissimam molem periculosè subit: tantòq; citius & ex insperato subsidet, quantò illi veluti perfectæ, revera tamen imperfectæ, altius ædificium perfectionis incumbet. Et ex altera C parte, Tironi illi, qui quondam Societatis filius, & in eâ Dei, ejusq; Ecclesiæ miles atq, operarius futurus est, ministeriaq; Societatis hujus propria, tam varia, quam ardua obiturus, salutemq; & perfectionem proximi salvâ, imò incrementum etiam majus capiente suâ perfectione curaturus, & semper contentis passibus, Majorem Dei gloriam, inter innumera difficultatum impedimenta promo[t]urus est: usq; adeò necessaria est Humilitas, omnibus quidem, & supremis gradibus numerisq; potissimùm absoluta: ut nisi ea talis sit, in filio Societatis: D nomen quidem ille Societatis filij portare in se poterit, at obligationem, vim, Virtutemq; ejus nominis implere non poterit. Quare ex hoc se Candidatus nostræ Societatis, ad eam natum factumq; cognoscat: si per omnes Humiliationis passus, & vias, strenuum & indefessum se decursorem, à primo Tirocinio, per omnem deinceps sequentem vitam exhibuerit, & exhibere fixum ratumq; habuerit.

Tertiò

Tertiò vacabit Humilitatis fructibus colligendis, dicam, an potiùs Humiliationis effectibus, operibusq; exercendis. Effectus istos operaq; præcipua subjungam, in quibus, alia omnia opera, aliique effectus omnes inclusi reperiuntur. Propterea verò tertium etiam hoc Exercitium, in hoc eodem Mense de Humilitate pono, ut vel hoc ipso persuadeã Tironi, maximi momẽti hoc negotiũ esse, cardinemq; perfectionis hic verti; ut proindè ille non defatigetur, neq; cadat, neq; cedat animo laboriquè, sed tantò plus indefessi adferat animi, quãtò eã perfectionis Religiosæ portionẽ, uberiùs sibi viderit propositam, Certus atq; planè persuasus, si hunc unum Humiliationis laborẽ exhauserit, si inquam plenum, & solidum Humilitatis fundamentum jecerit: in uno hoc labore, omnem alium, qui in via studioquè perfectionis esse potest, confecturum, exhausturum. Humili enim cordi nihil difficile: humili cordi nihil importabile, humili cordi nihil sublime: quia omnia ad illud defluunt, & in illud descendunt: seseque humilitati subdunt, adeò, ut ipse Deus gratiam suam illi det atq; donet: & quidem tanto uberius quanto fidentius. Nulli autem fidit Deus, nisi humili: quia solus humilis est fidelis, tantumq; de fidelitate, quãtum de humilitate possidet. Ad Effectus & opera veniamus.

Primus Effectus humilitatis est amare, & ambire, & obire humilia & abiecta vulgò opera, officia, munia. Ejus animi debet esse, omnis quidem Religiosus: potissimum tamen Candidatus (ut ab initio primò statim huic Spiritui assuescat, eundem tota vita continuaturus) ut nihil in Religiosa vita, inq; obsequio Divino putet vile & abiectum: hoc enim ipso, quod ad Dei obsequium spectat, dignissimum est, esto natura, vel opinione sit abjectissimum.

Si tamen, imò quia tamen dandum est aliquid usui humano, nec summo jure agendum semper: si inquam sunt aliqua abjecta & vilia in Religione, & Dei obsequio, munia & opera: si sunt aliqua talia, quæ vulgò alij & erubescunt, & fugiunt, & indigna reputant, & contemptibilibus personis relinquunt, ea Religiosus homo, & humilitatis ambitiosus discipulus, sua esse, sibi competere, sibi relicta persuadeat, ad ea tãquam, ad suum patrimonium, ab humilitate imò à vilitate sua naturali Matre, sibi relictum, provisumq; festinet, hæreditarioquè jure possideat & exerceat, & excolat, quod si se ab aliquo ad ea præventum viderit, vel si ea sibi negata ab obedientia habuerit: dolore tangatur, & sanctè invideat, & modos quibus sibi restituatur inquirat, & si hoc non succedat, animo tamen & affectu in eis sit, ac versetur: dulciterq; coram Domino, injuriam sibi factam esse, alium in jus suum immissum esse, aut invasisse conqueratur.

A Habeat etiam in Indiculo, omnia aut saltem quàm plurima humilium operum genera, quæ quotidie opere & manu, plura etiam voto & affectu obeat, in his prima erunt, quæ sunt à Religione vel imperata, vel ad aliquas actiones requisita, vel certè permissa, vel cum officio connexa.

Curet etiam omnia aut plurima opera Ordinaria Religionis, & officii sui: Spiritu humiliationis imbuere, atq; eas humiliationes sui facere, quod minimè erit arduum aut difficile, si seriò spiritum humilitatis, quæsierit.

B Secundus effectus sive fructus, est amare, esurire famelicè Orationem ad Deum, eaquè nunquam satiari, nunquam in ea fatigari. Ad Orandum & Mendicandum maximè idoneus est infirmus, cæcus, pauper. Extremo in periculo constitutus, omniq, auxilio & ope, apud seipsum destitutus, quælibet harum conditionum sufficit ad faciendos petaces, & supplices homines: quantò magis si concurrant in unum hominem omnes istæ causæ? Qui se novit benè novit nullam harum sibi deesse: habet ergò

C maximas & plurimas causas & necessitates orandi, mendicãdi, supplicandiq; ad Deum, Maximè quando ab his necessitatibus nunquam erui potest plenè: sed semper in eis, volens nolens hærere cogitur, etiamsi maximis undiq, à Deo beneficiis cumuletur, imò tunc maximè oratione, & mendicatione indiget, quandò plurima & maxima Dei dona habet: quatenùs maximè mendicus est coram Deo, maximus debitor Dei, maximè facilis ad perdenda, ad prodigenda,

D ad corrũpenda bona Dei, maximè egens auxilio Dei, ad conservãda tutãdaq; dona Dei.

Quarè verus humilis semper habet propositam mendicitatem suam: ex eaque infert semper ad orandum necessitatem, obligationemquè suam: ex eadem Mendicitate & insufficientia sua insatiabilem orandi famem infatigabilemquè in orando laborem discit, ex eadem etiam vires maximas sumit ad orandum, ex eadem intelligit nullum

nullum sibi superesse malorum suorum necessitatumquè remedium, (quod quidem in sua sit potestate) præter Orationem. Quamobrem idem verus humilis, & suam paupertatem videns, ad Orationem, tanquã ad omnium bonorum suorum promptuarium, tanquam ad unicum malorum suorum solatium, tanquam ad unicum necessitatũ levamen, tanquam ad præsentissimum periculorum suorum remedium accurrit: ideoquè nunquam oratione fatigatur, nunquam satiatur, nunquam non ditatur, nunquam non eget.

Hoc fundamentum Orationis, ejusquè necessitatis, imò & ad illam innatæ nobis obligationis, si quis benè penetrat, non tantùm non miratur, dici à Spiritu Sancto, tum per Christum Dominum, tũ per Apostolum: *Oportet semper orare, & nunquam deficere*, Et, *Sinè intermissione orate*. Et *Vigilate in Orationibus*; sed potiùs miratur esse aliquem hominem, cui grave sit laboriosumquè ac fastidiosum negotium orare: (cujus modi tamen infiniti sumus, etiam qui Religiosi, scilicet filii Orationis sumus) cum revera major, non certè minor sit necessitas homini, orare quàm vivere: quando quidem vivere, non habetur sinè orare.

Concludendo igitur hunc effectum & fructum Humilitatis secundum: dico tam Tironibus, quàm non Tironibus: ille se in humilitate profecisse sciat, qui libenter, infatigabiliter, insatiabiliter orat, seu per orationes, obsecrationes, postulationes, petitiones, gratiarum actiones apud Deum, necessitates suas innotescere facit, nec cessat. Benè dictum est: *Qui nescit orare, eat ad mare*: ego autem explico: eat ad nihilũ suum: & ibi discet orare: quia ibi inveniet non unum mare? An non mare: Nihilũ esse à se? *an non mare*: ad nihil boni sibi ne pro momento quidem sufficere, sed alienæ opis egere? An non mare: peccaminosum esse, peccasse, peccare posse, in peccatum semper conniti, præcipitanter ruere? An non mare: posse semper à gratia Dei excidere, nihil sine gratia posse, de perseverantiâ in bono incertum esse, de salute securũ non esse? An non mare, infinitis undiquè cingi periculis animæ & corporis, & fortunarum, & honoris, infinitis implicatum esse erroribus, dubiis, incertitudinibus, necessitatibus, lapsibus, labendi occasionibus, mutationibus? An non mare: certum esse de culpâ & multâ, & gravi, deq; damnationis æternæ reatu, incertum autem de pænitentiæ sufficientia, de obtentâ veniâ, de indulta gratiâ: ô quantum mihi mare: qui scio me odio millies dignum esse, nescio me amore semel dignum esse. An non mare: quantumcunq; perfectus sis: adhuc tamen infinitis scatere imperfectionibus, & carere perfectionibus: nec mensuram gratiæ Dei adæquasse, & in momenta omnibus excidere per culpam posse, & ut excidam, mereri, vel in unius venialis culpæ A pænam posse? An deniq; non mare, tam in Esse naturæ, quàm in esse gratiæ, quàm in esse gloriæ, ne atomum quidem unam esse, aut posse ex se, sed per omnia, & ad omnia totaliter Dei auxilio, Dei donatione, inq; omnibus conservatione continuata egere? Hocq; in omnia momenta à Deo privari finaliter æternaliterq; posse?

Hoc nihili proprii multiplex adeò, adeòquè impervadabile & verè abyssale mare, quem non docet orare, nulla ars docebit, nullum docebit mare. Quandòcunq; ad B orandum acedimus: maria hæc nostri nihili ob oculos nostræ mentis statuamus, omnes nihili nostri abyssos, omnesq; Mendicitatis & miseriæ & cæcitatis, & infirmitatis, & periculositatis, & peccaminositatis vires contrahamus, iisq; cælos viribus, sine viribus expugnemus, & aures oculosquè Divinæ miserationis obsideamus, & ad miserandum adigamus. Exemplo Sanctissimi Davidis, qui in hoc multiplici nihili sui miserabilitatisq; mari altè demersus, clamavit ad Deum dicens: C *De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi orationem meam, fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ, &c*, Psal: 129.

Tertius effectus atq; fructus humilitatis est Humanarum linguarum censurarumq; sive laudantium, sive vituperantium contemptus, & læta pacataq; sustinentia. Nec laudes, nec vituperia ferre potest, qui solide humilis non est. Sciat Tiro hunc esse ordinem tentationum quibus servos Dei ad servitium hoc benè resolutos animatosq; oppugnat. Ubi enim ab eorum resolutione D compererit, frustra illos ad malum apertè tentari: hoc agit 1. ut eos à bono & perfecto absterreat: ad quod nullum instrumentum habet commodius, quàm linguas censuras, judicia, jocos, irrisiones, sarcasmos, perstrictiones obliquas, directasvè aliorum sodalium, æqualium, aut inæqualium, contra quæ linguarum tela, nisi homo fuerit charitate Dei, imprimis autem humilitate, & sui contemptu obarmatus, insensibi-

sensibilisq; ac impenetrabilis factus: nulla ærea, nulla ferrea chalybeaq; arma & scuta illi protegendo, virtutiq; ac spiritui ejus quantumvis ferventi, attamen adhuc tenero tuendo & conservando satis erunt. Qui autem in solido nihili contemptûsquè fundamento steterit: ridebit irrisiones, judicia calcabit, censuras non attendet, coram Idolo deniquè *Quid dicent?* (de quo supra Mense 5. n. 5.) genua non curvabit, sed pro minimo illi erit ab hominibus & ab humano die judicari.

Linguarum obtrectantiũ aciem Tiro ubi superaverit, supererit illi gravior tantò, quãtò & dulcior, sed venenosior pugna pugnãda Aggredietur enim illum diabolus 2dò, linguis item, sed jam non mordentibus, & pungentibus, sed potiùs adulantibus blandientibus, laudantibus, admirantibus, præferẽtibus, comparantibus, idquè seu ex vero, seu falso animo dicentium procedat, diaboli nihil refert, cum utrinque id Animæ periculum creatur, quæ sic adulatione & laude patiatur.

In hac pugna verus humilis securus est, si verus & verè humilis est, si verè se novit, si quid ex se, quid ex Deo sit, quid Deo, quid sibi debeat, meminit: si in se justus, in Deum fidelis est. Ridet, nec attendit, prætcrit & fugit laudes, cruciatur ijs: & eas ad Deum toto corde, plenaq; fide, ad novissimum quadrantem remittit, dicens; *Tibi Domine, Tibi gloria, mihi autem confusio faciei.* Et *Regi sæculorum immortali & invisibili, soli Deo honor & gloria.* Et *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam istam, & omnẽ aliam.*

Hæc Scientia, ab humilitate notitiâquè sui discetur: si quem, autẽ vel laudes oblectant, vel censuræ contristant: manifestum est, non esse domum perfectionis super firmam petram positam: sed in sabulo fluctuare, & in arenoso ruinam præstolari, & in glacie fragili ædificatam esse. Etenim clarum est, quod quisquis talis est: hic non novit imperfectum suum, nec illud nosci vult ab aliis: vult & ab aliis pluris aliterq; æstimari, quam in veritate est, & ipse se aliter vendit, ostentataq; aliis, quàm in vero est. Non discernit inter sua & Dei, sed quæ Dei sunt, arrogat sibi: & tanquam de suis laudes arrogat sibi: vult quoq, mala sua palpari, aut ignorari, aut laudari, quod iniquum est. Propter justitiam & virtutẽ, & Deum pati abnuit: quod etiam injusti, & male virtuti, pejus Deo, affecti est.

Verus humilis cum reprehenditur gaudet, quia justè secum agi novit, cum laudatur dolet: quia se alienis bonis onerari meminit, & aliena non tantum rapere per se, sed etiam per alium rapta, sibique oblata, perinde inter furta injustitiasq; computat. Pro iustitia, pro virtute, pro Deo, pro cõscientia, pro disciplina, pro veritate pati, & linguis morderi gloriosum putat, & inter beatitudines numerat.

A Quartus effectus fructusquè Humilitatis magnanimitas & libertas, spiritus in rebus præsertim quæ Dei obsequium, & conscientiæ virtutisquè integritatem, ac profectum spectant. Nulla res, nulla ratio, nulla autoritas, nullum periculum, nulla difficultas, nullum impedimentum, humili homini ligat manus, præter solius Dei voluntatẽ, atq; dispositionem. Nihil animosiùs vero humili: nihil in spe obfirmatiùs, nihil in conatu constantiùs, nihil in benè ceptis perseverantiùs, nihil in difficultatibus ani-
B mosiùs, nihil in periculis securiùs, nihil in adversis quietiùs, nihil in prosperis solidiùs atquè fideliùs. Causa in promptu & ratio evidens promanat à notitia sui perfecta. Humilis enim dum se novit: novit suarum virium nullum opus esse.

Deinde etiam dum se novit: novit ex se, etiam omnem aliam creaturam, perinde nihil sinè Deo posse: sed omnes creaturæ cuiuslibet conatus, esse à Dei voluntate cõcessioneque ponderatos & mensuratos, undè humilis indubitatè scit omnes conatus, seu proprios, seu alienos, non plus valere,
C nec plus effecturos, nec plus impedituros, nec plus promoturos, rem negotiumve aliquod esse, quàm à Deo datum concessumq; fuerit. Quocircà omnia quæcunq; vel à se, vel à creatura quavis, circa rem, causam, personamvè aliquam iuvandam, impediendamvè fiunt, nihili æstimat, nihil timet, nihil in eis confidit, potiùs etiam irridet, sed totaliter ad Deum respicit, à Deo pendet, Deo remittit, Deo adscribit, contra spem creatam, in Spem increatam innititur, sciens tàm se, quàm creaturam nihil
D posse ex se, aut invito Deo, omnia autem Deum posse, contra quælibet impedimenta, adeò, ut quæ sint hominibus impedimenta & obstacula, hæc sint Deo media & instrumenta ad effectum optatum.

Atquè hæc humilis sciens, in se desperat plenè, in Deo confidit plenissimè, agitquè omnia liberè, animosè, quietè, securè, confidenter, certus impediri non posse opera &

virtutem Dei, cui soli innixus agit, inde dicit cum Apostolo: Omnia possum in eo, qui me confortat: & apud quem non erit impossibile omne verbum, & cui subest cum voluerit, omnia posse, & in cujus ditione cuncta sunt posita, nec est qui possit resistere volunrati ejus.

Videat autem Tiro Religiosus, atq; Humilitatis candidatus, quod humilitas non pariat pusillanimitatem, nec faciat timidũ humilem, sed potiùs animossimum reddat: idq; per hoc, quia hominem tantò magis securum tutumquè facit de Dei auxilio, viribusquè, quanto illum certiorem facit de sua propria insufficientia, & fragilitate. Undè homo humilis, quanto sibi minùs, tantò Deo plus fidit: & quantò certior est de propriarum virium industriarumq; , insufficientia & ineptia, tantò certior est de Dei omnipotentis auxilio & gratia: ad cujus implorationem, tantò ardentiùs & audentiùs convertitur, quanto exploratiore sui notitia instructus, quàm parum, imò quàm nihil ipse de se possit informatur. Hoc punctum in præsenti de humilitatis materia, valdè notandum est: ne quis incautè procedens, pro humilitate, pusillanimitatem, pro sui diffidentia, diffidentiam in Deum discat, pusillanimitas enim & diffidentia in Deo, ex ignoratione tam sui, quam Dei, & ex superbia nascitur.

Quintus effectus atque fructus Humilitatis est tractabilitas, mansuetudo, modestia, & mollities cordis, flexibilitasq; voluntatis humanæ in Deum, ad ejusquè voluntatis, etiam minutissimo signo nutuve ostensum placitum. Quam virtualiter expressit in se David sæpissimè: maximè in illa maledictione pessima quam à Semei pertulit, cum fugeret à facie filii sui Absalonis. Sic enim David illam probrosam maledictionem, à vilissimo homine suscepit, quasi ab ore ipsius Dei egressa esset. *Sinite (ait) illum Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David, & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Et rursum hac eadem fugæ suæ occasione dixit ad Sadoc Sacerdotem: *Reporta Arcam Dei in Vrbem, Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum, Si autem dixerit mihi, Non places: præsto sum: faciat quod bonum est coram se:* Tale est & illud eiusdẽ, *Obmutui & silui à bonis, quoniam tu fecisti,* Talis fuit tractabilitas Iobi, illa laudatissima voce expressa: *Dominus dedit, Dominus abstulit: Sicut Domino placuit, ita factum est. sit nomen Domini benedictum.*

Sed maximè in universa Christi Domini vita, moribus, verbisq; eluxit hæc submissio cordis, ad omne beneplacitum Patris: hinc illa verba ejus: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris. Non mea voluntas. sed tua fiat. Non quod ego volo, sed quod Tu, fiat voluntas tua Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Ego quæ placita sunt ei, facio semper. Ita Pater, quoniam sic placitum est antè te. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam* A *illum. Iota, unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Atq; hæc genuina humilitas, ità esse cereum & mollem in manu Dei, ut quidquid placuerit Deo, formet, faciatq; ex homine, & de homine in omni circumstantia: non secùs, ac figulus habet potestatem sui luti.

Neq; est ulla certior probatio veri humilis, quàm ista, Dei omnem manum, vultumq; posse sustinere cum æquabilitate, immutabilitate, dulcedineq; animi. Hoc enim est demum esse desponsatum voluntati Divinæ: hoc quoq; est transire in affectũ B Divini cordis. *Sic affici, (ait S Bernar:) deificari est.* Sic autem affici discat & assuescat Tiro, in minutissimis occasionibus atq; circa se, vel vel circa alios eventibus, ut in omnibus illis, sive ad mentem, sive contra mentem, sive præter spem, sive cotra spem sive juxtà spem, sive honorificis, sive vilificantibus, sive per hæc, sive per talia media, sive cum his sive cum illis conditionibus, condimentis, circumstantiisque accidant & accedant, ad Deum & Dei volunta- C tem respiciat, hocq, unum illi ad omnem contentationem sufficiat, super omnes rationes sit. *Ità Pater quoniàm sic placitum est antè te. Sicut Domino placuit, ità factum. Voluntas Domini fuit &c- An non licet illi facere quod vult. An oculus meus erit nequam, quia ille bonus?* Uno veluti passu, Sanctus perfectusquè evadit: quisquis hanc tractabilitatem cordis sui, Deo ejusq; voluntati exhibere in omnibus novit.

Sextus effectus fructusq; Humilitatis est Charitas in Deum, omniumq; propter Deum seu in Deo. Etenim quantò se magis D humilis deprimit, tantò altiùs Deum extollit: planè sicut in bilance fieri videmus, si descendit una pars, ascendit altera in eadem mensura. Et certè hoc unum perpetuo homines faciunt in omni vità sua, inquè actionibus, maximè autem hoc negotium peragitur humanis intentionibus, quod se cum Deo, Deumque secum, velut in lance quadam ponderent, in una lance est

est homo ipse, in alterâ Deus: deprimit se homo per humilitatem, elevat apud se Deum per exaltationem atq; appretiationem, hoc est per charitatem. Elevat se homo, per sui proprium amorem? deprimit Deum, per ejus contemptum. Intendit homo honorem Dei soliùs? intendit hoc ipso contẽptum & neglectum, oblivionemq; sui ipsius. Intendit commodum proprium suum? hoc ipso conculcat & negligit, imò sibi arrogat Divinum. Diffidit homo sibi? hoc ipso in Deum confidit: non confidit Deo? confidit hoc ipso sibi &c.

Hocq; est illud Davidicum: *Ascendet homo ad cor altum*, (profundum, humile,) *& exaltabitur Deus*. Et illud D. Augustini: *Duo amores, duas sibi fec êre Civitates. unus usq; ad contemptum sui, alter usq; ad contemptum Dei.* Nimirum amor sui, & contẽptus, sui veluti arbores fructiferæ, sed dispares extremè fructus generant. In uno cordis humani plantario, hortuloq; plantatæ. In amoris proprii arbore nascuntur fructus contemptûs & vilipensionis, offensionisq; Divinæ. In arbore autem contemptûs proprij, nascũtur poma Divinæ charitatis, æstimationis, exaltationis. Estq; indubitatum signum veræ ac genuinæ humilitatis, propriiq; contemptûs, ardens in Deum charitas, ejusquè æstimatio & appretiatio magnifica. Sicut è contra faciles in Deum, ejusq; legem, voluntatem & honorem offensæ: certissimum sunt indicium superbiæ, & rebellis contemptorisq; in Deum animi: ac proinde ab humilitate remotissimi.

Sed de fructibus effectibusq; humilitatis hæc sint dicta satis: non quod longè plures non sint, sed quod in jam dictis alii comprehensi sint: & omnes speciatim persequi, præsentis instituti non sit. Quia verò humilitatis perfectæ possessio, tàm est Spiritualis vitæ perfectioni necessaria, ut sine illâ, nulla pars Spiritualis perfectionis, acquiri retineriq; possit: tàm verò est ejus exercitatio latè fusa, ut in ea semper progressus ulterior esse possit: imò tum maximè in humilitate laborandum, atq; desudandum est, quandò maximè in aliarum virtutum perfectionem perventum est. Quamobrẽ ut homini Religioso ad manum sit, ejus virtutis exercendæ, tum assidua praxis, tũ multiplex occasio: appono hic puncta practica Tironum in gratiam.

Quartò vacabit. Exercitio practico humilitatis, humiliationibus in quotidianis, in assiduis occasionibus, per assiduas item quotidianasq; actiones: quarum & actionum & occasionum farraginem sequens indiculus uberrimam suppeditabit.

Amator itaq; & studiosus humilitatis Tiro, imò quilibet Religiosus.

Primò, Silentij erit rigidissimus observator: ut loqui sit ei in merâ necessitate,
A tacere autem in desiderio. Quodsi quando necessitas justa loqui coget, loquetur paucissimis verbis, submissa voce, timidè seu verecundè, festinans ad tacendum quamprimum, reputans se omninò indignum, qui aliquem alloquatur, sciens etiam se loquendi cautè ac sine lapsu aliquo, & ad rem prorsus ignarum. Indubitatum enim signum & opus superbiæ præsumptionisque esse constat: promptum esse ad loquendum, multiloquum, sonorum, imperiosum, cõptum, jocosum, ostentativum sive doctrinæ, sivè pietatis, sive experientiæ, sive alicujus talis circumstantiæ, quæ in laudem pro-
B priam vergat. Verus quippè humilis tales sermones fugit. non ille originem & familiam, non officia & munia, non res a se gestas magnas, non negotia magni momenti tractata confectaq;: non familiaritatem, notitiam, amicitias magnorum, non magnam apud magnos, doctos, pios, multos æstimationem sui, non perfugia aliorum ad se, non se multorum conscium gravium negotiorum, secretorum, non quidquam tale ampullatum honorificumq; commemorat in sermone: sed omnia ista sepulta, & obruta in profundo oblivionis silentijquè continet. Præterea verus humilis hu-
C militatisq; studiosus, abstinet in loquendo à subtilibus, & acutis, & ingeniosis dicterijs, abstinet à proverbijs, à scurrilitatibus, ab Hyperbolicis exaggerationibus: ab admirabilibus, & admirationem cientibus, à monitionibus, à consiliis ultro ingerendis, à documentis etiam præceptisq; dandis. Hæc enim loqui, vel authoritatem arrogatam, vel ostentationem, videri cupidam redolet: proindè humilitatis Spiritui non consonat.
D Uno verbo: quo quis humilior est: eo loquendi parcior, tacendi studiosior esse solet.

Secundò, Verus humiliationis amator, creber est, atq; adeò continuus recogitator nihili, vilitatis, infirmitatis, cæcitatis ignorãtiæ, insufficientiæ, peccaminositatis, stultitiæ, defectuum, errorumq; suorum. Mortem meditatur & vitæ finem. Iudicia Dei tremenda, profunda, occulta formidat Pericula

icula cadendi, & à gratia excidendi, ob oculos habet: cum timore & tremore saluté operatur. Sciens quia *Iustus vix salvabitur*, & in Angelis reperta est pravitas: *& columnæ cœli ceciderunt, confractæq; sunt*: nequè habet obsignatam in bono perseverantiam.

Tertio, Verus humilis à curiositate interna, externaq; procul abest. Nihil cupit scire, quæ ad se non pertinent, & sine quibus esse potest. Non curat nosse illustres personas, nova spectacula, insignia ædificia, elaboratas picturas, magnificos apparatus, hisquè similia pompam redolentia: sed nequè talia vidisse magnifacit, nec aliis refert à se visa, nec miratur qui viderunt. Interim tamen etiam ex harum curiositatum contemptu non gloriatur, nequè ex eorum neglectu laudes venatur. Habet, necessitatis, urbanitatis, charitatis, obedientiæ, in omnibus rationem, quoniam virtus virtuti non nocet, nec alia aliam impedit vel tollit.

Quarto, Verus humilis, omnes honorat exactè pro cujusque gradu: imò honorat omnes plusquam debet: nec præsumit sedere coram Superiore, vel Sacerdote, vel aliquo grandi natu. Relinquit & cedit omnibus meliora commodioraq, eligens & præripiens pro se postrema, viliora, incommodiora: in loco, officio, victu, potu, habitaculo, vestimento: perinde ac si non esset par aliis, neq; ex aliorum ordine, sed vilius quiddam, puta mancipium, jumentum, peripsema, mendiculus. Certum est enim, quòd Pater filiis priùs, quàm mancipiis; priùs familiæ, quàm mendicis providet. Talem ergo se humilis Religiosus apud se statuat, ac si ex pura misericordia omnium qui in hac domo, vel Religione sunt, receptus admissusq; esset ad Religionem, & ad convictum aliorum. Cui propterea quidquid boni fit, ex mera miseratione fiat, fieri q; debeat. Persuadeat sibi, quòd quæ vilissima deterrimaq; erunt domi, hæc illi dabuntur, & danda sint, propter ipsius vilitatem, & infra omnes postremitatem.

Persuadeat sibi cautū esse vel lege, vel ordinatione Superioris peculiari, ut illi omnes officiales, postrema quæq; & ultima vilissimaq; dent ad usum in cibo, potu, lecto, vestitu & aliis, utq; ea, quæ alijs usui esse non possūt, ipsi offerātur consuméda, ac finaliter deterenda. Quo scilicet fiat, ut alii omnes plùs de bonis; minimùm autem de malis Domûs ac Religionis participent; ipse verò contra, minimum quidem de bonis, & commodis, & solatijs: plurimùm autem de malis & incommodis, & laboribus, molestijsq; participet, exhauriatque. Persuadeat sibi quoq; quod sibi plura & meliora semper dentur, quàm mereatur, sive apud Deum, sive apud Religiosam communitatem; ita semper potiùs nimiùm quàm parum, potiusq; bona quàm mala habebit; & nunquam indigebit, nunquam invidebit,
A nunquam murmurabit, nunquam plùs alijs habere desiderabit; imò ne minimum fratrum suorum, in aliqua commoditate vel consolatione superet, semper laborabit.

Quintò, Verus humilis, semper seipsum accusat, increpat, & manifestat, atq; castigat, nec sinit quenquam esse, vel celeriorem ad accusandum se, vel severiorem ad se puniēdum semetipso: immò si ab aliquo arguitur vel punitur, usq; adeo gratum habet, ut etiam pro arguente, puniente, accusante Deum oret, sibi autem ampliùs etiam de pœna adjungat. Nimirum omnes alij
B videntur illi esse erga se misericordes, multum indulgentes; propterea ille horum in se indulgentiam suâ supplet severitate: atquè id tunc maximè facit, quando sua errata vel ignorari, vel propter aliquem respectum impunita noscit relinqui.

Sextò, Verus humilis, nullam aliam imaginem sui habet, quam acervum sordium, & sentinam cloacamq, omni fœditatum genere fætentem ac bullientem: ob quod & Deo, & Angelis, & fratribus, & proximis, & dæmonibus, & creaturis, & suæ
C ipsius Animæ, se intolerabiliter fætere credit, miraturq, patientiam Dei & creaturarum in se sustinendo: contra quem justissimè omni rabiè meritò desevire deberent.

Septimò, Verus humilis neminem judicat, neminem damnat: sed etsi quem videat aliquid agentem quod culpari posset: ita coram se, ita coram aliis occultat, excusat, rationesq, ad justificandum excogitat, prorsus, ac si patronus & advocatus esset illius. quodsi aliquid sit inexcusabile prorsus, ille tamen potiùs vult de hoc vel nescire, vel non loqui, vel non cogitare, quàm damna-
D re, sed avertit mentem alio, vel compatitur, vel sibi ne cadat timet, vel vehementiam tentationis opponit.

Octavò. Verus humilis, nulli contradicit, cum nullo animosè disputat, de sua sententia facilè cedit, contradicente alio sibi protinus silet, & quasi surdus ignarùs, convictusq; foret, mansuetus obmutescit, nequè ullo signo nutuvé ostendit, habere se quæ objiciat si velit. Neminem etiam contri-

stat

stat non verbo, non signo, non facto, sed si quid contingit fieri directè à se, quod alteri molestiam generet, ita dolet in animo suo, acsi membrum aliquod sibi laxatum esset: quod dolere non desinit, priusquam loco suo restituatur.

Melior est uncia pacis, quàm libra victoriæ: pretiosiorq; uncia charitatis, quàm centum libræ discordiæ. Christum sibi læsisse videtur, quando fratrem contristat: si tamen contristatio alterius accidat propter obedientiam, vel charitatem, vel officium vel necessitatem; hæc non repugnant humilitati, modò sit locus etiam tunc discretioni. Contristatus vel læsus ab aliquo humilis, non dolet se esse, sed potiùs Deum & conscientiā offendentis violatā esse: nequè ut quis veniat, petat, expectat; sed ultrò ipse causam dedisse, plusq; reum se esse fatetur, & veniam poscit satisfactionemq; facit, orat pro lædente. Deniq; sic se gerit, acsi non læsus sit, sed ipse læserit. Lædentes, adversariosq; & obtrectatores, & inimicos humilis nec habet, nec vocat: sed potiùs, si qui tales sunt ei, eos inter benefactores & amicos ponit, servire, benefacere, orare, laudare, demereriq; eos promptus est, compati & occurrere eorum adversis gaudet, & tanquam de suis contristatur, meritis illorum se apud Deum tuetur, perq; illorum interpositionem Deum precatur, ita fit, ut humilis à nemine lædatur unquam, nullum habeat inimicum, omnes in bono vincat, omnes plus amet in Deo, quàm ametur, vel non ametur ab ullo: denique de nullo conqueritur, nullius convictum, cohabitationem, associationem refugit, sed eis, quos adversarios experitur, hoc ipso nomine, ut benefactoribus affectus est, eosquè veneratur, ut suos Patronos, illisq; & amorem & honorem, & obsequium peculiare exhibet, quod alias non exhiberet, nisi adversarios sibi injuriosq; in se cognovisset.

Nonò, Verus humilis, si ab aliquo accipiat beneficium, finem non facit, ejus reddēdi, commemorandi, prædicandi. Si alteri benefaciat ipse, parvi hoc facit, ut potiùs accepisse, quàm dedisse beneficium sibi videatur: ostenditq; potiùs obligationem explevisse, pro qua sibi nihil debeatur: quàm charitatem & benevolentiam monstrasse.

Decimò. Verus humilis omnes portat, omniumq; sustinet mores & morositates, & acerimonias, & necessitates, & infirmitates, planè ac si baculus aut asinus omnium ipse esset: suos porrò à nullo supportari vult, ideoquè nulli ulla re gravis, esse sustinet. In omnibus manibus & potestatibus, & voluntatibus, judicijsq; esse, ponit omnia sua, etiam honorem, famam, & æstimationem: ita ut quantùm ex ipso, liberè licitèq; omnes possint uti ejus fama, honore, & æstimatione, sine ulla, quantùm in ipso sit restituendi illam obligationē: ipse tamen simile jus nullò modò usurpat aut permittit sibi in aliorum famam, sed potiùs eam tanquam rem sacram, tanquam Sacramentum, nullo modò tangere videreq; sibi fas ducit; usquè adeò nulli molestus onerosusq; esse curat humilis, ut libenter videat, si ignorent eū omnes secum domi esse, sic pacatus est, sic incurrit in memoriam, ac si non esset in hoc loco, ita nec oberrat angulos domûs, non consistit in circulis colloquentium, vel stantium, non alloquitur obvios quosq; ac si eos non nosset, vel loqui nesciret, acsi ad solum cubiculum suum fas adeundi haberet, ab alijs autem sibi non necessarijs locis acsi proscriptus esset.

Vndecimò. Verus humilis sicut se, ita & sua desiderat esse occulta, & omnibus abscondita, si aliquid facit boni, non canit tubam, ante se: si aliquid patitur mali in corpore vel anima, si famem, sitim, nuditatem, aliudvé gravamen, si dolorem, morbum aliquem, non omninò prosternentem: molestiam non ad mortem, præcipuum remedium patientia illi est. 2dò Silentium, 3tio. Mansuetudo 4tò Paupertas præ omnibus autem, humilitas, qua judicat se compassione & cura indignum esse Etsi secundùm discretionem satagit ad labores, vitæq; crucem obeundam conservare valetudinem, in ejus tamen cura, neq; scrupulosus, neq; superstitiosus, neq; pretiosus, neque onerosus, nec in satisfactibilis est, sed omnibus ostendit extra se contentū; intus etenim indignum sentit, viliaq; & postrema sibi exhibita ad usum, vel necessitatem, propter hoc solum avidè aacipit, quia scilicet postrema & vilia, crassa & lacera, hoc est sibi propria condigna & debita sunt.

Duodecimò. Humilis verus, est perpetuus sui persecutor, implacabilisq; adversarius, in hoc semper unum intentus, quomodo sibi in omnibus ægrè faciat, molestiamquè & dolorem, & contemptum ingerat. Religio enim est perpetua naturæ violentia, & inversus quidam mundus. At hoc non præstat nisi humilis, & humilitatis discipulus, qui non attendit quid caro possit, sed quid

quid ſpiritus velit. Potiſſimùm eſt autem hoſtis honoris, amoris, voluntatis, & judicij proprij, omniſq; ſingularitatis, & ſpecioſitatis; etiam bona non vult, ſi ad ea propriâ voluntate inclinetur, illam obedientiam ſuſpectam habet, quæ illi condeſcendit, atq́, cum eo blandè affabiliterquè procedit: mavult Superiorem atq́, imperium auſterũ, imperioſum, ſeverumq́,: quia hoc à ſuo amore remotum novit, utilius autem ſuæ mortificationi experitur. Quod totum in eo fundatur, quia humilis nullum invenit ſibi infideliorem, peſtilentiorem, ſtolidioremq́, quam ſeipſum: propterea quidquid ſe velle aut ſentire videt ſuſpectum habet, pernicioſum timet, erroneum cavet: & in ſuam perditionem, deceptionemq́, à diabolo per ſuam propriam voluntatem ſubordinatum ſuſpicatur ac veretur. Unde fit quod humilis abſq; obedientiæ ductu, videatur ſibi eſſe velut cæcus ſine duce, velut puer ſine Pædagogo, velut effrenis & indomitus equus ſine perito ſeſſore; deniq́, alienum conſilium, ductumque hoc ipſo quia alienum (modò peccato non conjunctum) præfert proprio ſenſui etiam meliori, propter ſolam proprietatem. Minimè dubius ſupplendum humilitate quod defuerit à prudentia in alieni conſilij acceptatione.

Decimotertiò, Verus humilis non poteſt difficultatem Superioribus facere in regimine ſui: ſed ita Superioribus eſt fidelis, ut ij minime dubitent factum iri, quod illi præceperint faciendum: cælum & terra tranſibunt, verba autem, nutus, ſignum, voluntatis Superioris apud humilem non præteribunt, donec omnia fiant. Non expectat imperium expreſſum, neq; ſub peccato, ſufficit nutus, ſufficit conjectura & opinio Superiorem hoc vel illud velle aut nolle. Non tanget, non aſpiciet, rem ullam quam tangi vel aſpici à ſe credit Superiorem nolle vel non probare. Etſi nemo illum videat, nemo factum ejus ſciat, vel ſcire poſſit: abſtinet tamen & cavet facere, quod ſcit vel opinatur Superiori non probari. Mentem ac voluntatem Superioris habet in ſuâ conſcientiâ: ſicq; illam ubiq́, formidat, ac ſi eſſet in reali Superioris vel etiam ipſius Dei præſentiâ: Intellectum ſuum in nullâ re habet humilis: ſed tota ejus Sapientia eſt in obedientiâ. Summa ratio cujuſq; rei Imperatum eſſe, vel ſuperiorem ſic velle. Citiùs & certiùs obedit Superiori quàm Angelo vel Chriſto apparenti: in his enim decipi ſenſu ſuo poteſt, in Superiore non poteſt. Sicut nihil pulchriùs & certiùs eſt in mundo Sole & ejus lumine: ita in mundo & corde Religioſi humilis nihil eſt ſecuriùs certiùs & clarius, quam id quod obedientiæ, Superiori, Regulæq; placuit imperare. Et ſicut molarem lapidem oportet optimumque eſt deorſum tendere ac ibi eſſe, ita Religioſo tutiſſimum eſt, naturaliſſimum, optatiſſimumq́; obedientiam facere, illudque præ omnibus ſapientiſſimum, & maximi momenti hic & nunc quod obedi-

A entiæ placuit, ordinare.

Decimoquartò. Verus humilis Omnes hujus mundi creaturas etiam irrationales amat ut ſorores: & earum nomine Deum laudat, tanquam revera pro eis hoc præſtare obligatus, & mercede obſequiorum ſuorum ad id ab eis omnibus conductus: cæterum homines & amat & reveretur ut Superiores ſuos. Porro Superiores honorat diligitque plus quam Superiores, nempe tanquam Deos ſuos, itaq; ijs etiam malis ſer-

B vit, illos etiam odientes amat, illos etiam abjectos æſtimat, etiam ſimplices non ſecus ac Dei ſapientia ad ſe regendum plenos audit, contra illos etiam percutientes non murmurat: illis etiam conculcantibus ſe ſubſternit, illos etiam injurioſè ſecum agẽtes juſte ſecum agere credit: illis obſtrepere vel obmurmurare vel reſiſtere, vel eos judicare non minus peccatum putat, quam vel in adulterium, vel in Idololatriam, vel in parricidium, vel deniq; in Deicidium labi:

C ſcriptum eſt enim *Diis non detrahes*. Et *Qui vos ſpernit, me ſpernit*. Et *Non te abiecerunt ſed me ne regnem ſuper eos &c.* Non ita Infans ab ubere pendet Matris: ſicut humilis à mente, voluntate, & directione ſui Superioris, nec ita candidè ſimpliciterq; conquieſcunt infantuli in ſinu & inter brachia parentum, quomodo humilis confidenter & ſimpliciter innocenterque concredit ſe conquieſcitque in omnibus apud ſuæ animæ Patrem. Quantùm de hac confidentia ſinceritateque habet Religioſus, tantùm poſſidet de ſecuritate atque ſalute ſua, tan-

D tum enim habet de obligata ſibi omnipotẽte Providentia Divina; quantum verò de hac deperdit, tantum ſe à Dei cura elongat, atq; à corona gloriæ ſuæ ſe ſubtrahit.

Decimoquintò. Verus humilis: nullum peccatum parvum, nullum meritum vile, nullam regulam, minutam, nullam Dei inſpirationem & gratiam abjiciendam, nullam bene agendi, Deoque placendi occaſionem negligendam putet. Sed potius in mi-

nimis

nimis maximus esse vult laboratque, quia scit se ad magna & Heroica admirandaque opera idoneum & dignum non esse. Nullius gratiæ aut placito id tribuit, ut propter eum peccatum imperfectionemvé minimā committat. Non vult magna, & mira & extraordinaria facere, sed in ordinariis & communibus exactà diligentia, insigni fervore, constanti assiduitate extraordinarius satagit esse. In hoc uno vult esse maximè singularis, quod nunquam in ullà re etiam minima, nec à communi usu recepta velit esse, sitq; singularis. Quidquid agit, ita agit, ut quantum humanitus assequi potest, ex omni circumstantia opus perfectum & Deo dignum sit. In honore, in dignitate, in prælatione aliqua positus, ita se gerit, sicut asinus sacra portans, aut sicut arbor fructibus onusta, quam omnes carpunt, & ex ea fructus baculis decutiunt, ramos & folia frangunt: decerptis autem omnibus, ad sua redeunt illam relinquentes.

Decimosextò. Verus humilis tria vocabula in suo sermone atq; sensu ignorat: videlicet. Ego, Meum, Me, nūquam enim hæc in sermone suo usurpat, nisi quando se reprehendit, & accusat, & vilificat, in aliis autem colloquiis nunquam hæc pronomina in ejus ore perstrepunt. Sicuti ab ore, & sermone superbi, amantisque seipsum, nunquam eadem absunt, quā de re exactiùs & pleniùs videatur Theophilus, Bernardus, l. 3 de præsidiis persever: c. 12: & sequ. ubi fusè explicat singillatim versutiam nostræ superbiæ, assiduitatemq; in respiciendo ad se: & in repetendo Pronomine Ego &c.

Decimoseptimò. Verus obediens etiam in Spiritualibus rebus est humilis: favores, solatiaque, & visitationes, & gustus non appetit: quia se his indignum ex animo credit: multò minus mirabilitates desiderat: quas humilitas, & vilitas sua non capit. Sublimes quoq; materias non meditatur, nisi cū humilitate & abiectione sui: libros quoq; difficiles, & arcana Dei mysticæque viæ à longe adorat, contentus peccata & imperfectiones suas deflere, vilitatem nosse, vitam, mores, doctrinam, passionem, labores, contemptus Christi Domini & Sanctorum ejus meditari & imitari. Virtutes exercere, Dei voluntatem implere, beneficia recolere, & semper plus proficere, ampliusque Deo placere. Votis, Regulis, Vocationiq; suæ per omnia satisfacere, in omnibus, & ad omnes, & apud se inprimis, abiectum, postremumque esse: & sic ad mortem perseverare.

A

Satis opinor hæc erunt Tironi Religioso, atq; humilitatis candidato, ex quibus humilitatis opera, materiam, occasiones, artesq; condiscat: tum etiam ut quantum sibi ad ejus consummationes adhuc desit, dispiciat. Nunc quoniam huic Mensi quatuor jam Exercitia circa solam Humilitatem assignavimus etiam quintum, circa eandem assignemus.

B

Quintò vacabit. Humilitati, ejusque perfectioni & exercitationi à Deo postulandæ: Nemo enim potest evadere humilis spiritu, nisi Deus det. Tiro igitur adibit & deprecabitur Dominum pro eà: clamabitque semper, ut in se deponatur, augeatur, conservetur. Sapientissimus Pater Franciscus Suarez, aliquando à quodam familiariter interrogatus: uter Deo plus deberet: ipsene Pater Franciscus cui Deus claves Sapientiæ dedisset: an Hispaniarum Rex, quem Deus tot Regnorum Dominum fecisset: respondit modestè, simulque verè: Ille plus debet Deo, cui Deus notitiam sui & Humilitatem dederit. Nimirum omnibus Sapientiis præponderat Humilitatis possessio. Quare præter alias hujus argumenti obvias Orationes: Uti poterit qui volet Oratione Ecclesiastica, quæ ad idem propositum familiaris fuit Bellarmino Cardinali de nostra Societate. *Deus qui superbis resistis, humilibus autem dat gratiam, auge in nobis veræ humilitatis virtutem, cujus in se formam, Unigenitus tuus, fidelibus exhibuit: ut nunquam indignationem tuam provocemus elati, sed potius pietatis tuæ capiamus dona subiecti, per Christum Dominum Nostrum.*

C

D



EXERCITIA
SEPTIMI MENSIS.



IN Septimo Mense Tirocinii sui Religiosus,

Primò vacabit Exercitio Patientiæ, cõsectationi asperitatum, & earum rerum à quibus experitur se abhorrere, à quibus se ad impatientiam & iram permoveri novit. Item Amori Crucis Christi, eiusq; desiderio & quæsitioni, amori quoq; eorum, qui Crucis & Patientiæ materiam occasionemque præbuerint. Intelligo autem Patientiam illam, quæ facit hominem adversa perferre modestè primùm ac tacitè, & pacatè, deinde constanter & fortiter, tandem etiam alacriter & libenter, insuper sponte, & cum quæsitione acceptationeque adversarum & molestarum rerum, cum amore & inter benefactores connumeratione eorum qui molesti sunt, molestiasq; causant; denique cum humilitate ac humiliatione ex patientia: ut non superbiat homo ob patientiam, utq; non tantùm non conqueratur, sed etiam non glorietur apud se, vel alios de patiendo: sed potiùs humilietur & abiectus modestusq; reddatur: sicut solet reddi castigatione modestior, ille qui ob suum aliquod malum factum à Magistratu plectitur. Sine Patientia in mũdo isto, vitaquè ista non vivitur omnino: nec est possibilis ullus in hac vita status in quo non sit quod patiatur homo, sed sicut non est corpus sine umbra, sic etiam non est vita sine patiendi materia, consequenterque necessitate.

Neq; id mirari debet quisquam. Constamus & componimur contrariis. Corpore & anima, materia & Spiritu experte materiæ. Calido, frigido, sicco, humido, levi, gravi &c. Contrariis etiam nutrimur, alimur, augemur, crescimus; contrariis circumdamur, & undiq; circum obsistimur. Quomodo ergo fieri potest ut non perpetuò alteremur, oppugnemur, immutemur, patiamur? quomodo non insanit qui sine Cruce & patiendi materiâ esse cupit, quiq; irascitur & inquietatur dum aliquid adversi experitur. Oporteret totum mundum à suo statu prorsus dimoveri, & sursum deorsum omnia perverti, ut possit dari momentum, quo homo non sit inter adversa, nec patiatur aliquid adversi.

A Quare, non est laborandum homini in hoc, ut nihil patiendum habeat, quia hoc naturæ & hominis & mundi totius hujus visibilis repugnat, sed in hoc tota industria ponenda illi est, ut adversa omnia patienter, id est, modestè, mansuetè, quietè, libenter, constanter ferat, semperq; ad alias & alias molestias crucesq; se præparet.

B Hanc linguam discat Tiro Religiosus: & in totam vitam ea loquatur. Ac quemadmodum omni vita panem à Deo postulat, accipitq; eoq; se sustentat: ita patientiæ panem ab eodem Domino semper mendicet, semper accipiat, semperq; se eo saginet. Hoc enim pacto semper ei dulcior fiet patientia: adeo ut etiam tædium sit passurus si quando senserit se patiendi occasione carere.

C Prodest hoc etiam Tironi cognoscere: quod Impatientia, & inquietudo iraq; in adversis aut contra adversarios: multiplicet Crucem & patiendi materiam. Ita, ut hoc differat impatiens à patiente, quod ille præter molestiam quam fert, habet aliam graviorem, ex eo ipso quod impatienter fert: semper enim impatientia illius, & aggravat malum, & est ipsa gravior illo ipso malo: & insuper repellit à se meritum gratiæ quod habebat paratum apud Deum, si modestè malum pertulisset: & præterea peccat in Deum, quo volente & ordinante evenit adversitas omnis; peccatoq; illo meretur D pœnam temporalem, quandoq; etiam æternam, cum est impatientia gravis & impotens: evadit homo incorrigibilis, rebellis Deo, & desertus ab ipso: & novæ majoriq; adversitati obnoxius. Quocirca qui vult omnem Crucem adversitatemque sibi esse levem, optet illàm, & amet, & pro eâ Deo se subdat, humiliet, gratias agat: sic faciet ut Crux non sit illi Crux, sed gaudia; & molestia, non sit molestia, sed solatium.

Omit-

Omitto Exemplum Christi, Sanctorumque præsertim Martyrum. Omitto item exempla hominum, qui infinities graviora patiuntur propter suas cupiditates, & propter alios homines: ut sunt milites, ut mercatores, ut Coloni, ut Mendici, ut Malefici. Omitto etiam præmia patientiæ, pœnas impatientiæ. Omitto peccata præteritæ & præsentis etiam vitæ, pro quibus satisfaciendum est tolerantia adversitatum. Omitto subsidium animarum purgatorij, efficatiam orationum ad Deum, patientiæ virtute augeri. Hæc similiaque omitto quibus ad patiendum excitari, incitarique debent omnes quidem, & præcipuè qui à sæculo ad Dei obsequium conversi, scire debent, quod in patientia sua possidere animas suas in hac vita debeant. Hæc igitur sit cura Tironis: quam maximè resolutum esse ad patiendum: Crucemque sufferendũ: ad idquè ab initio statim assuescere laboret, ut molestias instar panis quotidiani & expectet, & expotet, & excipiat, & deglutiat. Divini beneplaciti & amoris gratiâ, & propter IESU Christi Crucifixi amorem ac imitationem, propter Sanctorum exempla, pro suis & alienis peccatis, peccatorumq; pœnis: gnarus & certus, impossibilem esse vitam sine molestia & Cruce: fugiendoque & excutiendo Crucem, augeri & gravioremẽ reddi Crucem.

Habeat notas, notatas, prævisasque cruces & molestias, earumque occasiones loca, tempora, personas, causas, ad easque se invocato Deo præmuniat, præparet, offerat. Excitet in se crebro in dies, (assignatis ad id tum vicibus, tum temporibus, seu actionibus) desiderium propositumque patiendi, perferendi subeũdi hanc illam, aliquam molestiam, adversitatem, crucem. Protestetur coram Domino se velle, se cupere, se paratum esse pati, petere tantum occasionẽ auxiliumque in occasione, sine quo nihil posse se confiteatur ultro Deo.

Optet etiam & optationem sæpiuscule, cum ardore, cum fiducia in Deum, repetat, & sibi ipsi vel invito hujusmodi optationes intrudat, imperetque, nec ob horrorem debilis mentis vel affectus, carnisvè aut sensûs aversantis cesset, sed vel ipsis duntaxat verbis, optationis, propositi, desiderii, amorisq; molestiarũ, actus & proposita pronuntiet, Deoque offerat. His verò exercitijs examen particulare addat: atq; contra impatientiam, pro patientia, auxilio hujus examinis pugnet.

Præter hæc autem, duo quædam, in acquirendæ patientiæ studio, multum proficua, servet. Primum est, ut nullam molestiam, crucem, adversitatemve excipiat, & aspiciat, tamquam à creatura, ejusve malitia sibi oblatam irrogatamve: sed omninò tanquam à Dei manu voluntate, providentiâ, imperioque sibi ad sufferendum impositam injunctamque: & quidem ex summo specialique valde amore Dei erga se, in signum amoris & pignoris, & stabilis fiducialisque affectûs erga se Divini.
A Creaturas autem & earum qualescunquè tandem animos, affectus, & conatus, esse Dei mera instrumenta, meros famulos & administros: quorum opera Deus utatur offeratquè sibi pignora charitatis suæ, & materias merendi, occasionesq; majorem apud se gratiam, gloriamq; ineundi. Ex hac persuasione fiet, ut nulli creaturæ afflictionis causam attribuat, nulli irascatur, de nulla queratur, potiùs illam amabit, &
B tanquam Deo ministrantem observabit, agetq; gratias, & pro illa Deo supplicabit, illi benè volet ac faciet. Sicq; dilectionẽ inimicorum facili opera discet, sic etiam facili negotio: Resignationem in Dei voluntatem (cujus præcipua pars in adversorum placidâ tolerantia consistit) acquiret.

Secundum est, (quod etiam manat ex priore, ut consideranti patet) ut non faciat delectus in patiendo: Non, inquam, hoc quidem pati velit: illud autem non: hic velit, ibi autem nolit, ab illo velit, ab alio
C autem nolit, tantum, tamdiu, toties velit, aliter autem nolit: Verum simpliciter absoluteq; ad omnem Crucem, Crucisq; circumstantiam æqualiter sit paratus, resignatus indifferens: certus, omnia esse à Deo provisa, ordinata, imperataque sibi ad sustinendum, tam quoad substantiam, quam quoad circumstantias omnes & singulas: ita ut aliquam admittere, aliquam autem excipere, nihil credat esse aliud, quàm Deum velle docere, aut etiam reprehendere, totumquè patiendi fundamẽtum, ac omnẽ patientiæ dignitatem pervertere: quod est
D *Pati quia Deo placet, quidquid placet, ut placeam, & secundum & propter eius placitum atq; gustum.* Stabilire verò aliud fundamentum patiendi, nempè Idolum, & honorem propriæ suæ voluntatis: quod est. *Pati id solum quod volo, & quod iudico ego, quia volo, quia iudico ego.* Quo nihil perversius est in obsequio Divino, odibiliusq; Deo.

Secundò vacabit Exercitio Prudentiæ Christianæ, usuiq; rationum æternarum, & quidem quoad fieri à Tirone poterit etiam sublimium & excelsarum.

1. Prudentia & Sapientia Christiana est cognoscere se & Creaturas omnes: quod nimirū ex se ipsis nihil sint, nihil possint, nullum meritū, nullum pretium, nullam dignitatem, nullum robur habeant, sed quod sint ex Deo, & ab ipso habeant omnia quæ sunt, quæ habent, quæ possunt.

2. Deinde verò ejusdē Sapiētiæ est Deum nosse: quod scilicet sit solus, summus, optimus, super omnia, nullius creaturæ indigus, omniū ex sua infinita effusaq; bonitate fons & parens.

3. Item Sapientiæ hujus est, se contēnere, & omnia creata parvi facere tum propter innatā vilitatem, tum propter infinitam à Dei perfectione distantiam.

4. Præterea ejusdem Christianæ Prudentiæ, Sapientiæq; est Deum super omnia æstimare, amare, collocare, exaltare, se, & omnia Deo subdere, dignitati ejus augendæ servire & studere, voluntatem ejus omnem explere, eiq; se ad omnem usum, ad omne obsequiū, ad omnem nutum tradere, & permittere, in ejus misericordia, liberalitatem potentiam, spem, fiduciamq; collocare: ejus solius Iustitiam tenere, sapientiam mirari, charitatem amare, potestatem timere, atq; sic semper perseverare, neq; ob ullius creaturæ vel metum, vel spem, amoreq; ab hoc latum pilum recedere: sed prius faciliusq; promptiusq, & sui & mundi totiûs jacturam, ipsasque inferorûm pænas æternaliter subire, quam in Dei minutissimam inimicitiam consentire.

5. Ejusdem Prudētiæ Sapiētiæq; Christianæ est leges, & vitam & mores Christi Domini, quos ille inter homines prædicavit, tenuitque nosse amare, æstimare, æmulari, & exprimere in suis moribus: neque quidquam sapientiam mundi, aut prudentiam carnis morari: sed potiùs per omnia contrario modo moribus legibusque mundi & sapere, & loqui & vivere, Mundi namq; sapientia, verissima, est stultitia, mergens homines in interitum & perditionem, inimicum Dei constituens, & Chiisti adversarium Antichristumquè faciens.

Hujusmodi Prudentiam Divinam, omnes quidem homines, potissimumquè Christiani at præ omnibus maximè tenentur ediscere, & nosse, & tenere, tuerique homines Religiosi, qui ex professo cultui obsequioq; Divino dedicantur: ac speciali quadam insuper ratione debent omnes Filii Societatis IESU ad eam prudentiæ Divinæ, notitiam observantiamq; perfectam eniti: utpote qui ipso suo & instituto & nomine mentem & Sapientiam IESU Christi profitentur confitenturq;: Ex quo sequitur Tironi Societatis, tam esse ediscendam, exercendamquè ab initio suo statim ac strenuè hanc Scientiam IESV Christi prudentiamquè, quàm certum est, ad eum pertinere ut ediscat malitiam, vitam, imitationemq; morum IESU Christi: alioqui nulla ex parte Vocationi, imò nec nomini vocationis suæ respondere poterit. Igitur in id Tiro Religiosus, ac inprimis Societatis incumbet, ut secundum illa 5. superius posita capita, vitam suam omnem dirigat, & exigat: Hac enim ratione Prudentiam Spiritûs, & Sapientiam Dei, & scientiam supereminentem IESU Christi moribus ac vita quotidiana exercendo discet, & discendo exercebit.

A

B Quam ad rem conducet multum Tironi perlegisse, ac meditando etiam perpendisse omnem quidem Christi Domini vitam, ab Evangelistis descriptam, sed cumprimis caput quintum, & sextum, & septimum Matthæi Evangelistæ, quibus potissima legis sapientiæq; suæ Capita Dominus complexus est.

Ad eandem rem conducet Tironi, & cognitas & profundè ad animum demissas, cordique insculptas habere rationes, ut vocant æternas, ad quas omnem suam vitæ partem, omnem actionem, omnem animi designationem, commotionemq́, dirigat: quemadmodum etiam è contrario oportet ut cognitas quidem benè, verumtamen animo exosas detestatasquè habeat, rationes humanas & carnales, & temporales, quibus prudentia carnis, & sensus, & mundi, diabolique præcipuè innititur, & gubernatur. Ut æternas quidem totis viribus, & perpetuo interni hominis, Superiorisquè portionis oculo sequatur ac intueatur: humanas verò & caducas, totis quoq; animi viribus detestetur, inferioremque sui partē, ab earum cupiditate, & appetitu, & gustu, tota rationis & libertatis imperantis potestate, efficaciaq; abstrahat, & avellat.

C

D

Rationes porrò æternæ, Divinæ, sublimes illæ sunt & vocantur: in quibus hæc aut similia his agendi motiva, rationisq́ue dictamina sunt. Hoc faciam, vel hoc non faciam, quia Deum amo, qui hoc jubet, cui hoc placet, qui prohibet hoc, cui displicet hoc

cet hoc

cet hoc. Quia Deus hoc punit in hac aut altera vita. Quia per hoc merebor apud Deum gratiam, veniam, æternam vitam, profectum in virtute, vel alia spiritualia bona, naturaliaq; opportuna, juxta voluntatem Dei, & salutis meæ bonum. Quia hoc rationi luminiq; naturali repugnat, vel congruit. Quia hoc ratio recta & honestas exigit, vel respicit. Quia hoc bono communi proximorumq; prodest, aut nocet. Quia hoc ipse mihi fieri vellem, vel nollem ab aliis. Quia hoc legibus humanis publicis, justis, receptis Ecclesiæ statutis, in Religione positis, meo statui præscriptis cautum, receptum, prohibitumq; est. Quia huc me ducunt Leges Christi & mores, & vivendi exempla. Quia hoc exempla & instituta & consulta, Sanctorum prudentum, probatorum, honestorum, suadent, docent, damnant. Hæ similesq; ut dixi sunt rationes æternæ, quæ ideò æternæ dicuntur, quia sempiternæ veritatis, & primæ rationis sunt ex Æternæ Dei Sapientiæ arcanis fontibus manant, in immortalis ac spiritualis naturæ nostræ portione, æternaliter, ac indelebiliter scriptæ sunt, nec eis ratio obluctari ullatenus potest, & deniquè ad æternam vitam deducunt, æternaliterq; recto & honesto inhærent.

E contra rationes humanæ, Terrenæ, Carnales, mundanæ, belluinæ illæ sunt, quæ non Deum non legem ejus, non rationem rectam, non honestum, non commune ac cum alijs conjunctum bonum spectant, sed tantum temporalia commoda & propria cum injuriis Divinæ legis Rationis rectæ, boniq; communis, & æquitatis. Tales sunt. Hoc faciam vel non faciam. Quia suave est sapit delectat, vel molestum & horridum est sensui, carni. Quia pulchrũ splendidum, speciosum, gloriosum, ad famam nominis propagandam, ad excellentiam, ad nomen alijs illustrius, alijsvè par comparandum conducit. Quia ob hoc æstimabor, honorabor, timebor ab alijs, contemnar, despiciar, ridebor, abijciar. Quia judicabor timidus, vilis, abiectus, parcus, sordidus, egenus, impar, simplex, agrestis, ignarus, rudis. Quia pulchrum est digito monstrari & dicier, hic est. Quia hoc & hoc de me dicent. Quia hoc mihi & meis commodis meosves spectantibus prodest, obest, conducit, impedit. Quia ita nunc eunt res, isti sunt nunc mores seculi? ita expedit, ita vulgo fit ab omnibus &c. Breviter: Rationes humanæ sunt, quæ respiciunt vanitatem, curiositatem, speciositatem, voluptatem, jucunditatem, delitias, opes, honores, sensuum oblectamenta; otium, ludos, jocos, excellentias, glorias, laudes, opiniones humanas, præsentes, privatas, proprias, sensuum, transeuntes, cum morte vitaq; imò & ante vitam, mortemquè deficientes.

Item Rationes humanæ sunt: Metus damni temporalis, honorum, voluptatum, opinionum, molestiarum, propter quem A metum æterna & divina & animæ bona negliguntur, amittunturquè.

Item Rationes humanæ sunt: Ratio & cura studium conservatioq; privati, proprij sui sensus, voluntatis, judicij, honoris, vitæ, famæ, opum corporis.

Item Rationes humanæ sunt exempla aliorum prava, & exemplis Sanctorum, Deique legibus opposita, munita, dicteria, scommata, irrisiones, persuasiones minæ.

Deniq; Rationes humanæ sunt, quæ semper annexum habent unum aliquid ex his B Ego, & Meum, & Me. Hæ rationes sunt dicunturq, humanæ & sensuales, & caducæ, & carnales, & temporales, & privatæ, cum tempore & carne, & sensu, & mundo transeuntes, terminumq; accipientes, solidi, æterni, honesti, supernaturalis Divini æterni, vitaq; beata & gratia Dei digni, nihil habentes, sed omnia vana, carnalia, voluptuosa, & fere cum peccato conjuncta, aut vicina habentes.

His Rationibus totus mundus vivit, & ideò C totus perit. His rationibus ut Religiosus non vivat, Religiosus evadit, & Religionẽ init, mundoq; renunciat, paupertatem, carnis voluptates, commoditatesq; etiam licitas resecat per castitatem, sui amorem, suam voluntatem, libertatem, judicium, famam abnegat, abijcitq; per obedientiam, perq; Regularum, & ad exemplar vitæ doctrinæq; Christi ordinatam, restrictamquè disciplinam, ideoq; Religiosus perpetua naturæ inferioris & sensualis violentia appellatur. Etenim omnia sunt studia opposita in Religione studijs mundi: uti confe- D renti rationes æternas, humanasq; patet, quarum prioribus Religio posterioribus, mundus gubernatur. Quod ipsum ex infra positis oppositionibus mundanæ Religiosæquè vitæ evidenter cognosci potest, quantũ enim cœlum terræ, ignis aquæ, lux tenebris, Spiritus materiæ, veritas vanitati, contrariatur tantum hæc duo genera viven di repugnant.

Mundani

LEGES MUNDANÆ & RELIGIOSÆ PRUDENTIÆ

Mundani hominis est:	Religiosi hominis est:
1 Corpus curare, animam negligere	1 *Animam curare, corpus affligere.*
2 Sensum fovere, spiritum extinguere.	2 *Spiritum fovere & augere, sensū mortificare*
3 Rationi suæ prudentiæq; inniti.	3 *Alieno arbitrio stare fidereq; potius quàm suæ.*
4 Voluntatem propriam libertatemquè sequi.	4 *Alienam voluntatē imperiumq; expectare, exequi.*
5 Honori suo inhiare, studereque.	5 *Honorem suum conculcare, contemni velle.*
6 Mala agere, bona velle recipere.	6 *Bona agere, mala (pro eis etiā factis) pati.*
7 Malum esse, bonum dici videriq; velle.	7 *Bonum esse: malum videri diciq; velle.*
8 Excusare se, alios accusare.	8 *Se accusare, alios excusare, tueri.*
9 Deum, & divina negligere.	9 *Deum & divinum beneplacitū pro omnibus æstimare.*
10 Seipsum in omnibus quærere.	10 *Deū solū eiusq; gloriā in omnibus quærere: se nihil curare.*
11 Sapientem, Magnum, Nobilem, doctū, &c, videri velle.	11 *Velle stultū, ignobilē, indoctū, ineptū, inutilē, vilem, haberi, & existimari.*
12 Temporalium & præsentium spe ali.	12 *Alternis tantū inhiare: præsētia non curare.*
13 Irresignatum esse, in seipso stare, se ipsum mensurare, omnes eventus ex bono suo atq; desiderio æstimare.	13 *Totaliter & per omnia se Dei voluntati resignare: in Deumq; tendere & referre, & solâ unâq; Dei voluntate, contentū esse.*

Ex his legibus Mundanæ Religiosæquè prudentiæ discet Tiro, quibus vivere debeat, quas fugere. Oportet autem, ut eas bene insculpat animo: perpetuoq; in id ab ipso sui Tirocinij initio invigilet: ut ad rationes humanas, legesq; mundanas nunquā oculum cordis convertat, nunquam concupiscentia abripi se sinat, sed tanquam à facie colubri & aspidis, pernicissimo cursu fugiat, omnemq; earum titillationem igne citiùs excutiat: omnes autem cogitationes & actiones suas ad normam divinarum æternarumq; ac Religiosarum Rationum exigat & conformet.

Ad quam rem perficiendam magnopere juvabitur, si in meditationibus atq; examinibus suis quotidianis contra humanas rationes, pro divinis æternisq; in seipso depugnaverit tamdiu, donec humanarum rationum sensum & gustum amittat, odium verò horroremq;, imò & oblivionem concipiat. Æternarum contra, sensum, gustū, amorem, usum, habitumq; contrahat, inquè omnibus suis actionibus & commotionibus, ad eas respicere, & ijs convinci in officioq; contineri consuescat, naturaleq; sibi faciat. Tunc enim experietur atque experimento comprehendet: *quæ sit longitudo & latitudo, & sublimitas, & profundum, & quæ sit superminens scientia Christi*: quod nimirum Apostolus tantopere fidelibus optat.

Tertiò vacabit Exercitio Timoris Divini: Sapientiæ, Prudētiæq; ac omnis pietatis Religionisq; in Deum est cognatus maximè Timor Domini: adeò ut etiam Initium Sapientiæ dicatur à Spiritu Sancto. Est autem in Timoris Divini exercitio usu advertendus & vitandus error sanè tam pestilens quàm non infrequens. Persuasio quædam, quod non sit ex timore Deo serviendum, quod citò sit transeundum à Timore ad Amorem Dei, quod imperfectum sit timere, & timore duci in Dei obsequio, quod perfecta charitas mittat foras timorem &c. Adeòq; hæc persuasio nonnunquam invalescit apud incautos, ut etiam Tirones pudori sibi ducant, Timore Dei & non charitate gubernari in Dei obsequio: existimantes omnem Timorem charitati repugnare: cùm tamen oppositum sit: cum inquam nusquam sit perfectus magis, magisq; tener ac delicatus Timor quam in perfecta & consummata charitate. Adeò, ut non tantùm non sit fugiendus Tironibus Timor Dei, sed potiùs sit etiam Sanctis ac Perfectis hominibus retinendus ac assiduò exercendus. Non enim sine causa monet Spiritus Sanctus: *Timete Dominum omnes Sancti eius*: quod utiq; non de Tironibus intelligendum est, Apostolus etiam absolutè monet omnes, *ut cum timore & tremore operētur salutem suam*: quam certè non soli Tirones, sed etiam Sanctissimi quiq; operantur. Alludere autem videtur his verbis Apostolus ad illam Davidicam admonitionem maximè perfectis servientem. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

Exul-

Exultare enim Deo non est incipientium, sed Proficientium, imò Perfectorum.

Sciendum ergo est, triplicem esse Timorem Dei bonum: Unus est Servilis, alter Mercenarij, Filialis tertius, qui etiam Castus vocatur: primus timet suppliciũ æternum, secundus timet damnum cœlestis patriæ, tertius timet iram & privationem gratiæ amicitiæq; Divinæ. Nostra salus, & ad Deum conversio, ordinariè à timore primo nempè gehennæ damnationisq; æternæ: tum verò in progressu transit ad 2dum quo timet amittere gloriam cælestem, at demum ascendit ad tertium, quo nec pœnam nec damnum, sed iram metuit. Non pœnã, inquam, Domini, ut malus servus; nec damnũ mercedis, ut negligens operarius; sed iram patris ac Amici & sponsi amabilissimi, ut optimus filius, ut sincerus Amicus, ut spõsa castissima, & fidelissima, quæ nihil æquè metuit quàm displicere, aut minus placere, sponso amantissimo: Atq; hic timor non mittitur foras à charitate perfecta, sed potiùs est ipsa charitas: certè sine illo non est charitas, & nunquam est illo carendum, sicut & charitate: imò semper est in illo morandum, sicuti & in charitate. Tironibus ergo, secundum mensuram profectus sui in Timore semper est manendum, & etiam exacto Spiritualis vitæ Tirocinio, in eo perdurandum. Si enim absq; timore esse voluerint, non poterunt justificari, & justitiam conservare.

Estq; hæc una causa ex præcipuis (quod diligenter pro omni vita & statu graduquè perfectionis notari debet) ob quas quandoquè solidi perfecti, antiqui Religiosi post laudabiliter decursam in Iuventute Religiosam vitam, in gravi & matura ætate, in graves turpesq; lapsus incidant: à quibus iuvenes longè aberant. Nimirum in prioribus conversationis Religiosæ annis stabant in Timore Dei, cauti circa semetipsos, non fidentesq; sibi, ttntationes cum Patribus Spiritualibus communicabãt, consilijsq; eorum inhærebant, media ab illis & à Religione præscripta servabant: Maturiores verò facti, & perfectionem possidere se rati confidunt sibi & præteritæ vitæ annis pluribus sine offensa traductis, remissiùs agũt, occasiones non evitant, in occasionibus tã imprudenter, quàm confidenter versantur, moranturq; à gratia, quàm non sollicite tractant & servant, imo ejus perdendæ periculo se ingerunt, relinquntur sibi ipsis à Deo quem non invocant, & in ejus timore non sunt, sicq; capiuntur, cadunt, ruunt, & tanquam columnæ cœli collapsæ confringuntur, & tanquam fulgur cum Sathana decidunt in terram: impleturq, illud in eis: *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur Domus tua.* Et illud: *qui sine timore est non poterit iustificari.*

Quocirca Tiro Religiosus, ab initio cone versionis suæ fundabit se in timore Divino ita, ut ejus augmentum in seipso semper A conquirat: semper Dei abyssalia judicia, suamq; fragilitatem & indignitatem recogitando, sibi virtutiq; suæ præteritæ nihil omninò confidendo, nè à Deo derelinquatur, nèvé à facie Dei projiciatur, nè Spiritus Sanctus Dei auferatur ab ipso humillimè postulando. Sic enim Deum timebit semper: timendo autem in ejus servitio & cultu diligens erit: quia *qui timet, nihil negligit.* Sic etiam nullam omninò creaturam formidabit: quia timor Domini ejus est virtutis & efficaciæ, ut omnem alium timorẽ B pellat. Quemadmodum per contrarium qui Deum non timet, omnia timere debebit. Verus autem Sanctus Dei timor ex hòc cognoscitur, quod creaturas non timeat, sed tantum timere illas timeat: atq; ita timor Domini facit verè fortem, verè magnanimum, verè generosum, verè diligentem, verè fidelem, verè securum. Etenim qui *timet Dominum nihil trepidabit: & non pavebit, quoniam ipse est spes eius.*

Atq; hoc est illud, quod Sanctus Bernardus à suo proprio experimento confirmans dicit. *In veritate didici nihil æquè efficax esse* C *ad Dei gratiam promerendam, retinendam, & recuperandam, si amissa sit: quàm si omni tempore coram Deo inveniaris, non altum sapere, sed timere, secundùm illud Salomonis: Beatus homo qui semper est pavidus.*

Timeat ergo perpetuo aut quam creberrimè & ex usu propositoq; singulis diebus statis vicibus repetitis actibus quilibet homo Deum suum. Timeat propter dignitatem & majestatem & potentiam ejus, timeat propter tremenda & inscrutabilia ju- D dicia cosiliaq; ejus, timeat propter absolutum abyssaleq; Dominium ejus. timeat propter Iustitiam rigorosam inflexibilemquè æquitatem ejus, timeat propter suam propriam vilitatem quam exuere non potest, etiamsi in Seraphinum commutetur, timeat propter peccata præterita præsentiaquè, timeat propter peccata in quæ cadere potest, aut fortè cadit, si iram Dei provocaverit, & à gratia Dei desertus fuer:t: timeat propter

ingratitudinem suam, rimeat propter bona omissa, propter bona minùs benè facta, propter gratias auxiliaq; Dei & inspirationes neglectas, timeat propter malitiam, timeat propter inconstantiam, timeat propter aliena peccata, quibus vel causam dedit, vel se immiscuit, timeat propter infinitas tentationes cadendiq; pericula, timeat propter infinitos crudelissimos, assiduæq; suæ proditioni inhiantes hostes infernales.

Hoc timore ex his causis orto assiduè humiliet castigetq; animam suam, excitet negligentiam suam, exacuat diligentiam suã, excutiat securitatem periculosam, expellat fiduciam sui præsumptuosam, provocet sese ad Dei reverentiam, quàm profundissimam, conservet in se & derivet ad se Dei gratiam copiosam: deniq; disponat se ad constantem in bono perseverantiam.

Quartò vacabit. Exercitio Simplicitatis & candoris Religiosi. Est autem Simplicitas omniũ quidem Christianorũ, ita propria, sicut omnes Christiani in ipso Baptismo renunciant mundo & pompis fallacijsq; ejus: & sicut Christianismus est oppositus à Christo Domino Pharisaicæ hypocrisi simulationiq;: attamen potiori jure ad Religiosos spectat: ut pote speciali ratione vitam mundo contrariam profitentes. Ulterius autem peculiari ratione Tyronibus Religiosis ea virtus quadrat, quippe quia hac Virtute ab initio tanquam lacte infantes nutriri, & à secularis duplicitatis fallaciæq; intoxicato nutrimento samari atq; veluti ablactari opus habeant.

Simplicitas itaq; est Virtus opposita omni duplicitati, astutiæ, curvitati, fallaciæ simulationi, hypocrysi, mutabilitati, vafritiei, fictioni, fraudulentiæ, dolositati.

Simplicitas ista, potest, imò mavult decipi & falli, quam ipsa fallere & decipere. Simplicitas hæc facit hominem Deo valdè similem, & consequenter valdè gratiosum ac familiarem. Etenim *cum simplicibus sermocinatio eius*: qui mos est proprius amicorum, familiarium, domesticorum, intimorumquè.

Simplicitas hæc, alienos mores sermonesq; non pervertit, non suspicatur de alijs malum, hoc quod in mente habet etiam ore profert, de nullius malo exultat, de nullius bono tristatur, nulli invidet, neminem carpit, nulli adulatur, mentitur nunquam, moribus antiquis & prisca probitate vivit: omnia bona de omnibus & loquitur & credit: omnibus bene vult, de omnibus meliora, quàm de se opinatur polliceturq;. Ideoq;, ut scriptura loquitur, qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: ex sua enim innocentia, & conscientia, omnes alios metiendo, nullum & nihil metuit.

Simplicitas quoq; ista Deum in simplici-
A tate timet & colit, & reveretur, neq; erubescit obedientiam legibus, voluntatiq;, ejus perinde palam, atq, clàm omnibus præstare. Non erubescit Evangelium, non deterretur sermonibus linguisq; à bono & recto, debito virtutis, status munerisq; sui, officio & cursu.

Hæc eadem simplicitas Deo confidit, eique tanquam infantulus maternæ curæ se permittit, & providentiæ innititur, securè & sine metu in Dei protectione habitat, atquè prorsus in bonitate de Deo sentit, Eadem simplicitas obedientiæ est comes vel
B mater: à simplicitate namq; habet obedientia, quod non examinet cui, in quo, quatenùs, quomodo imperanti obediat, sed agnoscens imperatum aliquid esse, simplicissimè perficit.

Eandem simplicitatem, Fides Christiana in omnibus difficillimis quamvis mysterijs comitem habet, ejusq; opera captivat omnem intellectum in obsequium.

Hæc simplicitas, suos defectus, errores, insufficientias, insipientias, aliasq; his similes imperfectiones cum humilitate aperit,
C àc manifestat, doceri, corrigi, moneri, dirigi, emendari facilis, confusionis non metuens, sed veritati insistens.

Hæc simplicitas, est inimica & odiosa mundo: qui totus est in malignitate & versutia fallacijsq; ac vanitatibus constitutus. Unde Iob ingenium mundi bene prænoscẽs ait *Deridetur* (à mundo) *Iusti simplicitas*: quæ verba perpendens S. Gregorius mores mundi per omnia simplicitati Christianæ contrarios depingit hoc modo. *Huius mundi sapientia est, Cor machinationibus tegere, sensum verbis velare: quæ falsa sunt, vere ostende-*
D *re: quæ vera sunt falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu à iuvenibus scitur: hæc à pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt: hanc qui nesciunt, subiectã & timidi in aliis mirantur, quia ab eis hæc eadẽ duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur dum mentis perversitas, urbanitas vocatur. Hæc sibi obsequẽtibus præcipit honorum culmina quærere: adeptâ temporalis gloriæ vanitate gaude-*

re: irro-

ce: irrogata ab aliis mala multiplicius reddere; cum vires suppetunt nullis resistentibus cedere: cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent: hoc in pacifica bonitate simulare. Hæc Gregorius de moribus & indole mundi, mundanæq; sapientiæ, seu veriùs fraudulentiæ; quàm Religiosus Tiro in totâ suâ vitâ manibus pedibusq;, remis, velisquè defugiet, ore autem & corde & opere detestabitur ac execrabitur, sectabitur autem pleno corde animoque ea omnia quæ superiùs de indole simplicitatis exposita sunt: & quæ idem S. Gregorius ibidem ad idem propositum subjungit dicens: *At contra, Sapientia iustorũ est, nil per ostensionem fugere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare quàm facere, nullam iniuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare.* Hæc & plura Gregorius. Hæc ab initio ipso conversionis suæ discat, & totâ vita exerceat omnis Religiosus Tiro, minimè dubitans sibi inculcari illud à S. Apostolo *Quasi modo geniti infantes rationabiles, sine dolo, lac concupiscite.* Et illud quod alius Scriptor Divinus monet. *In simplicitate cordis Deum quærite.*

Quintò vacabit, Exercitio Veritatis & amplectendæ, & confitendæ. Conjuncta est hæc virtus simplicitati: & vulgò amor veritatis, atq; veracitas vocatur: qua nimirum veritatem & amplectimur si dicatur, & fatemur si requiratur. nec habet locum illud, *Veritas odium parit*: vel illud: *Diminutæ sunt veritates à filiis hominum ponẽtium spem suam mendacium.*

Est autem Veritas, mentis cum re, verborum cum mente, operum cum verbis conformitas: quando cognoscitur res prout est in se, est Veritas mentis: quando dicitur ore hoc quod est in mente, est Veritas oris: quando fiet opere quod assertum est ore, est veritas operis. Et quia Deus est Veritas, inde qui amat vel odit veritatem, is amat, vel odit Deum, qui confitetur vel negat veritatem, confitetur, vel negat Deum. *Et sicut os quod mentitur occidit animam*, quia scilicet cordi ac menti (quæ est animæ medulla & vita) violentiam facit: ita quoque os, quod veritatem amat, fateturquè, vivificat animam, quia concordat menti, ejusq; vitam scilicet notitiam, propagat per linguam aut operationem. Veritatem cognitam negare; vel sufficienter propositam agnoscere nolle, oppugnare, obscurare, obvelare: est in Spiritum Sanctum peccare, & quidem peccato tam in hoc, quàm in futuro sæculo, irremissibili, prout ipsa Veritas Christi Domini affirmavit.

Proinde nulla res periculosius & ignoratur, & odio habetur, & impugnatur & negatur quàm veritas. Ignorata enim. Veritate aut amissa, nihil super est quod sciatur, vel ametur, vel habeatur, nisi nihil, falsum,
A & malum. Quare etiam nulla est honestas, nulla virtus, nullus pudor, nulla fides, nulla benevolentia inimicis Veritatis, sed exosus est omnibus, quisquis male affectus esse noscitur veritati: adeò ut ipsi illi, qui mendacium faciunt vel falsum dicunt: & volunt videri veraces, erubescuntq; deprehendi aut credi mendaces, & alios mentientes reprehendant atq; devitent: quod maximum est signum: nihil esse magis connaturale homini, quàm veritatem, & amorẽ Veritatis: odium autem fugamq; falsitatis.

Quamobrem Religiosus Tiro, assuescet
B amare, audire, dicere, confiteri tueri Veritatem: odisse autem & fugere falsum ac mendacium. Amabit Religiosus Tiro Veritatem, plus quàm animam suam: quippè amabit illam sicut Deum ipsum. Amabit Veritatem ita, ut propter nullum detrimentum vitandum, propter nullum commodũ assequẽdum dicat tenuissimum mendaciũ, quia major est jactura veritatis, & major est pernicies mendacij, quàm jactura cujuslibet alterius boni, aut pernicies alicujus al-
C terius mali. Ex hoc evideter satis cognosci potest malitia & damnositas Mẽdacij: quod nnquè pro totius generis humani, neq; pro omnium spirituũ damnatorum salute jocosum leveque meudaciolum dici debeat. Plus enim odit & horret Deus tantillam injuriam veritatis, quàm ut pro ea velit emere omnium salutem, qua ergo fronte poterit homo repugnare Veritati, & eam mentiendo violare, quàm usq; adeò cordi esse Deo novit & videt. Dixit Christus &
D non semel quidem. *Cœlum & terra transibunt: verba autem mea non pertransibunt*: quod est dicere, tam sibi caram & tam Curæ, & tam pretiosam esse verborum suorũ Veritatem, ut pro veritate unius Iota, & unius Apicis conservanda, cœli terræq; facilè subiturus sit jacturam. Unus Sanctus coram Deo pretiosior est, quam totum hoc visibile Universum cum omnibus in se contentis: & tamen videmus in Ecclesiâ Christi,

sti, innumeros Martyres numerari: quos omnes propter veritatis suæ cognitionem, confessionem, defensionem, jussit animā vitamq; suam, per extrema tormenta ponere potius, quàm tantillum vel ad momentum in veritate titubare.

Ex quorum consideratione si homines maximè Religiosi non discent amare Veritatem, & fugere mendacium: equidem nescio unde discent. Exercitium amandæ dicendæq; Veritatis fugiendiq; mendacij ideò Tironibus debet esse commendatissimum ab initio suæ conversionis à sæculo, ut quàmprimùm ponant in suis animabus solidum fundamentum ædificio cœlesti & habitaculo Divino, ejiciant autem ex cordibus suis usum mentiendi, quem forsan contraxerunt in sæculo, & propter quem non possunt (nisi sublatus pænè sit) securè constanterq; inhabitari à Deo. Etenim anima mentiri non erubescens nec metuens, uxor est diaboli: qui & mendax est, & pater, omnis tam mendacis quàm mendacij: ergo qui mentitur, diaboli partum parit, & qui amat, fovet, tuetur mendacium, is diaboli filios educat, & enutrit.

Religiosus ergo tam esse curabit amicus & custos, & servus Veritatis, quàm esse curat amicus & servus Dei. Contra autem adeò erit inimicus omni mendacio, quàm est inimicus diabolo. Et sicut in nullà occasione atq; conditione vellet, (certè velle deberet) Deum vendere aut perdere, diabolum verò emere & acquirere: ita in nullà causâ, occasione, circumstantiâ, conditione debet in veritatem peccare, aut mendacium quantillumcunq; dicere. Qui facilis est ad mentiendum, ita ut vel ob metum, vel ob damnum: vel ob jocum mentiri audeat, is ostendit se ineptum esse ad moriendum pro Christi fide, & Dei Veritate, si enim ob tantillas causas negat Veritatem, quæ Deus est: quomodo ob jacturam Vitæ honorumquè, ob Cruciatus immanes sibi propositos, aut inflictos non negaret Deum, & ejus fidem?

Concludo punctum hoc: Amet & super omnia æstimet Religiosus Veritatem & Veracitatem, turpissimumq; credat mentiri quomodocunquè. Proponat sæpè & tantò sæpiùs, quantò se novit in hoc passu infirmiorem, omne mendacium in omni occasione, circumstantiaq; fugere; & libere, ingenuèq; Veritatem fateri semper. Oret Deum pro amore & servitute Veritatis: opterquè sibi maximè titulum hunc ut sit dicaturquè servus Veritatis, sive auditæ, sive A lectæ, sive cognitæ, sive promissæ, sive exprobratæ, sive aliter propositæ: à quocunquè demum intimatæ, & ad notitiam deductæ. Oret Deum simulque curet diligenter & constanter nosse veritatem amare, desiderare, inquirere, facere, pati veritatem, & propter veritatem. Docere quoquè eandem & dicere ac profiteri: sequi, defendere, enucleare, ac illustrare Veritatem. Servire veritati, liberari per Veritatem, perfrui & gaudere Veritate, possidere Veritatē, & possideri à Veritate. Hoc si quis impetravit, B si quis obtinuit: obtinuit omnia bona, & omnis boni medullam. Sine veritate enim nihil bonum est, quia illud solum est bonum, quod est verum, & vere bonum. Itaq; omnia bona sine Veritate non sunt bona, sed mala, quia sunt falsa bona: Unicum autem verum bonum, etiam minimū: prævalet omnibus non veris bonis, etiam maximis. Imò bonum maximum non verum: est maximum & verum malum.

C Quocirca cuilibet certum esse debet; nullam esse majorem possessionem veritate: nullum exercitium pretiosiùs exercitiò veritatis. Exercetur illa, amando & dicendo. Amor ejus exercetur, dùm acceptatur in omni occasione: sive inspiretur, sive legatur, sive audiatur, sive videatur, sive aliter proponatur: idq; amicè, inimicè, obiter seriò, objurgatoriè, suasoriè, blandè, acerbè. A majori, à pari, à minori.

Confessio ejus exercetur: dum de peccatis D confitemur sacramentaliter, dum rationem conscientiæ reddimus, dum in periculis animæ, dubijsquè ad spirituales Magistros recurrimus. dum sponte culpas errataquè fatemur, dum accusati non negamus: dum moniti doctiq; acquiescimus. Hic abundè occasionum est Exercendæ Veritatis.

EXER-

EXERCITIA OCTAVI MENSIS.



IN Octavo Tirocinij sui Mense Religiosus.

Primò vacabit.

Exercitio Misericordiæ, atq; Compassionis super proximum. Et Miseratio quidem consistit in benefaciendo egentibus, & in condonando injurias lædentibus propter Deum: quod utrumq; quantò promptiùs & liberaliùs fit, tantò est major perfectiorq; Misericordia: Conjungenda autem sunt hæc duo, quia sine ijs ambobus non est plena miseratio. Nam conferre beneficia in indigentes, odio autem habere injuriantes: non est misericordiæ, sed inimicitiæ. Cùm major sit longè misericordia juvare proximum in malo spirituali, quale est esse injuriosum in alium) quàm in afflictione temporali: quare magis est misericors, qui proximo condonat offensam, eumq; ab hoc animæ damno, quantùm in se est absolvit, quàm qui temporalibus ejus necessitatibus subvenit.

Ille verò est prompte ac libenter misericors, qui & facit benè, & prompte & sponte, & etiam non rogatus ac ne expectatus quidem: & tamdiu, quamdiu vel potest, vel opus est, consulendo rubori indigentis benefacit. Similiter ille est liberaliter misericors, qui & condonat: nec ultionem in occasionem vel in aliam aliquam personam reijcit: neque deprecationem injuriatoris requirit aut expectat, sed sponte ac non rogatus veniam offert: satisfactionemq; condonatione prævenit, & magis dolet de lædētis culpa, quàm de læsione sua, neq; de malo ejus eventu gaudet: imò avertit ab illo malum quod potest: eumq, suis orationibus apud Deum sublevat: & insuper bonū pro malo reddit, malumq; in bono vincit. Deniq; totum hoc non ita, nec ideo facit, quia se à Deo vindicari sperat, optat, aut mavult: (id enim longè major esset crudelitas ac immisericordia, quàm ulla alia vindictæ species) vel quia alias novit sibi à Deo non esse remittenda sua peccata: vel quia modum vindicandi se non habet, sed merè ac purè, quia charitati Dei donat offensam suam, voluntatemq; ejus circa hanc materiam sibi ex Christi doctrina satis notam implere cupit: & insuper, quia proximo suo in animam suam peccati compatitur, eumquè ab injuriæ illatæ peccato quantùm in se est eliberare, quàm primùm desiderat. Hæc est vera Misericordia, quam Deus super sacrificia & holocausta pluris facit.

A

Iam verò Compassio quatenus aliquomodo à misericordia differt, & latiùs se extendit: & non solis proximis impenditur. Etenim cōpassio potest fieri suprà Deum, supra Christum, supra proximum: supra animas purgatorij.

B Compatitur quis Deo, qui sincere amaro & amoroso corde perpetuò deflet injurias contemptusq; Divinæ majestatis, quæ illi perpetuò irrogantur, & olim irrogatæ sunt, & insuper olim etiam irrogabuntur ab hominibus, & à dæmonibus: cum infinita jactura gloriæ ipsius, creaturarumq; (hominum scilicet & Angelorum) ad ejus amorē & honorem, obsequium, fruitionēq; ab ipso conditarum.

C Compatitur etiam Christo Domino ille, qui omnes illius quas in hac mortali vitā subijt injurias, contemptus, dolores, egestates, miserias, fatigationes, contumelias, cruciatus, plagas, Cruces, persecutiones ab hominibus, & pro hominibus, ita credit, ita deflet, ita sentit cordialiter, acsi verè nunc in præsenti hæc omnia Christum sustinentem ex summā in nos charitate, Patremq; obedientiá; ex summa hostium iniquitate ac rabiē intueretur.

D

Adhuc etiam Christo compatitur, qui sincero corde deplorat ingratitudinem hominum erga Christum, cujus pro se tantorū laborum dolorumq; susceptorum, usquè adeò sunt ingrati, ut eligant passim animas Christi sanguine redemptas, ablutasquè, potius Diaboli obsequio, consortio suppliciöq; in æternum addicere, quam Deo & Christo

Christo, pro ejus beneficiis servire, quasi operibus ipsis protestentur ingratissimi mortales: plus sibi placere diabolum cum suâ æterna damnatione, quàm Deum Christum cum suis beneficiis, cum suâ charitate, cũ sua beatitudine. Quâ injuria, cum nulla possit cogitari enormior: habet quisquis oculos & sensum mentis habet, unde cordialissimè Deo & Christo compatiatur.

Compatitur quis proximo: afflictionem, miseriamq; patienti, sive in corpore, sive in famâ, sive in anima, qui omnem proximi molestiam reputat & sentit, tanquam propriam suam: non attendens, sit ne proximus notus, an ignotus, vicinus, an remotus, junctus, an abjunctus sanguine, amicus, an inimicus: sed tantummodo intuetur quod sit proximus, & quidem afflictus: cui & fert opem re ipsâ, si potest, & saltem corde compatitur, ore consolatur, oratione apud Deum suffragatur, cum aliter non potest. Maximè verò proximo compatitur, qui de animæ illius malis, damnis, periculisq; ex corde cruciatur, & ad eius auxilium, qualecunq; illi afferre pro suo statu potest, efficaciter excitatur.

Compatitur etiam animabus Purgatorij ille, qui ex animo condolet animabus illis, quod in illo sæculo acerbissimas pœnas sustinent, quod omnis miserationis Divinæ sint incapaces, quantùm ex seipsis: soliq, rigorosæ justitiæ obnoxiæ sint: quod à desideratissimo Dei conspectu, fruitioneq; arceantur: quod sibimet nullam omninò in miseriis illis opem ferre, non precibus, non lacrymis, non crucialibus, non ipsa charitate apud Deum possint: His autem omnibus, verè illis compatiens, excitatur ad opem illis ferendam, Sacrificiis, Sacramentis, Orationibus, injuriis, afflictionibus corporis, Eleemosynis, Indulgentiis, & aliis in Christi Ecclesia receptis, consuetisquè modis: estq; in hac pia pro animabus istis solicitudine assiduè liberalis, & liberaliter assiduus, tam per se ipsum, quàm per alios, quos ad eandem compassionem, solicitudinemq;, ratione quâ potest induci.

Hoc omne tam miserationis, quàm cõpassionis genus potest Religiosus exercere: imò si primam aliquomodo misericordiæ partem, quæ in succursu rerum temporalium atque largitione consistit, cuiùs commoditatem non ita Religiosi habent, ut ij qui propria non possident, (quàm commoditatem tamen omnium perfecta obrenuntiatione, votoq; paupertatis abundè compensant & evincunt) imò inquam, in suo Religioso statu summam commoditatem illorum exercendorum habet. Proinde illorum exercitio assuescet à primis Religiosæ vitæ incunabulis.

1. Orando singulis diebus statisque vicibus ac temporibus, pro omnibus omnium hominum, totiusque adeò Universi necessitatibus naturalibus, & personalibus, Spiri- A tualibus, & corporalibus, Temporalibus, & Officialibus, sive ad officium, munusque cujuslibet spectantibus.

2. Condonando etiam ex corde, omnes, magnas juxta atq; parvas offensiunculas, peculiarique benevolentia & officio prosequendo eos, qui molestiæ alicujus causa forte fuerint. Ignorando nomen inimici & ultionis: nesciendo linguam querulosam: sed omnes tanquam benefactores, (uti revera sunt, modo nos malefactis alio- B rum bene uti, sciamus velimusque) reputando: amore beneficiis, oratione pro ipsis, commendatione ad alios prosequendo. Afflictos ab alijs vel aliunde adjuvando (sine censura & insultatione illius) consolando, erigendo, quantum necessitas, charitas, salusque communis, aut privata permittit afflictioni obsistendo, & medicinam faciendo, aut fieri procurando.

3. Dolendo & lugendo nomine totius mundi, de offensis injuriisque Divinæ majestatis, & charitatis, & voluntatis: de ingra- C titudine quoque erga Deum, ac potissimũ Christum.

4. Detestando etiam, & deflendo, tum impedire ne fiant, expiare autem quæ jam facta sunt, tam propria, quàm aliorum omnium hominum peccata laborando, pro salute, conversione, perseverantia hominum, in via de statu salutis orando, agendo, laborando, patiendo, omnesque præsentes labores, tum futuros Deo pro gloria ejus, proque salute proximorum offerendo, ap- D petendo, seseque illis idoneum juxta statum suum reddendo, & reipsa applicando, impédendoque.

Animabus purgatorij de tenerrimo corde compatiendo, atque omnem quæ commode fieri possit opem illis ferendo. Hæc faciendo Religiosus assequetur illas comprecationes optatissimas, quarum una est Prophetæ Devidis: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus*. altera est ipsiusmet Christi

Domi-

Domini. *Beati misericordes: quoniam & ipsi misericordiam consequentur.*

Secundò vacabit. Exercitio Iustitiæ, non illius generalis, quæ sicut omnẽ Virtutem, bonitatemq; complectitur, ita etiam in omni Virtute exercetur: sed specialis, cujus nimirum officium, est reddere unicuique quod suum est, reddere quæ sunt Dei Deo: quæ Cæsaris Cæsari, cujuslibet proximi cuilibet proximo.

Iustitia ad Deum exercetur, cum Deus ut super omnia est, super omnia diligitur, æstimatur, & colitur: cum voluntas ejus omnis plenè adimpletur: cum gloria ejus ubiq; promovetur, defenditur, quæritur: cũ omnia quæ ex beneficio & auxilio illius habentur perficiũturvè ejusdem Gratiæ & bonitati candidè attribuuntur. Cum omnia adversa, modestè, humiliter, ac patienter veluti de paterna illius manu venientia recipiuntur, Cum peccata in charitatem, voluntatem, dignitatem ejus commissa, pœnitendo, retractando, emendando, expiantur, ac corriguntur. Cum omissa, neglecta, neglectim facta in ejus obsequio & cultu, & causa facta, fervore, diligentia, incremento compensantur & exæquantur: denique cum in cultu Divino, nihil aliud præter unum solumque cultum Dei attenditur & spectatur: non lucrum aut commodum, non supplicium aut detrimentum: sed præcise Divinum debitum, & quidem propter dignitatem Dei, superq; omnia eminens Dominium, propter subjectionem autem creaturæ omnimodam ad Deum debitam. Hæc est Iustitia ad Deum: cujus omnia puncta: (ait hominibus Christus:) *Cum omnia feceritis, dicite: Servi inutiles sumus,* quod debuimus facere fecimus. Atq; talibus hostiis promeretur Deus.

Iam Iustitia ad proximum exercetur, cũ ex toto servatur illa una lex: *Quodcunque vultis, ut faciant vobis homines: & vos facite illis:* Itemq; *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Hæc est enim lex & prophætæ ait Dominus. Igitur Iustitia ad proximũ est, reddere unicuiq; quod suum est: hoc est autẽ proximi, quod & tuum in ijsdem circumstantijs & juxta rectæ rationis arbitrium. *Non est opus multis sermonibus: nec prolixis legibus, aut variâ doctrina. Voluntas tua, ô homo sit tibi lex. Vis beneficia capere? confer beneficium alteri: Vis misericordiam consequi? miserere proximi. Vis laudari? lauda alium. Vis amari? ama. Vis partibus primis potiri? cede prius alteri. Tu sis Iudex, tu sis legis tuæ legislator.* (Chrisost: hom: 13. ad populum Antiocha) Ista lex est toti mundo, toti inquam humano generi lata: in visceribus animæ rationalis insculpta & signata characteribus indelebilibus. Et quanto magis Christianis cum Stigmate Christi in Baptismo impressa? Deniq; quantò magis Religiosis & speciali jure, rationeq; ad sui cultum: id est:
A ad suæ legis observationem perfectam ex seculi Ægypto in Religionis desertum, aut potius terram promissionis evocatis & introductis, intra viscera cordium, conscientiarumq; radicata censeri debet: erga omnes quidem, at maxime ad domesticos fidei & ad consortes ejusdem vocationis atque gratiæ. Cum his, namq; prout auctiori quodam nexu stringitur quilibet Religiosus: ita etiam majori obligatione ijs hoc tenetur præstare, quod sibi præstari ab alis vult: hoc tenetur ijs non facere, quod
B ipse sibi non vult fieri.

Arctiori porrò vinculo stringi Religiosos inter se, quàm vel Christianos, vel homines inter se, illud argumentum est sane evidentissimum: quod homo homini proximus est tantum naturæ similitudine & cõmunicatione; Christianus verò tantum fidei Christianæ & Vocationis ad eam participatione: Religiosus verò Religioso nectitur præter supra dictos nexus, insuper alio strictiori, nobiliori, altiori, pressiori
C vinculo: Cujus gratia omnia vincula naturæ, etiam maxima, qualia sunt parentum, filiorum, fratrum, sororum &c. negliguntur, imò rumpuntur, & deponuntur: juxta illud Christi Domini edictum. *Qui non odit Patrem, Matrem, fratrem &c. non est me dignus, non potest esse meus discipulus.* Christianis autem communia vincula, vinculis Religiosis arctantur insuper, & abjectis omnibus ijs, quæ inter etiam Christianos inimica esse solent conjunctioni & Iustitiæ, charitatiq; qualia sunt: *Meum & Tuum:* in
D unum cor, & in Animam unam omnes coadunantur, coalescuntq;: ita ut sint omnes, tam nomine, quàm re, servi Iustitiæ, omnes ad alterutrũ fratres in gratia, non in natura: in Spiritu Sancto, non in carne & sanguine: in visceribus charitatis Christi, non in massa propagationis, vel similitudinis humanæ.

Itaq; Tiro Religiosus ab ipso sui Tirocinij primordio, per totum deinceps vitæ Religiosæ progressum, agnoscat attendatq; ne-

xum

xum hunc ſuum, quo fratribus, domeſticis, ejuſdemque Religionis ſecum conſortibus in Chriſti charitate adſtringitur: ex eoque vitam ſuam omnem, ad omnes quibus cum vivit ordinet ac tranſigat: ut nemině omnino, non majorem, non parem, non minorě lædat unquam, non animo, non verbo, non ſigno, non facto, non conſilio, non propoſito, non voto; impendat autem ea omnia, quæ ſibi ipſi rationabiliter ab aliis optet. Applicando¦ hanc Chriſti Regulam in omni occaſione in qua cum fratribus ſuis quocunq; modo concurrit: ex eiuſque norma omnem ſuam actionem alios quoquomodo concernentem dirigat & peragat. Sic enim adimplebit omnem Iuſtitiã Deo, & propter Deum omni proximo.

Dum verò eam quam proximis fratribusquè ſuis debet Iuſtitiam impědet: meminerit etiam inter proximos fratreſque imò inter Parentes ac Superiores numerare Communitatem ipſam atq; Matrem Religioně. in qua ſic vivere ſemper diſcet ſtudebitque ut ei omnimodis quidem ſubſidio & auxilio: nullatenus autem gravamini & dedecori ſit, ut eam oratione ad Deum, ſermone ad proximum vitæ probatiſſimæ diſciplinatiſſimæq; exemplo, ſalvam & incolumem conſervet, atq; poſteris ad eandem accedentibus, eam quam maxime florentě, ordinatam, urgentem, juxta Regularum literam, juxta Priſcorum Patrum Ideam ttanſmittat. Magna enim eſt injuſtitia, ne dicam impietas Religionem Matrem, quàm in tuis maioribus integerrimam acceperis, corruptam, laxatam, indiſciplinatamq; per tuos mores redditam poſteris tradere.

Huic propoſito ſerviet etiam, ut Religioſus & à Tirocinio & ſemper omnia quæ ſibi à Religione concedětur munia qualiacunq; illa tandem erunt, quàm perfectiſſime ſemper obeat, & expleat omnibus numeris: ſecundum integritatem Religionis: ſecundùm Antiquorum Patrum normam: ſecundum boni exempli odorem, tam ad domeſticos, quàm ad externos propagatum ſecundùm ſuum in Spiritu & virtute progreſſum: ſecundùm Superiorum mentem: ita ut in ejus cura, fide, prudentiâ, diligentiâ, ſecurè conquieſcere poſſit & audeat Religio. Eſt enim etiam hæc non poſtrema, imò præcipua atq; prima pars Iuſtitiæ, quæ impendi debet proximo.

Quemadmodum etiam illud ex Iuſtitiæ debitio curandum cuivis Religioſo incumbit: ne in communitate Religioſã, aliis laborantibus ipſe magna parte otioſus ſit vel adeò modicum laboret, ut ſuo quotidiano labore ſumptum quotidiani ſui victus, commodorumq; aliorum quæ à Religione percipit, vix, ac ne vix quidem fortaſſis adæquet. Sanè, tales etiam in ſæculo exoſi, A intolerabileſq; ſunt, vel ſi filii ſint apud parentes, hac conditione oneroſi, ijs & moleſti ſunt. Quantò magis hoc in domo Dei inq; patrimonio Chriſti, in labore & ſudore Sanctorum, in Eleemoſynis & meritis Piorum Benefactorumq; intolerabile, probroſumq; videri debet. Quocirca Tiro Religioſus in hoc etiam juſtus eſſe ſtudebit: ut in omni vita ſua, tantum laboris induſtriæq; in commune juxta muneris, ætatis, conditionîſq; qualitatem conferat: quantũ illi ſit ſatis, ut ſine probro, ſine exprobrati- B one otij, (à Deo & conſcientia) quotidianas impenſas à communitate Religioſa, cũ humilitate ac modeſtiâ, expectet atq; recipiat: non autě cum acerbitate extorqueat.

Tertiò vacabit. Exercitio Fortitudinis, magnanimitatiſquè Chriſtianæ. Eius officinm eſt continere in officio, (hoc eſt ſub rectæ rationis, Divinæq, legis obſequio ac dominio) ſemetipſum, gubernarequè ſe libero ſuo arbitrio, tunc, quando in hominem conſurgunt teutationes, ſive ad C ſuperbiam & elationem ſuper alios, ſive ad complacendum & confidendum, arrogandumvé aliqnid ſibi: ſive ad iram & impatientiam, & impotentiam, ſive ad invidiam, ſive ad delectationes ac voluptates, indulgentiaſq; ſenſus, & carnis, ſive ad vanam gloriam, & placendi innoteſcendiq; aliis ſtudium: ſive ad timorem, mærorem, diffidentiam, puſillanimitatem, triſtitiam, ac tædium; ſive ad vanitates & curioſitates, ſuperflnitateſq; in cognoſcendo, in videndo, in habendo, in colloquendo: ſive ad quaſ- D cunq; alias imperfectiones, inordinationes, malitiaſq; rationi Virtuti, conſcientiæ, ſtatui Religioſo, perfectioni, & Deo diſplicentes, repugnanteſquè. His enim omnibus fortitudo Chriſtiana, ſeu animus illius ſtudioſus, ſtrenuè fortiterq; reſiſtit, & ſui dominatur; eoſq; rebellantes, ac efferveſcentes cupiditates, & commotiones comprimit, calcat, abjicit, deteſtatur, ulciſcitur.

Atque in hiſce operibus fortitudinis Chriſtianæ exercitium conſiſtit: quàm tanti æſti-

ti æstimat Spiritus Sanctus ut asserat *Meliorem esse eum qui dominatur animo suo, quam expugnator urbium*, debellator exercituum, occupator regnorum, jugulator leonum &c. Etenim talia fortitudinis opera in speciem miranda & insignia perfecerunt Davides, Samsones, aliiq; complures, qui tamen cupiditatibus suis frenos non semper injecerunt, sed ijs fœdè succubuerunt, imbellesq; fuisse comprobati sunt. Quamobrem Tiro Religiosus magnopere accendetur studio acquirendæ per Exercitium Fortitudinis hujus, quâ dominetur cupiditatibus, passionibus, consuetudinibusq; suis pravis, cujus exercitij tot habebit occasiones, quot tentationes à diabolo, à mundo, à carne, à seipso, ab alicujus verbo vel exemplo, ab aliqua creatura experietur. Tot item habebit occasiones exercendi fortitudinem, quot in se, in animo, in corpore, in sensibus, in intellectu, in voluntate, in libertate, in amore proprio sentiet commotiones, impulsusq; inordinatos contra rationem, contra Dei voluntatem, contra Regulas & instructiones, contra proposita sua, contra virtutem quamcunquè.

Cæterum fortitudinem hanc maximè acquirere solent, consequenter & debent homines, per ardentem, strenuam saporosamq; ac cordialem Dei dilectionem, itemq; per sincerum & castum, filialemq; ejusdem Timorem ac venerationem. Nam qui Deum ex corde amat & timet, honoriquè & voluntati ejus impensè studet: huic nulla tentatio gravis, nullus terror terrori, nulla difficultas difficilis, nulla delectatio mundana, carnalis, sensualis, vana, curiosa, in pretio & desiderio est aut esse potest: sed omnia hæc absorbentur ab amore Dei, omnia hæc expugnantur, expungũturquè à Timore Divino.

Fortem ergo facit & magnanimum amor & timor Dei: hæc enim duo confirmant hominis intellectum in cognitione & æstimatione Dei, ejusq; voluntatis ac dignitatis & bonitatis Sapientiæ quoq; ac justitiæ, & potentiæ: voluntatem verò ejusdem hominis inflammant ad Deum, & ad proximum, & ad placendi Deo studium, ad salutisque suæ operationem & curam. A corde verò hominis eadem illa duo (scilicet amor & timor Dei) auferunt amorem & timorem creaturæ, imò contemptum ejus inducunt, adeò ut homo Deum amans & timens indignum reputet creaturæ amore vel timore separari à Deo, vel ad momentum, vel ad latum pilum.

Inde est quod verus amator Dei, verè sit etiam fortis & magnanimus. Nullam creaturam æstimat aut miratur, aut amat aut cupit. Nullam item timet: sed tantum amare & timere creaturam timet. Cum è contra qui sunt frigidi in amore, timorequè Dei: ij facillimè incidunt in amorem & timorem creaturarum, avocanturq;, vel
A absterrentur à Dei cultu & voluntate, quolibet timore amoreq; etiam vilissimarum, vanissimarumquè cupiditatum & creaturarum. Qui enim Deum non amat, necesse est, ut aliquid aliud quod non est Deus, amet eiusq; servus sit contempto Deo. Itē qui Deum non timet castè ac filialiter, necessario cogitur omnem creaturam timere, & ubi non est timor, formidabit, trepidabitque à timore: atq; omnibus rebus, cupiditatibus, tentationibus, cogitur succumbere, servusq; esse ac mancipium tot dominorum
B quot tentationum, quot cupiditatum, quot vitiorum, quot creaturarum Licet autem videatur talis homo sibi animosus, audax generosus, potēs ad faciendum scilicet malum, ad offendendumquè Deum, ad transgrediendum ejus mandatum, ad prostituendam suam salutem, ad lædendam propriam conscientiam: in veritate tamen est timidissimus & imbecilissimus, ignavissimusq; sicut in veritate est infirmissimus ille homo, qui ex infirmitatis febrisque vehementia phreneticus est ac insanit: supraq; suas
C vires conando, casu subito concidit & interit. Talis est omnis ille, qui in peccando strenuus & fortis esse vult: quiq; in nullâ re mala, frenum cupiditatibus suis ponit.

Tiro itaq; Religiosus ex timore ac amore Dei strenuo, casto, ardenti, desumet suam fortitudinem: qua sese armabit contra omnes extraneas tentationes, contra omnes internas cupiditates, contra omnes veteres consuetudines, contra omnia prava, exempla aliorum, contra linguas censorum, irri-
D sorum, detractorum; contra difficultates in virtute, inq; operibus bonis & in victoria sui, contra terrores dæmonum, contra illecebras sensuum, contra vanitates mundanas, contra opiniones hominum, contra proprii amoris, libertatis, judicii, honoris, famæq; dulcedinem, contra diuturnitatem, temporum, laborum, molestiarum, contra dolores, infirmitatesq; corporis, contra iras, minas, injurias, contumelias pœnas, crucesq, inimicorum & tyranorum.

Hæc omnia Religiosus non tãtum timemere non debet, sed potius ridere, atq; tanquam puerilia terriculamenta exsufflare, & veluti merendi, coronamque & gratiam augendi, & in Deum fidelitatem atq; charitatem contestandi, & omnes diaboli vires ope quidem Divinâ, suam infirmissimam cõfortante, conculcandi materiam, segetemq; expetere, excipere, & in usum convertere.

Efficiet autem hoc Religiosus Tiro sine magna imo sine ulla difficultate, si armatus divina ope & gratia, inq; divinam opem fiduciâ, & ad illam per orationem recursu, in minutis quibusq; quotidie & assiduè se offerentibus occasiunculis se se animosè gerere, fortiterq; vincere studuerit, & insueverit. Ex minimarum enim victoriarum sui usu, & ex consuetudine minimas tentationes, cupiditatesq; suas vincendi ac frangendi, insensibiliter quidem, & infallibiliter disponet se se ad vincendas quoq; maximas tentationes, cupiditatesque, ac terrores.

E contra autem si ex stultitia vel ignavia non conabitur sibi suisq; cupiditatibus resistere in minimis: is non tantum nunquam poterit esse victor in maximis: sed etiam quotidie fiet infirmior ad superandas etiam minimas difficultates, ac appetitiones. Usu enim succumbendi illis, ac cedendi & indulgendi, fiet illarum servus, ab eisquè tanquam jumentum vile raptabitur: & omnis etiam minima alicui tentatio, erit illi maxima & robustissima: ut pote quæ illũ calcare vincereq; jam assuevit, & cui ille succumbere didicit, succumbendoq; mancipium eius factus est. Utinam hoc capiant corda Tironum.

Quartò vacabit. Exercitio Temperantiæ, & Abstinentiæ, atq; Sobrietatis. Quam latè pateat: quàm necessarium sit hoc istius Virtutis exercitium, patebit ex illius subiecta explicatione. Est igitur officium & exercitium Temperantiæ, moderatè, & tantum secundum necessitatis exigentiam uti rebus ad cibum & potum, cæterũque victum necessariis, in vestitu quoque, in lecto, in habitatione, in supellectili, in omnibus denique rebus, quas hæc vita requirit, resecando omnem superfluitatem, curiositatem, vanitatem, pretiositatem, elegantiamque indebitam: habita ratione valetudinis atq; status aliarumq; circumstantiarum, quæ cum honestæ sunt, inter necessarias computari possunt.

Sciendum autem est, Temperantiam Religiosam arctiorem esse debere, quàm aliorum statuum. Non tantùm enim superflua resecare debet, verum etiam necessariorum aliquem defectum modestè sustinet, aut sponte quærit & subit. Eligit potius viliora quàm pretiosa, minus sapida præfert delicatis, aspera mollibus præponit. Temperãtia quoque vitat sumptus quos potest: vitat & resecat non necessarias occupa-
A tiones, curas, conversationes, collocutiones, apparatus & apparentias, visus & jocos, & spectacula nova curiosaq;, pompas, item & concursus, amicitias & visitationes merè politicas & Spirituali fructui non cõmodatas, & ad solam temporis pretiosi, Spiritualisq; pacis & fervoris jacturam opportunas.

Temperantia hæc (ut ex dictis utcunq; iam colligi potest) maximam mortificationis internæ, externæq; partem in se conti-
B net, ac proinde ad Religiosam Virtutem perfectionemq; valde utilis, imò necessaria est. Illa servat puritatem, tam mentis, quàm corporis: Illa bonis donisq; Dei utitur prudenter, hoc est in Dei gloriam, in suam verò & proximi salutem. Illa orationibus subsidium & efficaciam impetrandi largitur, utpote quæ est Vigiliarum & Iejunii & Eleemosynarum parens: & sobrios aptosq; homines ad orandum reddit. illa valetudini & vitæ multum conducit: Illa
C Religiosam Paupertatem, Patientiam, modestiam, mediocritatem, Puritatem quoq; ut supra dixi custodit, propagat, conservat. Sine Temperantiâ, verò omnia secus eveniunt, omnia prædicta bona concidunt, oppositaq, damna incurruntur.

Itaq; Tiro Religiosus addictissimus erit Temperantiæ Studebit curabitq; quàm paucissima habere: eaq; minimi pretii, & tantum necessaria omnino: & de licentia Superiorum. Studebit res sibi ad usum concessas quàm diligentissime conservare,
D ut quam diutissime durent: sciens pro certo, omnia quæ sibi ad usum in domo Religiosa datur, esse Patrimonium Christi pretiumquè eius sanguinis, & Divinæ Providentiæ effectum atq; fructum. Studebit semper esse contentus communibus in victu & vestitu, & in aliis rebus, occupationibus officiis, oneribus, nequè exceptiones aut immunitates privilegiaquè specialia desiderabit, vel admittet. Studebit esse parcus somni vitabitq, mollitiem lecti: Studebit

esse

esse parcus sermonis etiam necessarii: tardus ad loquendum: & nonnisi invitus fere loquetur, idquè cum præmeditatione: nec loquetur ad satietatèm, sed festinabit ad silentium. Studebit esse parcus cibi & potus: nunquam comedet ad satietatem: multò minus ad gravedinem: sed semper à mēsa ieiunus surget: hoc est talis ut se sentiât plus adhuc comedere posse: post mensam enim talem, discet experimento, satis sumptum esse: & illam famem quam aliquátenus in fine sensit non fuisse à necessitate, sed à cupiditate ac voluptate comestionis. In comedendo non erit festinus, nam festinatio intemperantiam arguit. Non inhiabit cibis potibusq; delicatis vel pretiosis, neque delectum ciborum faciet, nequè condimenta per se adiiciet, quibus saporem gulamq; oblectet: Patiatur aliquid sibi deesse, vel incommodè esse. Certo sibi persuadeat, ut plurimum omnes morbos hominum esse ab intemperantia, nimietatequè victûs: proinde & semper inediam amabit, jejuniumquè: & malet declinare in parvā quam in plenam comestionem: imò dum male se sentiet in valetudine disponi, omnium primum medicamentum experietur, assumetque ab inedia Extra tēpora solita, neque comedet, neque bibet unquam: cavebitque consuetudinem contrahere bibendi inter prandium & cœnam, aut vesperi post cœnam Si sitim sentiet aliquando, eam per breve tempus sustineat: & experietur mora illa omnem elanguisse atque abiisse, quod signum illi erit nequaquam feriam sitim fuisse. Omnis cibus ac potus extra tempora sumptus, absurdus est in Religioso: ac maxime si apud externos extra domum fiat Non sibi illudat illa excusatione non infrequenti, quòd cum facultate aliquid bibat, vel comedat: nam illa facultas impedit quidem peccatum in obedientiā, ac paupertatem Religiosam: sed non tollit peccatum in Temperantiam: Etenim facultas illa supponit necessitatem, & in necessitate hac supposita concedit usum, si ergo falsa necessitas sit, facultas illa gulæ non obsistit. Studebit amator Temperantiæ Religiosæ: vitam, moresque suos potius in austeritatem virilem declinare, quam in mollitiem mulieres decentem. Turpe est, nimis comptum, nimis mundum, nimis compositum esse Religiosum: decet enim eum aliquantula sui negligentia: dummodo caveatur singularitas. & offensio aliorum. Hæc austeritas maximè in tactu exercenda est Religioso. Nam mollibus vestiri, mollibus insidere, mollia molliterque tangere, faciem, manum alienam, vel vestem leviusculè tangere, luxuriam sapit, vix certè honestum est. Obambulare Civitatem ad videnda Palatia, sumptuosa ædificia, elegantias, Nobiles, vel personas, pompas, spectacula: hæc quidem me suasore Religiosus omnis, ac maximè a sæculo noviter digres-
A sus, non tantum devitabit, sed etiam despiciet, & tempus talibus insumendum, in meliora collocabit. Insuper studebit temperantiæ cultor, temperare sibi, & suo profuso affectui, in res quaslibet, quas illum facere, tractareq; delectat, etto ad ejus officium, eas tractare pertineat. Ista delectatio in studendo, in conversando, in colloquendo, in concionando, in colludendo, in disputando, in operando, refrenanda est & non ex delectationis, quæ sentitur inde motivo, sed ex Divini amoris, ex obedien-
B tiæ, ex charitatis proximi intuitu, exercenda ac peragenda erit.

Atq; hæc temperantiæ exercitatio multo magis adhibenda est a Religioso in mercede sensuali exigenda, paciscenda, speranda pro laboribus suis ordinariis, aut extra ordinem susceptis. Est enim revera miserum, ac etiam probrosum, nihil agere, aut velle agere Religiosum, ex obedientia liberali atq; supererogatoria: sine spe aut pacto compensationis cujuspiam, quæ tanquam merces omnino exigatur, Nam cur isti-
C us modi Religiosus non accenseatur illis, quibus Dominus dicit: *Receperunt mercedē suam*: equidem non video. Hic enim non tantum recepit, sed etiam exegit, etiam extorsit, etiam murmuratione, etiam indignatione rustica, puerili q; explevit, opusq; suum quod Deus seipso remuneraturus erat pro vilissimo poculo, sordide divendidit, atq; prostituit Nimirum ad eas sordes dejiciuntur mancipia gulæ, & servi intemperantiæ, hostes autem sobrietatis, mortificationis, & abstinentiæ. Horum autem
D germani fratres, aut etiam his deteriores, majoreq; censura & nota in Religionibus digni sunt illi, qui prandia & convivia externorum non refugiunt, imò exambiunt, aut etiam sine fronte se se iis offerunt inseruntq;: tum verò in iis temperantiæ, abstinentiæ, sobrietatis, modestiæ obliti, diu, effusè, spontè immorantur.

Quintò vacabit. Exercitio Pietatis, Religionis, ac Vitæ Spiritualis. Consultò & convenienter hoc exercitium, priori Exercitio temperantiæ subjungo, ut nimirum majus pondus, roburq; & à priori habeat, & eidem rursus addat hæc vitæ Spiritualis, pietatisque Religiosæ exercitatio. Neque opinor opus esse immorari in hujus Exercitii commendatione: cum ipsorum nominum mentio personis Religiosis eam abundè per se se faciat & ingerat. Tantū ergo vitæ Spiritualis istius officium & munera proponenda sunt Tironibus, ut ad eorum exercitationem plenis cordium affectibus accingantur.

Igitur vita Spiritualis illa est, quæ contraria Vitæ carnali, sicut Spiritus contrarius est carni, de qua contrarietate rotundè affirmavit Apostolus: *Caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur.* Et quia caro, mundus, diabolus, unius ejusdēq; sunt farinæ, ideo etiam uniformes cum spiritu, spiritusq; cum ijs inimicitias assiduò exercet: adeò ut dum spiritui repugnat caro: & subito & mundus & diabolus repugnet: & dum repugnat spiritus, mundus mox repugnat cum carne & diabolo: & dum spiritui repugnat diabolus in comitatu suo habet carnem & mundum: ita vicissim, dum spiritus repugnat uni horum adversariorū, repugnat omnibus tribus. Quare qui spiritualiter vivit, seu vivere vult, & carni, & mundo, & diabolo repugnet oportet: alioqui parum intererit uni horum repugnasse, si contigerit in alicujus ex reliquis duobus casses manusve incidisse.

Quibus interpositis, iam dico cum Apostolo, Iacobo: quod *Religio munda*, & spiritualis vita sit, abundare operibus bonis, & *Immaculatum se custodire ab hoc sæculo*, & à carne, hujus sæculi inquilino, & à diabolo hujus sæculi Domino. *Religio munda*, & Spiritualis vera Vita est, evitare & abhorrere diligentissimè ab operibus mortuis sæculi hujus, & à peccatis tam carnalibus, quàm spiritualibus, hoc est, carne & mente patrari solitis, compressas habere omnes terrenas, carnales, naturalesq; cupiditates, ac affectiones, pasci autem & nutriri cœlestibus & æternis. Item *Religio munda*, & Spiritualis Vita est, amare & sectari patienter fortiter, libenter, prudenter vitam corporii & sensui & amori, & honori, & arbitrio proprio amaram, ingratam, oppositam. Etenim afflictio carnis, est consolatio spiritûs, & unde corpus infirmius, inde spiritus robustior redditur. Item *Religio munda* & Spiritualis vita est, desperare de seipso, sperare in Deo, fugere perinde præsumptionē ac desperationem: stare semper in agnitione, & expectatione potentiæ virtutis Dei, propriam autem vilitatem, fragilitatem, mutabilitatem ob oculos jugiter habere. A Item *Religio munda* & Spiritualis vita est, Iudicia Dei timere & revereri: quoniam terribilis est Deus, in consiliis super filios hominum, & judicia Dei abyssus multa, & horrendum est incidere in manus Dei viventis. Ex hoc autem judiciorum Divinorum metu, debet emanare omnis peccati diligens fuga, pro omni peccato seria & cita, & gravis satisfactio, omnium bonorum operum diligens consectatio, omnium donorum, gratiarumq; Dei, tam sibi privatim quam cum toto simul mundò collatarum, B avara & ambitiosa conquisitio, magna æstimatio, adæquata usurpatio, sollicita conservatio, humilis & fidelis pro eis Deo gratiarum actio, earumq; in Deum refusio: ut nullam inveniatur in vacuum accepisse, nullam Deo suffuratus esse, nullius rationē reddere inveniatur non paratus esse.

Item *Religio munda*, & Spiritualis vita est, omnia adversa, omnia infortunia, omnes molestias, qualitercunq; sibi evenientes excipere tanquam sibi à Deo ex summa charitate, bonitateq; provisas & liberalitate paterna donatas, ac propterea non cum C murmuratione & tædio, sed cum gratiarū actione, & gaudio recipiendas, interq; gratias & thesauros reponendas. Item *Religio munda* ac Spiritualis vita est, carnem & sensum spiritui, rationi, voluntatiq; Divinæ subjugare: vitam non tantum animæ, sed etiam corporis, obsequio Dei totaliter impendere. Lucra & commoda spiritûs & animæ, ita sentire, æstimare, quærere, corradere, sicut mundani temporalibus commo- D dis bonisque solent inhiare. Damna, vulnera, impedimenta, pericula spiritus & animæ sic propulsare, sic vitare, sic sanare, ac sarcire, quomodo mūdani homines damna & pericula vulneraq; corporis noscuntur repellere, refugere, restaurare, ac sanare. Inimicos spirituales ita capitaliter odisse, sicut homines vulgo inimicis suis solent infensi & irreconciliabiles esse. Auxilia & media, incrementa & nutrimenta, & ornamen-

namenta spiritualia sic captare & amare: sicut homines temporalium corporaliumq; bonorum & deliciarum, vias, occasiones, spes, augmenta, solent aucupari & arripere

Item Religio munda & spiritualis vita est: ita se ad labores animæ Spiritusq; saluti ac profectui utiles cogere, ita ad mediorum Spiritui promovendo, inflammando, conservando idoneorum, præscriptorumve exercitationem usurpationemq́, sese adigere & impellere, omnemq; repugnantiam ab eorum usu vincere & excutere, sicut Medici & amici solent infirmos adigere ad usum medicamentorum, & subsidiorum corporalium, quantumlibet illi respuant, nauseent, & molestè ferant. *Item Religio munda* est spiritualisq; vita: sic se totum dare & permittere regendum, tractandumquè Medicis & Magistris, ac Ducibus Spiritualibus in cura animæ, inq; profectu & exercitio Spirituali, sicut totum credit aliquis corporaliter infirmus, totumquè se manifestat & aperit, ac sine mora ad consulendū recurrit consiliisq; acquiescit Medicorum corporalium

Deniq; Religio munda & Spiritualis vita est, per omnia carni, & mundo, & diabolo contrarium esse: In carne non secūdum carnē militare, ipsam carnem carnalitate suâ exuere, & eam spiritui, desideriisq; spiritualibus insuefacere, imbuere, ac planè spiritualem reddere, spirituiq; ipsi non tantùm obedientem, sed etiam præeuntem ad spiritualia studia, & opera facere: ad eum ipsū modum, quo carnales etiam ipsam suam animam carnalem & bestialem, brutamq; nimio amore, & assiduo usu appetituque & gustu carnalium solent reddere: ita ut Divinorum fiat hostis, & incapax, & ad mentionem memoriamq, eorum, fit non solum stupida, sed etiam exhorrescat.

Hæc Religio, hæc pietas, hæc Vita spiritualis, à primo prorsus limine domus Religiosæ Tironibus, sicut est proponenda, & diligenter explicanda per eos, à quibus recipiuntur: ita quoq; ab ipsis Tironibus est toto pectore haurienda, ebibenda, & nunquam ab animo dimittenda, sed potius ambabus manibus tenenda, quærenda, curanda, vivendaquè. Sanctus Bernardus Tironibus Religionem suam intrantibus inclamare solebat: *Relinquite corpora, soli Spiritus ingrediantur.* Non imaginentur sibi Tirones, nequè se decipiant illa persuasione, quòd non à principio vitæ Religiosæ huic ita descriptæ spirituali vitæ exercendæ manum admovere, sed nescio quos annos quæve tempora debeant expectare. Utiq; dum ad Religionem admitti postulāt, dumquè ad eam pedem, inferunt: animosè profitentur, se paratos ad hanc vitam carni, & mundo, & proprio amori contrariam, Christoq; Crucifixo, pauperi, stulto, contēpto, conformem, eam quærere, ejus causa ex sæculo ad Religionem convolare. Ecce

A cur ergo non statim ab hujus vitæ cōsectatione, praxi, studio, usu, fame, exercitio, incipiant? quandoquidem ad eam paratos se esse cum Dei gratia, & professi sunt, & promiserunt, & ejus causa mundum, & omnia in mundo reliquerunt? Imò verò dum ferrum ignitum est, cudendum est: dum molle udumque lutum est, fingendum est. Si Tiro dum primitijs gratiæ fervet, dum Spiritûs Sancti unctione emollitus est, ab initio conversionis suæ, statim animosè quæ desideravit experiatur, carnis vitam dedi-

B scat, se se exuat. Spiritualem vitam arripiat, ex ejusq; norma se fingat, Christum Crucifixum induat, & totus transmutetur in virum alterum: & sicut mutat statum, ita & naturam mutet: sicut ex sæculari Religiosus efficitur, ita ex carnali fiat Spiritualis.

Proderit ad hujus rei pleniorem intellectum, videre ea, quæ sunt superiùs Mense 7 Exercitio 2. allata, tum ea quæ de diversis motibus naturæ & gratiæ habet piissimus Thomas de Kempis, lib: 3 c: 54. Ego

C huic Exercitio, atq; adeò & Mensi huic Octavo finem impono verbis Sancti Augustini, quibus carnalem vitam aliquatenus describit, ut ex contrariis juxta se positis meliùs cognoscant Tirones, qualem vitam fugere & exuere, qualem contra vitam induere & tenere in Religioso habitu, statuq; debeāt. igitur S. ait Doctor: *Ille secundum carnem vivit, qui pergit quo vult: dormit quando vult & quamdiu vult, loquitur quæ vult, cui vult, & ubi vult. Manducat & bibit quando vult & quantum vult. Ridet, iocculatur*

D *turpiter, inter quos vult, & quando vult. Postremò quidquid naribus suave est quærit, quidquid tactui blandum, quidquid oculis delectabile, quidquid corpori suo iucundum exercet & sequitur qualiter vult, & quando vult, quia omnia licita & illicita carnalia vult. Deinde delectatur pulcherrimis vestimentis, & equis, & armis, quando vult & sicut vult. Et sic non secundum Deum, sed carnaliter vivit & delectatur,*

tur, & omnia desideria carnis suæ perficit, sicut vult & quando vult. Hæc Sanctus August: Quibus nihil aliud addo, quàm hoc. Si hoc est carnaliter vivere, oppositum hujus, per omnia erit spiritualiter vivere; atque hoc modo tenetur omnis Religiosus semper vivere: & per hoc illud monitum Spiritûs Sancti. *Vt non quæcunq; vultis, illa faciatis:* vivẽdo adimplere. Neque existimet id officii tantum initio status Religiosi suscepti sibi incumbere, sed potiùs certissimus sit se quidem in Tirocinio fundamenta tantũ jacere, in toto autem vivendi adusq; mortem decursu, reliquum vitæ spiritualis, jam explicatæ ædificium, usq; ad extremam coronidẽ, debere sine intermissione superædificare, alioqui cõputabitur inter cõfusibiles operarios, (verba sunt Richardi Victorini) **A** qui cùm in auro inchoaverint, consummant in luto.

EXERCITIA
NONI MENSIS.



IN Mense Nono Tirocinij sui Religiosus.

Primò vacabit:

Exercitio Fidei Christianæ Theologicæ. Etsi enim omnes quotquot ad Religionem veniunt, supponuntur esse fideles & Christiani, hoc est, Divinâ Fide præditi, quâ credunt omnia mysteria & dogmata fidei Religionisq; Christianæ: alioquin nunquã in eis vocatio Religiosa locum habere potuisset, nisi ex compluribus fidei Articulis enata fuisset: permagni tamen refert perfectam, vivam, robustamq; fidem in corde suo habere de omnibus à Deo revelatis. Quod quidem exercitatione actuum fidei crebra peragitur: ut proinde expediat valde horum actuum exercitio frequẽti insuescere, vivacitatem assentiendi omnibus quæ à Deo per Ecclesiam nobis revelata habemus, usu comparare. Maximè cum non raro contingat dormitare fidem in nobis & languere: ita ut ex modo actionum nostrarum, quas Dei scilicet causa peragimus, liquido appareat eas ex debili languidaque fide suscipi atq; provenire.

Nam v. g. unde est quod tam crebro signo crucis nos munientes, Orationem Dominicam recitantes, Confessionis & Communionis Sacramenta obeuntes, Sacra dicentes vel audientes: in templis commorantes, Dei mentionem in ore habentes: aliaq; plurima assiduò peragentes, quæ sine fide fieri nequeunt: tam parum tamen inter hæc piè commovemur, tam infructuosè hæc peragimus: tam perfunctoriè ista facimus? Nulla certe magis radicalis causa hujus rei assignari potest, præter hanc, quod fides nostra in talibus actionibus langueat, dormiat, & efficacem vivacitatem non habeat, neq; exeat in prædicta opera, quo fit ut fre- **B** quenter efficiantur fructu suo cassa. Ad infinitas ergo & quotidie inter oculos, manus, aures, phantasiam, imaginationem, memoriam, intellectum, voluntatemque positas occasiones, exercendæ fidei: hoc præterea adhibendum est industriæ, ut actus fidei exerceantur cum reflexione hac, quod actus fidei sint, & exerceãtur præterea cum ipsa interioris fidei vivacitate: quàm vivacitatem energiamq; repetitione illius, e- **C** xercitationeq; cordiali, & applicatione deinde ad actus omnes speciali comparari, docent Magistri Spirituales. Etsi enim fidei donum à Deo postulare bonum est: etsi actus ex fide manantes exercere melius est. Etsi gratias agere pro dono & lumine fidei, proq; vocatione ad fidem gratias agere: pro conservatione in fide, pro augmento fidei supplicare, etiam laudabile ac utile est. Tamen ipsos expressos, explicitosq; actus fi- **D** dei, quatenus fidei ipsius sunt, exercere cum diligentia & fervore, longè melius, longè, inquam, ad vivacitatem fidei obtinendam, efficaciùs est.

Tale est: profiteri fidem, expresse credendo, & quod credas, omnia & singula protestando: quodq; omnia propter unam & solam

ſolam Dei veri ac veracis, fallere & falli neſcij revelationem, aſſertionem, autoritatemq́; credas conteſtando, & proteſtando, quæ ſcilicet in ſymbolo Apoſtolorum, aut ſymbolo Nycæno, aut ſymbolo Athanaſij continentur: aut quæ à Sanctâ Catholica Romanâ Eccleſiâ, ad credendum tanquam à Deo, qui eſt prima & Summa Veritas revelata proponuntur.

A Tale eſt etiam ſpeciales articulos fidei, ſeu ex propoſito, ſeu oblata occaſione fide firmâ, robuſtâ, vivâ, expreſsâ, gaudente corde profiteri, confiteri, repetere, Dei in ejus revelatione veritatem agnoſcere & venerari. Veritati eidem inhærere, omniaq́; in animo & corde ſuo radicare confirmando, & confirmare radicando: ſive quod idẽ eſt, animum ad aſſenſum vivum, ſtabilemque aſſuefaciendo. Talis fides in cujus corde eſt, non exigit probationes & diſcurſus ſubtiles, non requirit miracula: non terretur minis & tormentis; non langueſcit tempore. Talis fides fuit in S. Ludovico B Rege, cui cum eſſet nunciatum, in vicino apparere miraculoſè viſibiliter Chriſtum in Euchariſtia, non ſe loco movit ad videndum, ſed affirmavit ſè hoc firmiùs credere non videndo, quam ſi videret: eo quod Verba Domini ſui plus haberent apud ſe fidei, quàm quævis miracula. Talis fides fuit in Martyribus Sanctis. Talis fides eſt fundamentum omnis Virtutis, eſt irrigatrix omnis fervoris in Dei obſequio. Talis fides eſt vita omnis diligentiæ, & perfectionis ac perſeverantiæ in bono. Etenim C tantum quiſq; credit articulos fidei, quantum credit Deum veracem eſſe, tantum fidit Deo, quantum credit fidelem, & in promiſſis conſtantem, tantum timet, quantum credit juſtum, tantum amat, quantum credit bonum, tantum præſentem reveretur, colit & honorat, quantum dignum credit & immenſum, tantum reveretur & humiliter orat, quantum adeſſe præſentem, & ſe illo indigentem credit. Verbo dico: ad menſuram fidei eſt menſura in nobis omnis D Virtutis & perfectionis. Quod expreſsũ voluit Apoſtolus cum dixit: *Iuſtus autem ex fide vivit.* Hoc & S. Hieronymus cum ita ſcripſit: *Ad orationem aſſiſto: Non orarem, ſi non crederem: ſed ſi verè crederem, illud cor quo Deus videtur, mundarem: tunderem pectus, manibus, genas lachrymis rigarem, corpore horreſcerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes &c.* Nimirum vivam fides faceret orationem, & orantem me vivum, & ſibi proportionatum.

Neq́; tamen volo, ut quis ad omnem ſuam actionem præmittat actum expreſſum fidei: hoc enim etſi bonum, non tamen neceſſariũ, aut poſſibile multis imperitiſq; eſt, ſed hoc tantum ſuadeo, ut aliquanti temporis diligentia, ſtudiumq́; in eo ponatur exercitio, quo mens noſtra, intellectuſq́; noſter fidei ſoliditati, ſtrenuitatiq́; credendi ac vivacitati aſueſcat, ita ut data quavis occaſione implicitè, ſive explicitè credendi ex fide vé operandi, ex fide robur. ſtrenuitaſquè accedat operationi: non ſecus ut accedit diligentia agendi, dum conſtat nobis præſentem eſſe Regem, vel Superiorem &c.

Illuſtrabo documentum hoc exemplo uno; quod ad alios articulos fidei, imò & ad alias pleraſq; actiones applicare non erit difficile. Deſiderat quis ſumptionem Venerationemve Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, in ſe, & à ſe peragi, cum magna utilitate, pietate, religione, devotione, attentione: is ſe in fide hujus myſterij exerceat atq́; confirmet: hoc, modo: recogitet, nimirum quid Sacra Scriptura, quidve Eccleſia de hoc Sacramento affirmet & fidelibus credendum proponat, hæc omnia firmiter & indubiè credat, credere ſe conteſtetur tam ſe hoc credere, aut ſaltem credere cupere pronuntiet, quàm crediderunt Sancti, quicunq́; ſinguli, vel omnes Apoſtoli. B. Virgo, quam credit univerſa Eccleſia. Cõvocet ad ſe omnem eam fidem quæ fuit, eſt, erit, in ullo hominum, in ullo Sanctorum, in tota Eccleſia de hoc myſterio: eamque corde ſuo animoq́; velut complectens & exerens coram Deo, ſe omni illa myſterii hujus veritatem credere, tenereq́; proteſtetur, repetat, enuntiet. Paratum ſe, imò prorſus cupere ſe aſſerat mori & vivere, in hac fide, pro hac fide: cupere ſe potius omnia tormenta & genera mortis ſubire, quàm hæſitare in hoc articulo, cupere ſe pro ejus articuli fide propaganda inter homines, omnes labores, moleſtias, pœnas, mortes ſubire, deteſtari omnes errores qui ſunt circa hunc articulum: ex corde condolere ſe omnibus errantibus, omnibus ignorantibus, omnibus debiliter credentibus hunc articulum. Hoc & ſimili exercitio circa veritatem Euchariſtici Sacramenti ſtabilitur roboraturq́; fides in corde hominis, efficiturq́; vivax: & ex hac vivacitate conſurgit reverentia, ſpes, amor, devotio, deſiderium,

rium, tædium amorosum, ad hoc recipiendum, visitandumq; &c. Par modus & praxis, cum pari profectu fructuq; fieri potest, circa articulos Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, Passionis & Mortis Christi. Item Beatissimæ Virginis, Patriæ cœlestis, Animarum Purgatorii, Iudicii Divini particularis, aut universalis, pœnarum inferni.

Secundò vacabit. Exercitio Spei Theologicæ, fiduciæq; in Deum. Cujus Exercitium in duobus consistit, sicut & ipsa spes Christiana duo potissimum spectat. Spectat, seu sperat, spes Theologica Primo & Primariò Deum tanquam summum bonum, vitamq; æternam hominis, possidendam scilicet ab homine, ex gratia donoq; Dei, ex meritis Christi Domini, ex bonis operibus, propriis quidem homini, sed tamē ex gratia, & in gratia Dei factis, & Christi Domini sanguine meritoq; dignificatis. Omnes enim ad vitam æternam, seu Dei possessionem conditi, vocati, redempti sumus: sed ad eam obtinendam tribus his (1. Gratia Dei 2. Meritis Christi. 3. Operibus nostris bonis) mediis pervenire debemus, adeò necessario, ut sine aliquo ex tribus his, nullus hominum ratione utentium æternā vitam consecuturus sit. Quocirca quo ad hanc Spei partem: ejus Exercitatio in hoc consistit, Semper bona opera exercere, & frequentare: non tamen his operibus suis confidere, de quibus an placeant Deo, sicuti & de semetipso, nullus hominum naturaliter potest scire; sed in abundantissima Dei misericordia, verissimâq; ac fidelissimā ejus promissione, & in meritorum Christi Domini efficacitate, atq; communicatione sperare, vitamq; æternam sibi promittere.

Eadem spes, & Spei Exercitatio, in hoc etiam consistit, ut media ad salutem nobis à Deo in Ecclesia suâ, & in statu Religioso ordinata, diligenter exequamur, Dei auxilium imploremus ut detur, exerceamus cooperando dato, cooperatione disponamur ad ulterius dandum augendumq;: Nequè difficultate, aut labore, aut impedimētis, aut tentationibus, aut longitudine temporis frangamur in procuranda salute nostra, in proficiendo in Virtutibus, in repugnando difficultatibus, in exequenda Dei Voluntate. Spes ista non timet, sed timere timet difficultates, neq; cedit, sed timet cedere molestiis, laboribus, ac tentationibus, in via Dei occurrentibus. Sumit ex difficultatibus animos, tanquam ex certissimis signis, tam voluntatis Dei, nos ea agere quæ Dei salutisq; causa agimus, quoniam diabolum & ejus instrumēta nobis repugnare sentimus, quam auxilii Divini certissimò nobis affuturi, quoniam ideò nos oppugnari sinit, & auxiliari nobis, per nostrāquè infirmitatem, diaboli nequitiam expugnare, suam autem potentiam, demonstrare possit.

A Inde etiam ulterius Spes, quando certa est voluntatis, gloriæq; Dei, salutisq; ac utilitatis suæ, vel proximi: non tantum non timet ullas creatas impeditiones, difficultatesquè, sed potiùs eas optat, & ex eis gaudet conjecturamq; de certo ac felici exitu facit: & pro certo difficultates inter auxilia, subsidiaq; & boni successus incrementiq, prosperi causas & media recenset. Inde ulterius Spes contra spem surgit: tum maximè sperat in Deo, quando omnia desperata & deplorata, & collapsa auxilia videntur:

B quia nimirum ea, quæ hominibus desperationē injiciunt boni succesꝰus, Deo & ejus potentiæ, atq; sapientiæ serviunt ad bonum successum, suntq; illi media consecutionis optatæ, quæ hominibus, eorumq; judiciis ac sensibus esse videbantur media deplorationis & desperationis causæ. Ita venditio Iosephi à fratribus suis, quæ illis erat medium impediendi dominatus ejus super se, Deo fuit medium deducendi Iosephi ad Dominatum super fratres: unde dicebat Ioseph fratribus. *Vos cogitastis de me malum: Deus*

C *autem vertit illud in bonum*. Ac talium exemplorum infinitus & quotidianus est in mundo numerus sed oculi nobis desunt, quibus videamus. Essentq; etiam plura ejusmodi experimenta & exempla: si plures essent qui Deo fidere auderent: & difficultates non ut tales, sed ut media providentiæ Divinæ subservientia agnoscere, acceptarequè vellent.

Eadem Spes Theologica, secundo atquē secundario innititur Deo, Deiq; auxilio &

D Providentiæ, non jam respectu assecutionis vitæ æternæ, auxiliorumq; ad ipsam consequendam per Dei gratiam, & Christi meritorum influxum, quæ respicit spes primariò, ut dixi, sed respectu rerum, in hac vita homini occurrentium: quas omnes in omni circumstantia earum, Deo permittit homo, curandas, ordinandas, immutandas, differendas, accelerandas, cum plena & omnimoda sui rerumque suarum in Deum, pro-

viden-

videntiamq; & opem illius, protectione iactatione, resignatione, & pœnè dicam neglectu. Ex cujus spei mente dicebat David: Iacta cogitatum tuum in Domino, & & ipse te enutriet. Item Dominus regit me & nihil mihi deerit. Item Apostolus: omnem sollicitudinem proijciētes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis. Ad hujus spei exercitiū Divina prorsus sua eloquētia, Christus Dominus exhortatur nos exemplis volatilium cœli, & fæni, seu liliorum agri, A quæ nec serunt, nec metunt, nec in horrea congregant neque nent:& tamen Pater noster cœlestis pascit & vestit ea.

Ad hujus rei exercitium idem Dominus nos invitat, cum assiduitatem orationis ad Deum toties tanto cum conatu nobis suadet, adeò ut in oratione omnem impossibilitatem desideriorum nostrorum assequēdorum collocet. Ad hujus spei exercitiū Deus specialiter Religiosos omnes eligit & advocat: soliq; suæ providentiæ de omnibus necessitatibus animi corporisq, præsentis & futuræ vitæ securos, adeò inniti jubet & vult: ut velit eos voto, perpetuò hanc fiduciam suam in Deum firmare, quod faciunt, dum tribus Substantialibus Religionis votis, Paupertatis, castitatis, obedientiæ, eos facit sibi nuncupare. Illa enim vota, si revocantur ad primas causas suas: in Providentiam Dei, & in fiduciæ humanæ, de illa certitudinem necessario resolvi debent. Quare omnes Religiosi meritò appellati, censeri possunt Filij providentiæ Divinæ: *& filii excussorum* ab omni & proprietatis possessione, & sui suarumq; rerum procuratione. Merito etiam Religiosi omnes, tanquam in propria specialiter sibi virtute se se exercere, perpetuoq; perficere tenentur. Meritò etiam Tirones Religiosi, ab hujus virtutis exercitio, Rudimenta suæ vitæ auspicari debent. Quare etiam maximus pudor esse debet Religioso, cogitare de se, deq; suis rebus, de cibo, de potu, de vestitu, de lecto, de loco habitationis, de officio, de socio, de tempore, de quacunque demum circumstantiā & conditione, aut necessitate Sed omnem harum rerū curam in Deum remittere, reijcereq; debet: sibiq; perpetuò illud Christi Domini monitum,imò præceptum ob mentis oculos ponere. *Nolite soliciti esse de Crastino. Nolite soliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, neq; corpori vestro, quid induamini. Scit enim Pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis.* Qui secùs facit Religiosus, qui cogitat de se, qui providet sibi, qui contentus providentia non est, hic mentitur se Religiosum, & excidit à Dei pro se cura, & non meminit quid Deo voverit: & injuriam Dei Sapientiæ, bonitati, ac providentiæ facit, & est infidelis Dèo, infidelemq; Deum apud se facit: & se Deo prudentiorem, amantiorem-què sui ostendit. Quam improbitatem plusquam improbissimam, quia scilicet Deo probrosissimam ulcisci solet, Deus punireq, in Religiosis gravissime, deserendo illos, atq; providētia sua tam supernaturali, quàm naturali excutiendo, atq; suæ ipsorum curæ, provisioniq; infelici relinquendo.

Quotidianum ergo sit hoc Religiosi exercitium, omnem solicitudinem, à se amoliri, & in Deum proijcere, omnemquè cogitationem in eundem jactare, & de providentia ejus suavissima gratanter cuncta acceptare: atq; hoc Deo semper protestari, B & contestari, & omnem omnium creaturarum naturalem, supernaturalemq; spem in cor suum cogere,eamq, in Deum assiduè totis viribus effundere. Egi de hac fiduciæ spei; in providentiam Divinam parte supra Mense 2. Exercio 5. ideo hoc loco amplius non immoror, duo tantum puncta nō parvi momenti suggero ad præsentem materiam spectantia.

Unum est, ut Religiosus, ita per omnia Deo fidat,omnesq; eventus sibi incidentes, ita de solius Dei manu acceptet, ut ipsos e- C tiam defectus,ipsas quantumlibet molestas indigentias, tanquam providentiæ Divinæ ejusq; curæ paternæ effectus ac affectus recipiat: quemadmodum iufirmi omnia medicationum genera sive amara, suavia: sive subtrahentia, sive applicativa Medici directioni, digilentiæq; attribuunt & grato animo recipiunt

Alterum est: ut Religiosus inter maxima Dei beneficia computet,(prout revera summū beneficium est) hoc quod Deus dignetur hominis, utiq; putredinis ac vermis,canisq; D mortui, curam gerere, eique ex pacto providētiam suam, & cum hac sapientiā bonitatem, potentiam, charitatemq; obligare, ad hoc, ut de minimis, ejus maximisq; necessitatibus, quin & commoditatibus solicita esse obligetur illa majestas. Quæ ut vel cogitet de nobis, vel de se cogitari sinat à nobis, nos omnino indignissimi sumus, ita ut meritò obstupescere debeamus defice-

req;,admiratione cum illo Sancto, qui deficiens dicebat Deo. *Et tu dignum ducis operire oculos super huiuscemodi.* & cum illo altero simili in causa dicente ad Deum. *Quid est homo, quod memores eius: aut filius hominis quoniam reputas eum?*

Tertiò vacabit. Exercitio postulandi atq; emendicandi à Deo bona, dona, auxilia, media, remedia, necessariaq; omnia Spei & Fiduciæ convenienter hoc exercitium nectitur. Est enim oratio præsertim postulatoria, Spei in Deum filia: nam fieri non potest, ut quis aliquid ab alio petat, si impetrare vel obtinere non speret. Priùs ergo sperat, antequam orat. Porrò huic Exercitio, nequaquam omne orationis genus assigno, sed illud solùm quod servit impetrationi, & emendicationi necessariorum à Deo, quia hoc Exercitium est homini cuilibet summè necessarium, summè utile, summè honorificum, summè facile, summè deniq; (quod ex his consurgit) suave. Necessarium est: quia pauperrimi sumus: nequè aliud medium supplẽdæ paupertatis huius est, quàm mendicare à Deo: Omnes sumus mendici, quotidiè astamus ad januam magni Patrisfamilias, dicentes ei: Pater noster: &c. Utile est, quia quidquid cogitari potest in rem nostram opportunũ, oratione obtinetur. Domini dictum est: *Petite & accipietis.* Honorificum: nam quid est honorificentius vilissimis nobis, quàm quod omni hora, omni loco, omni situ & itu adire alloqui, orare Deum possumus, absq; repulsa, absq; mora interposita, absq; impediti vel occupati Principis causatione, quasi essemus plus quàm amici, plus quàm domestici, plus quàm filij, plus quàm sponsæ Dei nostri. Facile: nam hic labore, sumptu, apparatu, nullo opus est: ne verbis quidem, sola mente, sola voluntate, etiam in momento perficitur negotium omne, & effectum habet. Suave deniq;: partim propter jam dicta, partim quia quid cogitari potest inveniriq; suavius cõversatione confabulationeq; amicissima ac fiducissima hominis cum Deo, creaturæ cum Creatore, subditi cum Rege, discipuli cum Magistro, infirmi cum medico, egentis cum liberalissimo divite, filij cum patre, infantuli cum matre, aut nutrice, amici cum amico, sponsæ cum sponso, animæ cum Verbo? Hic homo, si est venitq; pauper, ditatur, si afflictus, recreatur, si fatigatus reficitur, si frigidus calefit, si abjectus honoratur: si ignarus eruditur, si reus absolvitur, si infirmus sanatur, si in periculo eruitur, si mortuus vivificatur. Quid in his ad suavitatem requiras? Nequè immorari, in his necesse est: ad experimentũ remitto, in promptu cum sit, experiatur quilibet.

Sed cogitat aliquis: cum sint infinitæ pænè hominum necessitates, eæq; non so-
A lum communes cum omnibus, aut pluribus, verumetiam cuilibet propriæ: Ecquis sufficiet ad omnes Deo proponendas, ad quas non sufficit cognoscendas? Ecquis modus erit, ad eas per orationem apud Deum sublevandas, quibus impar est, vel enumerandis?

Optimè Salvator hunc modum expedivit dicens: *Cum oratis, nolite multum loqui.* Et certè cum formulam orandi præscriberet, proposuit brevissimam: cui nihil demi, nihil addi possit, in qua nihil desit, re-
B redundet nihil, in qua una & sola, est quidquid sub materiam postulationis cadere potest. His tamen non obstantibus breviore oratione ipsum usum esse constat in Horto. *Pater non mea voluntas, sed tua fiat. Non quod ego volo, sed quod tu.*

Ergo omnibus nostris necessitatibus coram Deo proponendis abundantissimum compendium est oratio Dominica: omniũ orationum, supplicationum, emendicationumq; epitome, quam solam usurpare omnibus Dei misericordiam requirentibus,
C mendicantibusq; sufficit.

Est tamen reperire & alios compendiosos mendicandi modos, quibus Sancti usi sunt. In Vitis Patrum l. 5. libello 12, n. 10. legitur: Abbatem Macarium, rogatũ à fratribus, quomodo orandũ esset: respondisse verbis Dominicis: Non est opus multum loqui in oratione: sed frequẽter dicere, *Domine sicut scis & vis miserere mei.* Si autem bellum instat in animo: dicere. *Adiuva me.* quia enim Deus scit, quæ nobis expediant, facit misericordiam nobiscum. Alia quæ-
D dam Sancta: sic Dominum legitur orasse. *Domine IESV, sicut vis, & sicut scis miserere mei.* Isaac Abbas apud Cassianum Coll: 10 c. 10. mirus & multus est in commendatione orationis, mẽdicationisq; apud Deum perpetuæ: cujus perficiendæ causa asserit inventum, institutum, usurpatumq; à priscis illis Sanctis orandi modum valdè methodicũ, sed simul valde universalem, & ad

omni-

omnimodas necessitates Deo proponendas appositum, illum scilicet versiculum Psalmi. *Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuvandum me festina.* Nescias quid prius mirêre in Verbis Isaaci Abbatis loco citato adductis. Multiplicemne necessitatem humanam, an unius ejusdemq; versiculi ad omnes illas Deo proponendas accommodationẽ? compendiumné mendicãdi, an utilitatem mendicationis? frequentiamne & assiduitatem, an commoditatem, facilitatemq, Orationis perpetuæ, & quodammodo nunquam intermissæ cum Deo conversationis, collocutionis, & ejus præsentiæ, tum contemplationis, tum venerationis?

Sed verbis Isaaci aut Cassiani præstat specimen ejus rei proponere. Hæc igitur ille: *Tradenda vobis est Spiritualis Thæoriæ formula, ad quam semper tenacissimè vestrum intuitũ defigentes, vel eandem salubriter volvere indiruptâ iugitate discatis, vel sublimiores intuitus scandere illius usu ac meditatione possitis. Hæc igitur vobis huius quam quæritis (Spiritualis) disciplinæ, atq; orationis formula proponitur, quàm unusquisq; Monachus ad iugem Dei memoriam tendens incessabili cordis volutatione meditari, expulsa omnium cogitationum varietate, consuescat. Erit itaq; ad perpetuam Dei memoriam possidendam, hæc inseparabiliter proposita vobis formula pietatis. Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuvandum me festina. Hic namq; versiculus non immeritò de toto scripturarum excerptus est instrumento: Recipit enim omnes affectus, quicunq; humanæ inferri possunt naturæ: & ad omnem statum, atq; universos incursûs propriè satis, & competenter aptatur. Habet siquidem adversus universa discrimina invocationem Dei, habet humilitatem piæ confessionis: habet solicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam, habet considerationem fragilitatis suæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præsentis semperq; assistentis præsidii. Qui invocat iugiter suum protectorem, certus est eum esse semper præsentem. Habet amoris & charitatis ardorem, habet insidiarum contemplationem, inimicorumq; formidinem, quibus perspiciens semetipsum die nocteq; vallatum, confitetur se non posse sine sui defensoris auxilio liberari. Hic versiculus omnibus infestatione dæmonum laborãtibus, inexpugnabilis murus est, impenetrabilis lorica ac munitissimus Clypeus. Iste in acediâ & anxietate animi collocatos, seu tristitia, vel cogitationibus quibuscunq; depressos salutis remedia desperare non patitur, ostendens illum, quem invocat, inspicere iugiter nostra certamina, atq; à suis supplicibus non abesse. Iste nos in Spiritualibus, cordisque lætitia constitutos, admonet, extolli penitus non debere, nec inflari de prospero statu, quem sine protectione Dei retineri non posse testatur, dum eum non solum semper, sed etiam velociter, ut sibi auxilietur, implorat. Iste inquam versiculus unicuiq; nostrûm in qualibet qualitate degendi necessarius, & utilis invenitur. Nam qui semper se & in* A *omnibus desiderat adiuvari, manifestat, quod non tantum in rebus duris ac tristibus, sed etiam in secundis ac lætis pari modo Deo egeat adiutore: ut quemadmodum ex illis erui, ita in istis eum faciat immorari: in neutro sciens humanam fragilitatem, sine illius opitulatione subsistere.*

Enumeratis deinde plurimis occasionibus, in quibus omnibus usurpandus est hic idem Versiculus, deniq; ita concludit. *Huius igitur versiculi meditatio in tuo pectore indirupta volvatur: Hunc in opere quolibet, seu ministerio, vel in itinere constitutus decantare* B *non desinas. Hunc & dormiens & reficiens, & in ultimis naturæ necessitatibus meditare. Hæc volutio cordis velut formula tibi salutaris effecta, non solum te illæsum ab omni dæmonum incursione custodiet, sed etiam cunctis te vitiis terrenæ contagionis expurgans, ad illos invisibiles Theorias (contemplationes) cælestesq; perducet, atq; ad illum ineffabilem ac perpaucis expertum provehet orationis ardorem. Hunc versiculum tibi meditanti somnus obrepat, donec ineffabili exercitatione formatus etiam per soporem eum decantare perpetuò consuescas. Hic tibi ex-* C *pergefacto primus occurrat, is te evigilante cogitationes anticipet universas, iste te de tuo surgentem cubili curvationi genuum tradat, atq; illinc deinceps ad omne opus actusq; deducat, hic te omni tempore prosequatur, hunc meditaberis secundum præcepta legislatoris sedens in domo, ambulans in itinere, dormiens atq; consurgens: hunc scribes in limine & ianuis oris tui: hunc in parietibus domus tuæ, ac penetralibus tui pectoris collocabis, ita ut hæc ad orationem procumbenti sit tibi acclivis decantatio, & ex inde consurgẽti, atq; ad omnes usus vitæ necessarios incendenti* D *fiat erecta, & iugis Oratio.* Hucusquè Cassianus. In cujus sententia habet Religiosus veteranus juxta ac Novitius & causam seu materiam, id est necessitatem, occasionemquè mendicandi à Deo, & praxim simul formulamq; mendicationis. Habet utilitates proinde maximas ac plurimas. Habet in summo compendio facilitatem, simulq; ad usum tam nobili exercitio efficacem,

 atquè

atquè exstimulationem: superest ut manus admoueatur operi; quilibet Religiosus, & hoc exercitium sibi perpetuò faciat usu familiare, & se huic Exercitio, magis autem per exercitium Deo reddat exhibeatq; domesticum ac familiarem.

Quartò vacabit. Exercitio Gratitudinis, seu Gratiarum actionis pro beneficiis, benefactoribus suis, sive ij sint homines, sive Cælites ac ipse Deus. Et erga Deum quidem gratitudo posita est in eo. Ut is qui accepit beneficia, magni illa æstimet, se se iis indignum reputet, ac propterea Deum intime revereatur amet, repetitisquè gratiis & laudibus Deum exaltet. Etenim ita videtur, vel ipsa natura duce, docenteq; institutum: ut cum homo considerat diligenter Excellentiam Dei benefacientis, vilitatem autem sui ipsius, & indignitatem, & indigentiam, & invisibilitatem, & insuper antegressam ingratitudinem ac in benefactorem malitiam, beneficiorumque abusum: cum cõsiderat assiduitatẽ, varietatem, provisionem, & veluti obstinatã prodigamq; beneficentiam. Cum attendit cor animum voluntatemquè dantis Dei, quàm sincero scilicet quam toto, quam benevolo, quàm gratuito corde faciat benè. Cum item attendit excellentiam dignitatem, utilitatemquè ac magnitudinem beneficiorum, in quorum scilicet omnibus & singulis etiam minimis, præter alia inclusa bona etiam seipsum, suam entitatem, Sapientiam, bonitatem, pulchritudinem, suavitatem, omnipotentiam: immensitatem includit ac elargitur. Cum attendit usum, utilitatemque beneficiorum: quod videlicet sint utilia ad cognitionem, ad amorem, ad laudationem, ad assecutionem, ad fruitionẽ Dei beatitudinisq; ipsius, nec non ad innumeras alias commoditates vitæ humanæ, ejusq; tam naturalis, quàm supernaturalis. Cum attendit motiva, Deum ad benefaciendum inducentia, aut spe aliqua propria nõ metu aut coactione, sed purissima & solidissima sua charitate. Cum deniq; attendit æquitatem, obligationem, honestatem, utilitatem gratitudinis: iniquitatem verò & probrositatem, ac damnositatem ingratæ mentis: quam ipsas belluas efferatasque animantes natura dedocuit, gratitudinem autem & beneficiorum cognitionem memoriamq; cultum autem & amorem benefactorum docuit. Cum inquam hæc considerat & attendit homo, nullo modo fieri potest, ut non ad gratitudinem & gratiarũ actionem adstringatur erga Deum.

Quodsi homo aliquãdo id in se non experitur, (non experitur verò frequentissimè) id ex defectu considerationis jam exposita evenit: accipit enim homo beneficia, & ad benefactorem non respicit, & sic officium gratitudinis non rependit: Similis porcello qui glandem ex arbore cadentem A colligit & cum gustu ac satietate devorat, sed sursum ad arborem arborisq; ramos nõ suspicit, neq; beneficam arborem ullo affectu bono prosequitur.

A quo ingratitudinis vitio, præter immane & belluis ipsis exoso scelere, manant in hominem à Deo plurima mala. Manat subtractio datorum beneficiorum, manat denegatio novorum. Manat reprobus sensus, quo beneficia vertuntur homini in venenum & ruinam, & peccatum: manat oblivio Dei, manat superbia & exaltatio, B præsumptioq; cordis. Manat derelictio à Deo, & gratiarum ejus exsiccatio.

Quamobrem omnibus viribus suis Religiosus quilibet, & maximè Religionis, beneficiorumq; cum Religione à Deo acceptorum candidatus, exhorrescet vitium ingratitudinis, amplectetur autem studium quotidianæ, ejusq; quàm creberrimæ sincerissimæq; gratiarum actionis Deo, pro beneficijs, tam communibus sibi cum aliis, quàm privatim & propriè sibi à Deo collatis conferri cæptis, conferendisq; per C omnem etiam æternitatem. Aget gratias non tantùm corde vel affectu, non tantùm ore aut verbis, sed etiam operibus, & ipsis rebus actibusquè, faciendo & offerendo eos in gratiarum actionem Deo pro beneficentia & gratiis ejus. Ita ut quidquid susceperit agendum laborandumvè, quidquid se obtulerit perferendum: sive pugnabit cũ vitiis, sive resistet tentationibus, sive se vincere volet, in aliqua rebellione naturæ, sive virtutes conquiret, exercebit, sive pro D Dei gloria, aut proximi salute, aut communi bono ædificationeq; laborabit, sive alicui obligationi naturæ, charitatis, justitiæ, obedientiæ, libertatisve satisfaciet, id totũ etiam gratiis agendis Divinæ bonitati destinet ac applicet. Sic enim sibi præter alia bona plurima, sinum Divinæ pietatis aperiet, fontiumq; Divinorum effluxus dilatabit: sic beneficia accepta confirmabit sibi fæcundaq; reddet: sic novis donis se idone-

um

um & dignum exhibebit. Sic in sui cognitione & abiectione profundas radices mittet: sic fidelitatem suam in Deum sinceritatemq; mentis ac soliditatem testabitur: sic ignem inextinguibilem fervoris devotionisq; in Dei obsequium semper conservabit, fovebitq;, sic illi Deum amandi, æstimandi, laudandi, extollendi, reverendi, admirandi, degustandi, tùm materia semper suppetet, tum stimuli semper, infixi, admotiq; adhærebunt.

Magni ergo faciendum sibi putet Religiosus, Exercitium gratæ mentis in Deum, ut se faciat beneficiorum Dei dignum: & ut Deum eô modô tractet, quomodo benefactorem tantùm & talem tractari, à tam miseræ inæqualisq; cum Deo sortis homine beneficiario est condignum. Porrò cum Deus non tantum tunc benefaciat homini, quando ad mentem & voluntatem facit hominis, faciendo ut prosperè cũcta fluant: sed etiam tunc (immo sæpè maximè tunc) quando adversis exercet hominem. Ideò verus & perfectus gratitudinis cultor, non solum in prosperis, sed etiam (imò maximè) in adversis aget cordiales Deo gratias. Sicut ægroti non tantùm dubia, sed etiam amara propinanti, & sectiones adhibenti Medico manus osculantur, gratiasq; agunt. Elucetq; multò solidior Virtus, quando in adversis gratiæ Deo aguntur, vel semel, quàm quando millies in prosperis offeruntur. In prosperis enim non tam est virtus gratias agere, quàm vitium turpè gratias non agere. In adversis verò non tantùm non conqueri sed insuper etiam grates dicere: hoc est, Deum, heroica, constanti, solida virtute colere & exaltare.

Dum autem Religiosus Tiro in gratitudine Deo debita se se exercebit: simul etiã in debita hominibus benefactoribus suis gratitudine exercere sese meminerit. Et gratitudo, namq; hominibus debita, virtus est homine dignissima, & est portio bene magna gratitudinis Deo debitæ: quoniam sicut beneficia plurima homini per homines præstat Deus, ita etiam ad gratiarum actionem sibi in hominibus præstandam obligat nos Deus; quamobrem non potest homo satis plenè gratus esse in Deum ipsũ, nisi sit etiam gratus in homines, per quos effundit beneficia Deus in ipsum. Tantò autem cupio diligentius efficaciusq; Tironibus Religiosis commendatum hoc gratitudinis erga homines, sibi benefacientes Exercitium, quantò vulgariùs est frequentiusq; hoc ingratudinis etiam inter Communitates personasq; Religiosas, vitium. Id quod eò est tum mirabilius, tum ad dolorẽ inferendum acrius: quod nusquam videatur esse major usus beneficiorum in alios, quàm inter personas Religiosas mutuò inter se beneficiis & beneficentia cõmunicantes imò etiam plane viventes.

Expendere hoc fusiùs non est hujus pro-
A positi: hoc tantùm vel breviter dicere & oculis spectandum manibusq; palpandum obijcere possum, quod quælibet persona Religiosa tot semper benefactores (& hoc assero, minimum quidquam tantum assumendo, nãm revera longe plures) habet: quot sunt ij, cum quibus in eadem domo manet: Etenim si rectè attendit omnium cohabitatorum suorum occupationes, munera, actiones, labores, curas, cùm ille unus omnium sit particeps, cùm omnes illæ in unum ipsum redundent, utiq; fateri de-
B bet, se tot habere semper benefactores, quot collegas, totq; beneficia, quot collegarum opera. Quod in aliis statibus actibusq; è hominum non ita est. Nam alibi multi sunt, qui necessitare, qui mercede, qui natura serviunt aliis, & in Religiosis domibus omnes uni, unus omnibus, juxta ordinem suum obsequitur mer o charitatis, Obedientiæ, Religionisq; in Deum & proximum ductu, ac proinde beneficentiæ in alios virtute, nec alia, quam præmij apud Deum, gratitudinis apud alios mercede. Quod
C cum ita sit: sane evidens est, Religiosum quemlibet, ac etiam omnes simul, beneficijs, beneficentijsq; aliorum vivere: consequenterq; ad mutuam gratitudinem exhibendam, plus quam aliorum statuum homines inter se obligatos esse.

Omissis ergo interea aliis considerationibus & ad gratiarum actionem, gratæq; mentis exercitium suadendum stimulis, repeto probrum hoc ingratitudinis usitatæ expellendum esse ex domibus cordibusque Religiosorum: quod fiet, si cum lacte Re-
D ligiosæ vitæ discent assvescentq; omnes Religiosi mutuò sese tanquam benefactores agnoscere & amare & gratiarum actione (mentis, oris, operisque) prosequi, si omnem cujuslibet domestici, fratrisque actionem, tanquam suum (uti revera est) agnoscat acceptet, æstimetq; beneficium.

Quàm multi Religiosarum communitatum nævi hac via, hocq, unò remediò adhibitò

hibito emaculabuntur consideranti facilè pater. Cessabunt sanè vilipensiones tum personarum, tum officiorum, tum laborũ: cessabunt murmurationes, querelæ, cavilli, derisiones, tædia, invidiæ, æmulationes, pusillanimitates, excusationes,ac recusationes, seu detractiones laborum, officiorumque: statim, inquam, cessabunt hæc, hisque similia, si unusquisq; laborem suum aliis, tam utilem quam gratum esse experietur. Si & subditis superiorum curæ, ac vigiliæ, & Superioribus subditorum conatus, laboresque: & parium impariumque multa obsequia, & in rem communem studia cordi, amori, æstimationi, gratiarum actioni esse comperta experimento quotidiano & crebro fuerint, & quando par pari, Impar Superiori, Superior inferiori obstrepit, & obgannit, & obmurmurat, & obtrectat, & cõtemnit, & elevat, & despectat, & inter beneficia non reputat, sed indignis modis, acerbis verbis, amaris, dicteriis, surdis oblivionibus, ingratis moribus ac silentiis, & ignorationibus sepelit & obruit. Quomodo sapere possunt officia, & quomodo dulcescere labores, quomodo gratiores, leviores; curæ reddi? Tantum nimirum est, vel mali vel commodi, in cœtibus Religiosis ab unius gratitudinis mutuæ, vel neglectu, vel exercitio.

Ergo Tirocinium suum quilibet Religiosus ab exercitatione gratæ mentis, tam in Deum, quàm in homines auspicabitur: totiusque sequẽtis vitæ decursu, eodem exercitii cultu, ac usu occupabitur. Non existimet autem Religiosus,me, gratitudinis in homines alios omnes, qui quomodocũque sunt, (& plurimi si attenti sunt) in eum etiam intra domum aut Religionem suam benefici sint, ideò hic non fecisse mentionem: quasi Religiosus non sit eis quoque hoc gratitudinis officio obligatus. Absit hoc: omni enim beneficio, & omni benefactori debetur gratitudo,ab eo qui beneficii est particeps: sed ideò id dicere nolui, quia ex iam dictis,hoc quoq; innotescere non dubitavi. Maximè cum in Religiosis domibus ab ipsa cõmuni disciplina, majorumque providentia, soleant erga benefactores, tam domorum quàm personarum, tam antiquos quàm quotidianos,gratitudo, & gratitudinis obsequia imperari: ut me minimè hac in re commendanda, opus fuerit immorari.

Quintò vacabit Exercitio dilatationis, liberalisq; affectus in servitio Divino. Ad hoc genus Exercitij S. Pater noster Ignatius hortatur omnes filios suos: adjiciens adhortationi, etiam pretiũ operæ quod habetur ex hac liberalitate cordis in Deũ, & in ejus obsequium. ait enim *Magnopere conferet, devotè*, (quod est feruenter,strenuè, liberaliter) *quoad fieri poterit, ea munia obire* A *in quibus magis exercetur Humilitas & Charitas. Et in universum loquendo, quantò aliquis se arctiùs Deo adstrinxerit, & liberaliorem ergæ summam maiestatem se præstiterit, tantò eum in se liberaliorem etiam experietur, & ipse in dies magis idoneus, erit ad gratias & dona spiritualia uberiora recipienda.* Abundè Sanctus Fundator, & hortatur ad liberalitatem in Deum, & materiam in qua exerceri possit, scilicet in humilitatis, charitatisq; operibus explicat, & insuper fructus liberalitatis hujus, mox adfuturos ostendit, nempè B vicariam Dei in hominem liberalitatem, nec non dispositionis & capacitatis acquisitionem, ad uberrima gratiarum divinarum dona.

Nec est quod quis obijciat eam liberalitatem, arctamq; adstrictionem in Deum, Tironum non esse. Nam præterquam quod Sanctus Fundator omnibus omninò (æquè novis ac veteranis) hanc Regulam, adhortationemque præscribit, nullo prorsus discrimine: speciali quadam ratione Tironibus, hæc in Deum liberalitas convenit: C primo quidem propter illas, quibus ordinariè præditi esse solent Spiritus ferventissimas, & ad omnia aggredienda pares paratasque Primitias: ut eis conveniat campum aperiri, in quo æstus ille recentis gratiæ, exundãtisque spiritus spatiari,& magno cum lucro exerceri ab ijs possit: quanquam non absque moderatione necessaria majorum, quorum est frenos ut laxare, ita & adducere: Ita siquidem nautæ dum secundi spirãt venti cursum accelerant, & oportunitate utuntur navigandi: gnari quod subsidenti- D bus ventis difficilior futura sit navigatio: sic etiam dum spiritus primitiæ fervent, & exundant in Tironibus, dilatare debent ij affectus suos, animosq;, & ad magnasquasquè resolutiones festinare, easquè experiri, moderantibus tantum dirigentibus cursum & impetum ijs, qui ad clavum sedent.

In quo magna opus est animadversione Spiritualium Magistrorum, qui Tirones curant:

rant:

rant. Primò quidem ut eum, quem adfe-
runt, à Deo cum gratiæ vocationis haustū,
fervorem non sinant in eis torpore quodā,
& cessatione ignarā, an ignava obrui: sta-
timq; ab initio in tepiditatem & lentitu-
dinem degenerare: sic enim fermè irrepara-
bile damnum primævi fervoris sui Tirones
incurrunt, quia scilicet ferrum dum
ignescebat, tractatum à fabro & forma-
tum, scoriaquè mundatum non est: ubi
amisso calore rediit ad frigus, naturæ
consueto pondere, ac etiam nonnullo lan-
guidè in Religione vivendi & agendi u-
su: magno quamvis & diuturno labore, pænè
tamen frustra tunditur, & ad incudem revo
catur. Deinde verò ut magnā curā eis at-
tendatur, ne primævi sui fervoris æstu in-
temperantius acti præpropere currentes, ul-
traq; vires adniteutes frangantur, viresq; a-
mittant, ac planè in ipso ad cursum egres-
su, tum desinant posse, quando maximè de-
buerant ipso usu fervoris sui, majores fer-
voris vires acquirere, inveterato & robu-
sto fervore, totam deinceps vitam con-
stanti & crescente semper fervore pro-
ducere. Experimento enim constat, ad
Religionem Tirones fervorem adferre, lu-
men autem prudentiæ desiderare Hoc illis
Religiosa moderatio suppeditat: fervorem
autem illorum discreta stimulatione susci-
tando confirmat. Verùm his omissis, ad
propositum redeundo, id quod dixi: repeto,
Tironibus liberalitatem in Deum ab ipsa
primigenia Gratia quæ fervens esse assolet:
& concedi, & facilem reddi; proinde illis
minimè negandam esse.

Addo autem non solùm facilem & con-
cessam, verùm etiam necessariam esse Tiro-
nibus hanc cordis latitudinem, liberalitatē,
adeo ut ad eam exercendam, exercendoquè
acquirendam & ampliandam manudu-
ci debeant. Cujus ratio illa est, quia Tiro-
nes, fervent illi quidem, sed cæci sunt: atq;
ideo plerumq; fervent, quia cæci sunt. Ar-
dua enim Religionis opera & munera, quia
ignorant, quia experti rebus ipsis non sunt,
ut plurimum facilia & prona sibi futura e-
xistimant, ac promittunt: maximè quia vi-
res Gratiæ Divinæ in rumpendis laqueis ca-
tenisquè sæculi, experimento probârunt, un-
de non absimiles sibi ab eadem in reliquo
progressu, hoc est in superandis vitæ novæ,
seu Religiosæ difficultatibus (sane non abs
re) promittunt. At enim ubi sensim expe-
rimento difficultates aperire se, horridamq;
faciem ostentare Tironibus incipiunt: Ubi
experimento sentirē incipiunt, quid sit ex
alieno nutu in minimis & maximis vivere:
omnia ad Regulam agere pro arbitrio nihil
posse: omnem motum suum observationi
subesse: item ubi natura & consuetudo pri-
stina incipit ures suas attollere, ubi in me-
moriam & imaginationem vel sponte sua,
A vel fraude diaboli veniunt pristina sæculi
desideria & studia: tum verò his similibusq;
objectis, terriculamentis novitiorum, fer-
vores restringui, ardores frigescere, impetus
cohiberi, ferocia Spiritualis terreri, con-
stringi, & in diffidentiā de viribus, de possi-
bilitate, trahi arctariq; incipiunt: in quo
passu post Divinam gratiam opus est Spiri-
tualis Ducis prudentiā, ut terriculamenta
illa, doceat ostendatq; esse aliud nihil, quam
terriculamenta: ostendat autem, sensim a-
nimum addendo, sensim animum, ad vincē-
das illas difficultates inducendo, & veluti
B immittendo: dum experimento discant non
stra illa esse tantùm monstra, nihil, ob quod
timeantur, in se habere, videndo & luden-
do calcari posse: ubi calcata sint maximam
animo pacem, voluptatemq; inde nasci, e-
amq; tantò certiorem ac majorem, quantò
animosiùs resolutiùsq; contra difficultates
insurgitur. Ita fit ut animus Tironis di-
latetur, dilatatione, major seipso reddatur,
feraturq; ad vincendum se, & sua desideria,
& diaboli tentamenta, & labores difficulta-
C tesq; majori in dies æstu, impetu, & profe-
ctu. Atq; ita dilatando augetur, auctus plus
audet, audēdo proficit, proficiendo avarior,
redditur victoriarum, Meritorum, corona-
rumq; spiritualium: ergo plus fervet, ergo
redditur liberalis in Deum, vicissimq; De-
us in ipsum, & efficitur idoneus, ut S. Pater
promittebat, magis ac magis ad gratias &
dona spiritualia, in dies uberiora recipiēda.

Atq; ex his, quæ dixi, ostenditur luculen-
ter Tironibus, facilem & necessariam esse
liberalitatem in Deum, & cum Deo, ut hac
D sua, qualiquali, qualem, nempè initia ipsorū
dare possunt, resolutiòne, audacia, liberali-
tate, reddant & suos animos magis dilata-
tos animososq; usu, & Deum in se liberalio-
rem vicissim experiantur, sicquè victi e-
vadunt hoc ipso liberaliores, magnoq; fæ-
nore, & puchro certamine, Deum veluti
irritent sua liberalitate, ad majorem effun-
dendam in ipsos: quàm dum excipiunt, e-
vadunt dilatatiores, liberalioresq;, rursus,
& sic redeunte in orbem, & pugna, & victo-
ria,

ria, Deus homines vincat, victi autem eo ipso robustiores quod victi sunt evadant.

Satis hæc sunt ad suadendum Tironibus exercitiũ liberalitatis in Deum: sed tamen duo adhuc mihi in eorum commodum præstanda video: primum quibus in rebus liberales esse possint in Deum; secundo, quibus modis ad eandem liberalitatem exstimulari, in eaq; promoveri ac conservari?

Quod ad Primum attinet: id quidem uno pæne verbo expediri posset, si dicatur hominem in omnibus affectibus operibusq; suis debere esse quàm liberalissimum in Deum: ita ut, & quàm plurima, & quàm excellentissima, & quàm profusissimo affectu voluntatis operetur serviatq; Deo, & quidẽ sine cessatione quantùm ad affectum: talis enim decet plenitudo eos omnes, qui Domino infinitæ Majestatis atq; bonitatis serviunt, proderit tamen Tironibus aliqua assignare & proponere particularia, in quibus liberalitatem animorum suorum erga Deum, quàm poterunt sæpissimè in omni vitâ exacuere, exercere, exerere.

Primum sit. In hoc Religiosi liberales profusiq; in Deum sint, ut omnem perfectionem, omnesq; gradus perfectionis, virtutis atq; sanctitatis, affectu, desiderio, propositoquè animi sui comprehendant: certumquè ac destinatum in corde suo habeant, omnem illam cum Divina gratia quærere, & curare, juxta modulum, mensuramq; instituti sui: Hanc vastissimam capacitatem, & ad procurandam omnem perfectionem nostri animi destinationem filij Societatis omnes imperatam habent à suo S Fundatore, ita præscribente. *Omnes constanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis, quod Divinâ gratiâ consequi possimus, in absoluta omnium constitutionum observatione, nostriq; instituti peculiari ratione adimplenda prætermittamus.* Afferri & cõservari hanc aviditatem perfectionis omnimodæ à Religiosis, adeò magni momenti est, ut ferè ab hoc principio posito, vel neglecto dimanet omnis vel diligentia atq; fervor: vel socordia atq; tepor, qui demum in quolibet Religioso invenitur.

Secundum sit. In hoc Religiosi etiam liberales sint in Deum, ut quotidiana ordinariaq; opera sua omnia, cum omni perfectionis exactione semper faciant, Divinisque oculis ea absq; ulla imperfectione, & maculâ, cum omni autem perfectione & sublimitate repræsentent. Sitq; hæc eorũ quotidiana inter primas solicitudo exquirere ac discere rationes ac modos quibus ordinaria, familiaria, communiaq; sua opera perfectius, sublimiùs, Deoq; gratiùs possint perficere. Hanc curam in operibus ordinariis, & vulgatis, omnibusq;, qui cõtemnunt aut negligunt, aut tanquam puerilem rident: perfecto ipsi ridiculi sunt, im- A mò in Dei dignitatẽ & charitatem, statusq; sui perfectionem profitentis, naturam & eminentiam injurii sunt, tepidorum haud dubie tepidissimi, & quantumlibet sibi in Religione veterani ac seneciones videntur, revera tamen coram Deo centum annorum pueri, nec Tironibus ipsis annumerandi. Etenim ut docet D. Thomas; Perfectionis & perfectorum est proprium, omnia perfectè elaborare: quod si ita est: utiq; etiam ad perfectionem tendentium proprium erit, omnia perfectè elaborare conari.

B Quocirca sciendum est, communem quidem, sed enormem errorem esse amatorum vel potius professorum perfectionis: exercitium & praxim perfectionis ponere in eo, ut bona, optima, grandia, rara, exotica, specialia operentur, non autem in eo ut omnia (sive parva, sive magna, sive omnia, sive singularia) operentur, quàm optimè. Errant hi toto cœlo: & tam perfectioni, quam perfectionis Magistro Censoriq; exactissimo contradicunt Christo Domino: qui inter profusores pecuniæ in Gazophylacium, C mulierem pauperculam, duo minuta jacientem, plus omnibus dedisse affirmavit: quia scilicet etsi minus omnibus proiecerat. Minimum bonum optimè factum, prævalet maximis & optimis & honorificentissimis, non optimè peractis, imò unum illud pluribus istis prævalet. Quare perfectionis cupidi in eo vim suam exerant, conatumq;, ut ordinaria communia, familiaria, pauca, faciant, quàm optimè, & in perfectione quàm elaboratissimè.

Neque hoc in damnis ponent, quod pau- D ca, & vulgaria operentur, nec illustrioribus operibus distineantur, quia paucorum operum perfectio, evincit multitudinem illustriorum, sed non ita perfectè factorum: sicut unum aureum vas, multa stannea, vel lutea superat: & unus sol multis faculis aut stellis præstat &c. Ita studiosi perfectionis, & Deo placere, inq; Deum divites esse cupidi, ante omnia, discant operari omnia (esto pauca & vilia & communia) benè, perfectè, optimè. Deinde procedent huc, ut opera-

pera-

peratur plura, sed tamen elaboratè, ita ut prima ratio habeatur elaborationis non pluralitatis. Si operabuntur & multa & benè: liberales in Deum erunt maximè.

Tertium sit: in hoc Religiosi liberales sint erga Deum: ut ad supererogationis operā aspirent (non neglectis tamen ordinariis ac præceptis, vel ex officio per se incumbentibus: scriptum est enim. *Hæc oportet facere, & illa non omittere*) paratiq; sint imò cupidi etiam ea, ad quæ minimè obligantur, facere: sive ea sint privata, sive cōmunia, sive speciosa, sive abiecta: imò hæc potiùs quàm illa, utpote securiora. Abiecti & ignavi est animi Religiosus: qui tantùm, ea quæ tenetur facere contentus est: Oportet ut etiam facilis sit, & spontaneus ad præstanda ea quæ officium aut obligationem excedunt, si ita vel casus, vel res, vel charitas, vel necessitas, vel majorum voluntas (esto non imperans) ferat.

Et hoc quidem maxime filios Societatis decet: Cum enim in Societate tanta sit varietas, multitudoq; occupationum, tam domi, quàm foris: Non semper autem domicilia personis abundent, incidatq; aliquando necessitas supplendi defectum, morbum, absentiam alicujus ex domesticis: ad studiosum perfectionis spectat in tali casu offerre operam suam ultrò vel Superiori, vel fratri vel communitati, ad fungendum ejus munere, unà cum sua propria occupatione: Ita fuit sane in Societate olim usitatissimū: ut unus multorum instar esset. Id autem promanabat ab eo, quia etiam usitatum fuit, ut nemo se uni tantùm alicujus officio, aut muneri aptaret: sed in omni aut certe in quàm plurimis se exerceret spontaneâ & privatâ curâ, ut olim ad plura ministeria aptus esse posset. Atq; hic Spiritûs ardor sine dubio est eorum, qui sunt Divites in Deum.

Quartum sit: In hoc etiam Religiosi sint erga Deum liberales: ut parati sint ad patiendum propter justitiam: propter bona opera: propter strenuos conatus: nec aliam mercedem expectent, imò hanc sine dubio expectent, materiam nempe patiendi à linguis detrahentium, irridentium, sugillantium, elevantium, impedientium, sinistrè interpretantium, mala pro bonis retribuentium, nihili æstimantium, nullam rationē laboris & fatigationum habentium. Omnis perfectionis studiosus, quotiescunque vel aggredi statuit vel defacto aggreditur aliquid operandum, statim cum proposito operandi, faciat propositum aliud præter illud bonum opus, patiendi: Bona agere, & mala pati servorum Dei est; separari hæc non debent ab operario Dei: unum sit illi meritum & opus; aliud, merces operis & præmium. Adeoq; non deterreātur ab operando, seu difficultate, seu impedimentis, seu ingratitudine, seu cēsuris, seu malo successu: ut hæc potiùs reputet sui laboris auxilia, & subsidia, præmia quoq; & stipendia: A evidentissima quoq; quod conatus sui Deo quidē placeant, diabolum autem urant, indicia. Etenim opus omne, quod crucis signaturā accipiet à Deo: malum esse nequit, sed signum est, gratū esse illi: ideoq; ut fiat gratiùs & pretiosiùs, & majore certioreq; in cœlo præmio digniùs: amaritudinibus & afflictionibus expolitur, & illustratur à Deo. Ament ergo hanc partem liberalitatis in Deum Religiosi & Divini operarij, tunc erunt sine dubio in Deum divites: sed & Deum experientur in se se divitem.

B Quintum sit: In hoc etiam Religiosi sint in Deum divites: ut propositis, ijsq; arduis ac Heroicis abundent: aspirent scilicet ad magna & vix hominibus possibilia, aspirent & imaginentur sibi labores Apostolorum, cruciatus Martyrum: Doctorum & Pastorum Ecclesiæ, Vigilias ac solicitudines pro domo Dei. Religiosorum in desertis, in cænobijs, disciplinæ Religiosæ observantias, mortificationes, orationes, paupertatē, obedientiam, omnis virtutis studium. Antiquorum suæ religionis Patrum exempla C perfectionis atq; sanctitatis, sudores quoq; & pro Deo, pro Ecclesia, pro Religione conatus, hosq; omnes sectari, & assequi cupiant, desiderent, conentur, petant. Multa etiam ardua in quotidiana conversatione vitaque sibi permitti à Superioribus postulent: quæ etsi negabuntur: nequaquàm desideria, & postulata, & proposita erunt sine ingenti fructu. Nam postulatione ac præparatione animi parabitur meritum: dilatabitur animus, gratiæ & inspirationi di- D vinæ, quantùm in homine, locus dabitûr, ad novam etiam majoremque homo disponetur. Ita non frustra petitur, quod non concedendum petebatur.

Addo, esto etiam desideria, proposita sterilia esse videantur, nec simpliciter in animo sentiantur ob pusillanimitatem: hoc tamen non obstante, fiant proposita vel solis verbis, vel debilibus sterilibusque desideriis: quod modo solis verbis optatur, quod debili-

debiliter deſideratur, ipſa repetitione optationum, & propoſitorum, quamvis ſterili, diſponitur tamen animus ad hoc, ut, quod languidè volebat, velit robuſtiùs, quod ſteriliter proponebat,proponat efficacitate fæcundiùs: incutitur pudor menti non facere aliquando, quod toties voluit, non velle aliquando, quod toties ore protulit, aut propoſuit, aut conſcio Deo, Superiore,ipſo ſuo corde cogitavit, poſtulavitvè. Plurimam in hac re utilitatam eſſe experientiâ docebit volentem experiri.

Sextum & ultimum addo, alijs prætermiſſis. Religioſi etiam liberales in Deum ſint: in poſtulando à Deo,& in orando Deo. Liberalis in Deum qui eſſe vult, aut eſt: oſtēdat liberalitatem hanc in petendo à Deo, quàm plurima, quàm maxima, quàm difficillima: cum omni in Dei voluntatem reſignatione: (quæ reſignatio etiam liberalitas in Deum eſt.) Oſtendat liberalitatem eandem in petendi frequentia, inſtantia, ardore, reverentiâ, humilitate, modeſtia, labore, patientia, fiducia. Etſi nihil omninò ne unum terræ pulverem impetraſſe ſibi videatur homo: innumera tamen rēvera impetrabit, obtinebitq; bona. Hoc ipſum erit ſummum bonum, orationiſq; præmiū: quod ad Divinum admittetur homo & colloqui,ū & conſpectum, at præterea innumera alia obtinebit bona: quæ ſecundùm Dei ſapientiam, providentiam, bonitatemquè ſunt homini meliora, quàm quæ ipſe excogitare aut exoptare potuiſſet, Certet ergo Religioſus cum Deo liberalitate poſtulandi & orandi: & Deus cum illo certabit liberalitate concedendi & donandi, vel ipſa poſtulata, vel ea quæ meliora poſtulatis erunt poſtulanti.

Inter maximas cauſas, cur Deum parcū experimur in dando: eſt hæc, quia Deus nos parcos experitur in poſtulando : tepidoſquè ac ſegnes in orando. Sed de his hactenùs ſit ſatis. Secundum ex propoſitis caput erat, quibus modis exſtimulari poſſimus ad liberalitatem in Deum.

Primus modus, conſideratio & æſtimatio Dei; Etenim propter ſuā dignitatem,bonitatem, charitatem, in nos liberalitatem,nobiſcumq; jugem præſentiam, dignus eſt ſine dubitatione ullâ, Deus, ut cum eo, & propter eum, & in eum quàm liberaliſſimi ſimus. Certè nullum eſt evidentiùs ſignum exiguæ, noſtræ, in Deum charitatis, Reverētiæq;, quàm parcitas, moroſitas,inurbanitas, ſterilitaſq; Divina obſequia peragendi; quis enim dubitet ita agentem non diligere Deum ex tota mente, neq; ex toto corde, neq; ex totâ anima, virtute, fortitudineq; ſua ?

Secundus modus, conſideratio,quòd homo, ſicut ex ſe nihil habet, aut eſt: ſed totum Dei & ex Deo: inde conſequens eſt, ut Deo debeat omnia, & quantumlibet profuderit ſe totum Dei cauſa, nihil ſuum profundet, A neq; ullius atomi ſumptum, jacturamve de proprio faciet: ſed totus ſumptus, totus conatus, tota jnctura erit Dei & ex divino penu deſumpta, ac proinde non eſt quod ad calculum revocet, aut menſuris anguſtis includat ſuos pro Deo labores.

Accedit tertius modus, ex vicina priori conſideratione hauſtus,quod cum totus homo, cùm ſuis omnibus operibus, viribus & capacitatibus, & Dei ſit,& ex Deo,& quidem minutiſſima portio, ſeu participatio Deitatis: quantumlibet ſe totum profuderit, ta- B men id quod profundet, & alienum & minutiſſimum quid erit: proinde non habebit homo cauſam, ob quam parcus ſit in Deū. Etenim in Deum parcum eſſe, eſt prorſus idem,quod ſuum illi negare, & inſuper atomum partiri.

Quartus modus, conſideratio, quod eſto per impoſſibile, eſſet homo non ex Deo,ſed ex ſeſe aliquid: tamen reſpectu Divinæ magnitudinis comparatus , erit aliud nihil, quàm folium crepitans in aliquo ſurdiſſi- C mo ſeu vaſtiſſimo nemore . Comparatus porrò ſuo debito, quo revera eſt obligatus Deo, item præmio, quod illi Deus promittit in totam æternitatem, quomodo poterit exiſtimare ſe aliquando nimium eſſe, in impendendo ſe Deo,aut propter Deum? Sanè: amat Charitas, amat Immenſitas, ipſe ſcilicet Deus hominem, homo autem rependit vicem cum menſurâ, eaq; valde tenui.

Quintus modus, conſideratio illa, quam S. Pater expoſuit, *quod quantò ſe quis libera-* D *liorem erga Deum præſtiterit, tantò eum experietur in ſe liberaliorem, efficieturq́; magis capax donorum & gratiarum Dei.* Quibus verbis duos in Deum liberalitatis fructus effectuſq; explicat.

Unum extrinſecum: qui eſt provocare ſua liberalitate Deum ad liberalitatem, & quidem majorem. Neq; enim Deus vinci ſe patitur à creatura: qui eſt infinities melior, conſequenter magis communicativus

effuſi-

effusivùsq, sui, quàm illa. Ergò liberalis in Deum obruitur à Deo liberalitate Dei. sicut facula accensa soli opposita obruitur à solis lumine. Quare qui vult inexhaustam Dei liberalitatem sibi obnoxiam facere, & ejus cataractas aperire ac derivare in se, suam omnem in Deum liberalitatem exerat: sic enim prægnantem beneficiis Dei naturam & manum, totam ad se defluere fæcundissimo effluxu faciet.

Alter fructus effectusq; naturæ in Deum liberalitatis à S. Patre explicatus est intrinsecus: qui est, animum ipsum liberalem in Deum, ipsa liberalitate dilatare & ampliare, idoneumq; ac vastum & capacem donorum Divinorum reddere. Sicut enim fontes quò plus manant, plus aquæ acquirunt: si autem manare cessent, pereunt & siccantur, ita naturæ potentiæ in actus, præsertim Dei causa, profusæ dilatantur, fæcũdantur, tum ad amplius propter Deum operandum, tum ad amplius à Deo capiendum: si autem parcæ ac steriles sunt in o-
A perando: hebetantur, & veterascunt, & inutiles redduntur, tam ipsæ quàm earum animæ, atq, homines. Hæc de stimulis ad liberalitatem in Deum, atquè de ipsa liberalitate sint satis.

EXERCITIA
DECIMI MENSIS.

N Mense Decimo Tirocinij sui Religiosus, circa curam minimorum: quam in 5 partes partietur, prout etiam 5. genera reperiri possunt minimorũ, Igitur.

Primò vacabit. Exercitio fugiendi minima peccata atq; imperfectiones: De fuga gravium peccatorum non est hic sermo, nam his non tantùm in ingressu, sed etiam ante ingressum Religionis valedicendum est. Quia enim in Religione servaturi consilia sumus, æquum est ut in sæculo priùs præcepta servare discamus: alioqui nisi hoc fiat, continget ingredientibus non rarò, ut innocentiam Religiosam peccatis gravibus maculent: ideò cum gravium peccatorum consuetudine ad Religionem venerunt, quod non fieret, si aliquantò saltem tempore ante ingressum suum, à gravibus peccatis abstinere, atq, ut dixi, præcepta Dominica servare aliquantulùm insuevissent. Verùm hoc, tanquam ad aliorum prudentiam (qui Religionis ingressu consuluntur, aliosq; in re tanti momenti dirigunt,) spectans remittentes, ad propositum nostrum accedamus.

Dico igitur Religioso Tironi fugienda esse minima quæq; peccata, in eàq; re diligentiam esse magnam illi ponendam. Exigit hoc ipsa peccati natura: imò nomen, quid enim fugiet homo, si peccatum non
B fugiet? cum peccatum id dicatur, quod refugiunt, & horrent omnes. Neq; verò militat excusatio sumpta à levitate peccati: nam si quis ideo parvi facit & facile committit, quia leve est: cur non etiam magni facit valdeq; timet committere, quia peccatum est. Num aliquis ideo gustat venenum, quia leve est, & non potius fugit ideò quia venenũ est. Numquis ideo excipit pũcturam acûs, quia exiguum foramen facit,
C & non ideo fugit ac repellit, quia puncturam & dolorem facit? Accedit, quod levitas ista peccati esto sit, nescio unde levitas: ex hoc tamen non est vere levitas, quia dispositio est ad grave peccatum. quis enim dicet leve malum, quo disponitur ad maximum, quis dicat levem morbum, quo disponitur ad mortem, quis dicat levem ruinam, qua hostis ingredi & occupare, diripere, necareq; potest omnes.

D Discernendum est bene quidnam & quare, & quando peccatum dicitur leve: tunc enim leve dicitur, quãdo invite, involũtariè, obreptitie, ex fragilitate committitur, commissum verò statim deletur, retractatur, punitur, vitatur, emendatur. Tale enim peccatum commissum plus ferè prodest quam

quàm nocet homini: excitat enim hominē ad curam sui ad circumspectionem, ad humiliter de se sentiendum: & hoc sensu diligentibus Deum etiam peccata cooperantur in bonum; at verò peccatum quod dicitur leve, sponte, voluntariè, ex negligentia ac tepòre, vel quod pejus omnibus est, ex motivo levitatis contemptusq; commissũm: hoc leve nemo sanus dicet, ne dum perfectionis studiosus, hoc enim leve jam non est, nisi secundùm nomen leve, re ipsa autem est grave: leve fuisset, si involuntariè, factum fuisset: at quia scienter & sponte factum est, leve non est. Sicut premere pedem Regis, vel aspergere sorde aliqua vestē ejus casu, & nolenter leve est, sponte & scienter crimen est.

Errant ergo qui levia ideò patrant, quia sunt levia: hoc enim ipso ex tali persuasione patrata non sunt levia, sed gravia. Et talia sunt quæ disponūt (ut dixi) ad gravia. Imò ostendunt talem hominem esse in animo dispositum jam ad gravia, hancq; dispositionem in actum prodire per levia. Omnia enim peccata mortalia, à levibus venialibus incipiunt: sicut omnis mors à levibus morbis venit, & omnis ruina domus à parvulis rimulis exorditur. Deniq; in pigritijs manuum stillabit domus: stillicidia verò expellunt domo, ut ait Scriptura.

Omitto adducere ad persuadendam fugam minimorum peccatorum, puritatem conscientiæ & munditiem cordis, sine quâ nemo videbit Deum, nemo enim placebit Deo: quæ non potest habere locum, ubi voluntaria peccata habent locum. Quomodo enim mundus corde sit, aut esse velit, qui sponte sordibus cor & animam maculat? Omitto etiam adducere ad idem persuadendum charitatis Divinæ fervorem, quem est impossibile in animo esse, ubi voluntaria peccata sunt? Charitate fervere, ac peccata parva non fugere, sunt opposita: & qui hæc stare simul putat in suo corde posse, non is errat, sed insanit. Sicut charitas cum peccato mortali, ita charitas fervens cum peccato veniali voluntario pugnat.

Ergo *nemo reputet parva, quamlibet parva, si scienter delinquere convincatur*, ait S. Bernardus. Ipsum enim hoc quod voluntariè & deliberatè committitur aliquid mali, leve esse non potest, respectu malitiæ committentis, esto non sit grave respectu ipsius mali commissi. Nam hac ratione committens parva mala, si se benè examinaverit, inveniet in se voluntatem, nec in charitate Dei fundatam ferventemq;, nec à peccatis simpliciter, sed potiùs tantùm à pænis peccatorum, oneribus ad ea sequentibus (confusionis, jacturæ boni nominis &c.) aversam, ita ut non peccare metuat, sed ardere. Nam si plenè aversa esset mens à peccato; magis millies optaret ardere, quàm vel levissimè semel peccare. Cujus rei notabi- A le habemus exemplum in optimo fratre nostro Alphonso Rodriguez: cujus illa fuit jugis ad Deum interpositis etiam Sanctorũ in horas singulas aliorum intercessionibus: ut potiùs permitteretur millies mori, ipsasque inferorum pænas (salvo gratiæ statu) ad diem judicij sustinere, quàm vel semel minimum aliquod veniale peccatum committere.

Hoc igitur curabit Religiosus Tiro, ut se se in hoc quàm firmissimum obstinatissimumq; faciat, in hocq; Dei gratiam adju- B tricem sibi semper in promptu esse demereatur, ne peccet deliberatè, voluntariè, scienter unquàm. Item ut involuntariè, aut indeliberatè, si quando cadat, non cadat in graviora venialia, non in multa, seu pluries repetita, non etiam in varia, seu variorũ generum aut specierum, ut ea in se quo ad frequentiam & pondus admittendi, diminui sentiat & curet, ut ad commissum ex obreptione aliquod malum sit in sentiendo tener, in expellendo diligens, in puniendo securus, in cavendo cautus, in occasioni- C bus providus, & circumspectus: ita ut etiam umbram, speciemq; peccati non parvifaciat: sed ab omni specie mali (uti monet Apostolus) abstineat: Ubi per speciem mali, intelligit Apostolus, etiam imperfectiones quæ peccata non sunt, reprehensibiles tamē sunt, quia cum fiunt, non advertuntur, si autem adverterentur fieri, recta ratio ostenderet inconvenienter fieri.

Ad hoc porrò exequendum proderit Tironi nosse & notatos habere vel legisse defe- D ctus, qui in quacunq; ordinaria actione solent; ac possunt committi, ac reprehendi. Non est autem hujus loci catalogos horum texere defectuum: & possunt non difficulter cognosci, tum ex Regulis instructionibusq;, ac uno quoq; officio, ac opere præscriptis, tum ex aliorum præsertim Superiorum admonitione. Proinde illuc interim Tirones remittimus.

Secundò

Secundò vacabit. Exercitio minimas Regulas, ordinationes, instructionesq; observandi: Ideò enim præscriptæ habentur, ut omnia (juxta Apostoli præceptum) in nobis, hoc est, in Religiosis cætibus, honestè & ordinatè fiant. Non autē fierent, si uniformes Regulæ & instructiones de uno quoq; opere, ac munere obeundo præscriptæ non essent. Quoniam unusquisq; in suo sensu abundaret, & innumeræ essent dissensionum, aversionum, querelarū, materiæ ac occasiones: plurimi etiam defectus & errores, plurima inconvenientia, & impedimenta mutua in actionibus ac officijs. Quibus omnibus similibusq; malis obviatur prudenter præscriptione & simul observatione Regularum, instructionumq; unde non sunt eæ parvi faciendæ, sed potiùs exactè ab omnibus observandæ: nequè ob minutiarum specimē, aut nomen, negligendæ: Etsi enim minutæ sint in se, attamē plurimis magnisq; malis medentur, cum servantur: viam autem aperiunt cum negliguntur: ut vel hoc solo nomine, curam, diligentiamq; nostram mereantur.

Ac quam inconveniens sit eas non servari etiam ab uno, ex hoc facilè conijci potest, si imaginemur eas servari à nullo: si enim hoc esset valdè turpè negligi ab omnibus, non potest etiam turpe non esse non servari ab uno: multitudo enim peccantium nihil suffragatur uni ad excusationem: sed aggravat turpitudinem.

Accedit, hasce regulas, quamlibet parvas, esse rectæ rationis partus, desumptas ab experientiâ & prudentia Sapientissimorum, & Religiosissimorum Patrum, usu ipso antiquitùs receptas, probatas, firmatas: quas à Tironum vel posterorum aliquo negligi, hoc utiq; aliud non est, quàm Magistros à discipulis argui & confundi.

Sed nihil ampliùs hanc observationem minimarum Regularum, debet Tironibus, sicut & omnibus commendare, quàm hoc, quod sint Effectus Divinæ voluntatis, imo ipsamet Divina voluntas, nobis ad servandum, esto in minimis occasionibus materijsq; proposita: ita ut Regulæ ipsæ non sint revera minimæ, sed tantùm ordinatæ circa res minimas: alioqui ipsæ per se, & in se, sunt maximæ, quia Prudentiæ Rationisq; Primæ seu Divinæ. Non secus ac formæ quædam operum artefactorum, ipsæ quidē sunt per se elegantes: licet earum materia auri vel plumbi sit, non perinde æqualis pretij.

Huic autem diligentiæ, in observandis Regulis, de qua in præsenti sermo est, deberet amans perfectionis Tiro subijcere, non tantùm Regulas publicè omnibus ad observandum propositas: sed etiam alias omnes instructiones privatas, sive à Snperioribus, sive à Confessarijs, sive à prudentibus amicis ac sociis, sive à libris Spiritualibus, sive
A à bonorum exemplis, sive à Divinis internis instinctibus acceptas, & à communi usu nequaquam recedentes. Etenim etiam istæ, hunc in finem à Dei Sapientia voluntatequè nobis providentur, ut à nobis serventur, servatæ autem, ut nostra opera faciant, Deo gratiora & perfectiora: consequēterq; & nos ipsos coram Deo magis acceptos, atq; in virtute perfectos. Eam ob rem, nequaquam Tiro consuetudines suas (quos sponte sua, Magistro Spiritu Sancto servandas assumpserit,) facile negliget, sed
B aut semper retinebit, aut non nisi cum melioribus perfectionibus commutabit. Etenim etiam vitæ consuetudines, sunt quædam Regulæ privatæ, privatim homini à Dei bonitate indultæ: ut eas sine piaculo & nota inconstantiæ, aut teporis, negligere non possit.

Concludens hoc præsens exercitium illud Tironibus in memoriam revoco: quod ad obseruationem hanc urgendam retinendamq; magnopere potest excitare: nimirum hanc observationem minimarum
C Regularum, instructionum, observationū, praxium, ideo à Tironibus esse magnifaciendam, quia in omni vitâ suâ Religiosa deinceps observanda, retinendaque erit. Hoc enim debet esse illis inter omnia persuasissimum, se ideo exerceri in Tirocinio, ut ea, quæ hic discunt, semper sciant, quæ hic faciunt, semper facient, quæ hic fundadamenta perfectionis & virtutum, & mortificationis, tam internæ, quàm externæ jaciunt, ea deinceps perficiant in sequenti totâ vitâ, ad culmenquè perfectionis abso-
D lutæ deducant: nisi ergo hic inceperint, nisi lineamenta duxerint, nisi fundamenta posuerint, non video quomodo sint perfecturi, siquidem perfici non possunt, nisi inchoata. Ut verò post Tirocintum sperent se inchoaturos, hoc tam difficile, ne dicam impossibile, quàm serum est.

Porro existimare ac persuasum habere apud se, quod finito Tirocinii tempore, licebit

cebit sibi vel omnia, vel pleraq; vel aliqua Tirocinij exercitia deserere, certiùs, manifestiùsq; futuræ Tironis, post Tirocinium, defectionis ac ruinæ indicium, atq; prognosticon, imo principium, nec opus est quæri, nec potest inveniri Certè si hoc ita esset in Religiosa institutione, & rudimentis perfectionis, ut exacto Tirocinij tempore fas sit ac spes de abjectione cogitare eorum, quæ sunt hausta in Tirocinio: dicendum est nullam esse infeliciorem artem in humanis, quàm hanc Spiritualem ac Religiosam: Etenim in omnibus facultatibus, tam mechanicis, quàm literariis: quæcunque in Tirocinijs suis à candidatis ediscuntur: ea deinceps in consequentibus, gravioribus artis, ejusdem præceptis, tanquam notissima, & plenissimè possessa supponuntur: tanquã fundaméta necessaria prærequiruntur: neq; quidquam absurdiùs est in arte omni, quàm artis principia non edidicisse, vel cognita oblivioni tradidisse. Quã ergo fronte potest Tiro sibi polliceri ac persuadere, quòd exacto Tirocinij tempore, licebit illi omnia Tirocinii exercitamenta, quæ sunt tanquam perfectionis & vitæ Religiosæ rudimenta abijcere, & in neglectu oblivioneq; sepelire. Profectò quicunquè Tironum ita, vel tenuissimè sperant, persuasumq; habent. ij certissimam ruinam minantur, ac proinde indubitatè illam expectent.

Exerceant ergo Tirones sese in minimarum quarumq; regularum, præceptionumquè observatione: & exerceant hoc animo, ut nunquam deposituri sint eam exercitationem, sed vel eandem ad perfectionem, ultimamq; ætatem deducturi, vel quod idẽ est, cum perfectioribus commutaturi: scientes ex S. Bonaventuræ doctrina, Tirociniũ aliud esse ad Professionem & vota, aliud esse ad perfectionem, illud finiri anno, vel biennio: hoc finiri perfectionis assecutione, vel vitæ termino. Tirocinium priùs esse fundamentum alterius: illius finem esse, alterius inchoationem: & emmissione professionis dari initium Tirocinio perfectionis. Sed hæc alibi pleniùs, in gratiam Tironum tractata reperies, Tractatu scilicet vitam novellorum Religiosorum, inferiùs ponendo. nunc alia.

Tertiò vacabit. Exercitio usurpationis minimarum occasionum ad profectum, ad mercedumq; gratiam & gloriã cælestem, idq; potissimum per Virtutum exercitationem. Ut intelligatur, quænam sint partes hujus exercitij, & quis scopus: advertendum est in Religiosa vita, & domo reperiri, quædam tum opera, tum officia per se notabiliora, & in oculos seu communitatis, seu Superiorum certiùs incurrentia, diligentiamq; & requirentia, & habentia: alia verò ex se, vel ex quodam usu haberi obscuriora & minutiora, quorum exe-
A cutio neglecta minùs sentitur, notaturvè, ita executio non usq;quaq; rigorosè & acutè urgetur: & tamen non parum est revera, seu incommodi inconvenientiæq;, si passim neglecta jaceant, neglectimve fiant, seu commoditatis, si in executionem veniant. In idem recidit advertere, in Religiosis domibus esse quasdam occasiones virtutum, & consequenter meritorum, quæ ut temerè & non ex ullius proposito intentovè offeruntur, ita etiam passim, & absq; censurâ ac notâ prætereuntur, negligũturq; sine usu
B sui, ad quas tamen diligens negotiator Spiritualium lucrorum lynceos habet mentis oculos, neq; eas effluere sinit vacuas: sed vel tanquam sibi à Deo oblatas, vel tanquã reservatas, ac sepositas à providentia Divina arripit, colligit, & in fructum spiritualẽ lucrumque convertit Ad eum modum, quo Matrona illa Sancta Ruth, Moabitis paupercula, & ex alienigenis nata, veniens in agrum, in quo Messores ditissimi Patriarchæ Booz metebant fruges, illa vestigia messorum sequebatur, & spicas quæ fugie-
C bant manus messorum, colligebat in cumulum, quod studium adeò gratum fuit Patrifamilias, ut præceperit operariis suis, ne illi Matronæ molesti essent, imò ut ultrò spicas post se præterirent, quo illa plures sine verecundia, majoreq; cum suo commodo colligere posset, insuperq; etiam cum ijsdem operariis suis, eam cibum & potum capere jussit.

Hæc est illustris figura hujus exercitij, de quo loquimur: In magna enim Dei nostri domo, agro, ac messe magni servi Dei,
D & perfecti permittendi sunt gravia munia, & magnos labores circa proximos, vel circa Religionis commune bonum, sustinere ac obire, & veluti plenis manibus messem facere: at paupercula Tironis anima, sed tamen profectus Spiritualis cupida, nequè adhuc ad grandes labores idonea, colligat spicas, messorum manus, effugientes: nec dubitet industriam suam Deo Patrifamilias

milias

milias cordi fore: acceptabit enim ejus diligentiam, & ad explendam ejus proficiendi famem, providebit illi occaſiones, talium meritorum amplas, & ad menſam operariorum, eandem admittet, dando illi non minores conſolationes internas, gratiarumq; & gloriæ cæleſtis merita: quàm ſuis illis majoribus operariis: quoniam Deus pro menſura fervoris & ſtudij in operando præmia ſolet diſtribuere, eſto ſit magna diverſitas in operibus ipſis.

Tractat, atq; ad hoc propoſitum adducit P. Iacobus Alvarez, to: 1. l. 5. c, 24. adductum S. Ruth exemplum, illudq; illuſtrat inſtantiis ſive exemplis,talium ſpiritualium ſpicarum, ſeu occaſionum, quas ſummariè hic affero, ut ex his conjectura fiat de ſpiritualibus: ſic ergo ille: *Conſidera Religioſe mendicitatem, & expende famem tuam, quam ut tibi ſumptione compeſcas,collige ſpicas à metentibus derelictas,& modicas proficiendi occaſiones, quas magni in oculis ſuis ſpernunt,congrega in ſinum tuum. Rogo te unum tantùm diem vitæ tuæ attentè conſidera, & videbis in eo innumerabiles proficiendi occaſiones, quas perdis. Signum eſt datum ad ſurgendum è lecto: & tu in lecto aliquantùm moraris, ac ſi non Deus te ad ſurgendum orandumq; ſigno illo vocaret? Ecce unam ſpicam ſeu occaſionem, quam ſi fuiſſes amplexus,ſocordiam & diabolum te retinentem viciſſes, & bonum fervidum diei initium, laboribus aſſignaſſes. Ad orationem accedis, at cum poſſes genuflexus, non ita, ſed ſedens aut ſemiiacens aſſiſtis. Ecce aliam: nam ſi debitam mentis reverentiam, erga divinam maieſtatem, corporis ſitu monſtrares: te ipſum ad devotionem, & internam ſuavitatem diſponeres, & alios tecum orantes ædificares. Triclinium refectionis cauſa ingrediẽs,panis tibi durus, niger apponitur, pulmentum inſulſum, & malè apparatum offertur, cuius tu cauſa triſtaris, & interiùs ſaltem coqui oſcitantiam, & prælati duritiã incuſas. Ecce aliam, debuiſſes enim ut Chriſti pauper verus, illâ penuriâ & incommoditate exultare, panem pulmentumq; in Chriſti ſanguine intingere, & Regum deliciis præferre.* D *Cùm aliis colloquens remiſſionis gratiâ, oblatâ occaſione, teipſum laudaſti, aut ſententiam tuam defendere contendiſti, aut hiſtoriam fabellamq; inutilem narraſti. Ecce aliam,quia ſi Divinæ inſpirationi te interiùs ad mortificationem vocanti paruiſſes: nec teipſum laudaſſes, nee pro re nihili contendiſſes, nec ſecularia narraſſes, coronæ gloriæ in cælis te expectanti gemmam adieciſſes. Defectus aliquis parvi momenti,tibi innocenti occultè vel publicè ab aliis obiicitur, & tu ſtatim miraris, milleq; modis id ipſum excuſas. Ecce aliam, quia non magni momẽti ignominia admittenda eſſet, & pœna à Prælato impoſita acceptanda. Domo aliquâ causâ egreſſus, aliqua pulchra quæ videas, curioſa quæ audias, iocoſa quæ dicas, paſſim occurrunt, quibus tu ac ſi ſecularium unus eſſes, implicaris & fœdaris. Ecce aliam, oportebat enim oculos vanitati claudere, aures adversùs curioſitatem muni*A*re, & linguam indomitam beſtiam contînere.* Ita Pater Alvarez.

His addi poſſunt alia, v. g. 1. Supplere libenter (& quoad fieri poteſt, abſq; cenſurâ & notâ alienæ negligentiæ) pro aliis ex charitate in ſerviendo ſacro, menſæ primæ vel ſecundæ, in legendo ad menſam, in lavandis lancibus. 2. Offerre ſe ad talia ſupplementa Superiorum alicui, ut operâ tuâ liberè uti poſſit,cum eguerit, nec alium quærat. 3. Perficere & curare ea, quorũ curâ, nulli in particulari commiſſa ſit, ut B lavacrum commune curare, mundam aquã afferre. Lumen ſi quò opus ſit, necdum verò illatum ſit, inferre. Primo pulſu campanæ obedire in puncto, etiamſi nemo adſit qui videat. Res ex Menſis colligere: atq; in purgandis ijs aliquantùm juvare. Converſationes,confeſſioneſq; nobilium alijs cedere, pauperibus operam propriam adjicere. Dum res ad uſum diſtribuuntur, ultimò ad accipiendum accedere, atq; ultimas accipere. Officiali etiam infimo in ejus officio deferre, & ſubeſſe, atq; ab eo C dependere. Non tantùm fratres,verùm etiã res quibus illi uſi ſunt æſtimare,òſculari ex ſpiritu illo, quo fratres nobis præponimus. Non facere diſcrimina, neq; delectũ in fratribus, in ſociis, cum quibus manens exeas, colloquaris.

In his ſimilibuſq; latent virtutum maximarum occaſiones & commoditates, ſimulq; virtutes maximæ, quæ paſſim & occurrunt, & à pleriſq; negliguntur, non tamen abſq; ſummo profectu obſervantur: continent enim hominem mirificè in diſciplinâ: non ſunt expoſita vanæ gloriæ,& admirationi: invidiam non excitant: non frangunt vires, non abſumunt tempus: corroborant virtutum habitum, atq; uſum in animo, familiaremq; reddunt virtutem. Unum tantùm ad hanc praxim eſt neceſſarium, eâ volenti uti; nempe, ut ſciat atque in promptu habeat virtutes, quæ in unaquaq; occaſione exerceri poſſint: quas quidem,

dem ipsarum occasionum natura suppeditat, vel sponte propria, quis assignare potest. Neq; opus est exoticas & difficiles quærere, sed optimum est communes & quotidiano usui necessarias designare. Quales sunt fermè hæ. Charitas in Deum, charitas in proximum, reverentia majorum, parium, minorum. Humilitas & humiliatio, sui contemptus, ac submissio, fervor spiritus: studium proficiendi, merendi, placendi Deo, amor Regularum & disciplinæ, Obedientia, Resignatio, Indifferentia, simplicitas & candor. Studium puritatis conscientiæ, &c. Has Virtutes inveniet in his occasionibus, quicunq; erit pauper ac fervens spiritu: tepidis verò ac superbis, & in suo sensu abundantibus, nunquam ista satis probabuntur, & laudabuntur: absconsa enim hæc sunt sapientibus, & prudentibus, revelata autem parvulis à Patre cœlesti.

Quartò vacabit Exercitio minimarum mortificationum, tam in rebus externis, quàm in internis. Convenit hoc exercitium cum præcedente, ideoq; paucioribus expediri poterit ejus propositio verbis: differt tamen in eo, quod illud virtutum, hoc mortificationum exercitiũ commendet: deinde in eo, quòd illud magnas virtutes, in parvis occasionibus: hoc etiam minimas mortificationes, in quibuslibet occasionibus suadeat. Cùm enim non omnium, ac præcipuè non incipientium sit, Magnas mortificationes aggredi & sustinere: sanum & sobrium consilium est, ut in parvis se exerceant, qui ad magnas idonei non sunt. Sic enim omnia à minimis sumunt initium: donec ad magna convalescant, capita maximorum fluviorum, exigua sunt.

Præterea docet experientia minimas mortificationes, non tantùm sternere viam ad majores, sed etiam quandoq; æquivalere, imò & prævalere magnis. Magnæ enim, in usum rarò venire possunt: parvæ perpetuæ esse possunt. Magnæ, ipsa raritate parvæ sunt, magnitudine autem suspectæ sunt: utroq; autem periculosæ sunt: cõtra, minutæ, & debẽt & possunt esse assiduæ, vix notabiles sunt, sæpissimè non sunt, ob exiguitatem; grandes sunt & difficiles, ob continuationem; nullum periculum creant corpori, propter suam ad vires proportionem; nullam animo suggerunt superbiam, quia non trahunt secum admirationem. Insuper autem semper hominem continent in disciplina, semper in sui dominio ac potestate. Et quia innumeræ sunt, ideo semper commoditatem habent: Deniq; & contra indiscretionem, & contra vanitatem, regulis cautelisq; non egent, aut vix egent.

Eam ob rem, exiguæ mortificationes Tironi debent esse commendatissimæ, & usitatissimæ: adeo quidem, ut si fieri possit nusquam & nunquam se absq; mortificationis alicujus experimento, usuq; inveniat & commoveat, sed semper aliquid in præsens habeat, quo sibi tam intus, quàm extra molestiam & disciplinam ingerat. Et ad internas quidem maximè invigilabit & inhiabit, quia hæ magis necessariæ, magis utiles, magis perfectioni & cordis puritati atque charitati subservientes. Nihilominùs & externas semper complectetur, & in minutissimis, sive sponte inflictis à se, sive aliunde advenientibus, & non quæsitis sese exercebit.

Non est autem opus sollicitudinem ponere magnam in occasionibus habendis: quoniam faciliùs fermè est hominem, aliquid ad patiendum adversi habere, quàm vivere. Vita quippe ipsa ex contrariis constat: proinde & sine patiendi occasionibus non stat.

Quod si etiam insuper homo industriam ponet, & à sua voluntate, quod patiatur habeat, conspirante natura cum voluntate, impossibile est, ut homo patientiæ, mortificationisq; materiâ careat. Modica duntaxat, est opus vigilantiâ, ut homo advertat, in quo, vel sibi contrarius esse valeat, vel quomodò contrarium se sibi aliqua ex causâ, modestè, cumq; virtute sustineat. Non est enim creatura, quæ homini molestiam parere non possit; non est particula corporis in homine, quæ molestiæ non possit esse subjecta: non est potentia in anima, quæ sua inordinatione non soleat esse animæ, rationive onerosa: non est actio, quã operatur homo, in qua ne vel per excessum, vel per defectum impingat, regimen, vigilantia, moderatioq; non sit illi necessaria.

A quibus omnibus oneribus usq; adeò sese homo expedire nullo modo prævalet, ut hoc ipso quod expedire attentet, magis etiam malum & miseriam cumulet ac aggravet. Etenim fugere molestiam, & pati nolle, est multiplicato fænore, molestiæ uni, & minori multas & graviores superapponere.

re. Usq; adeò, ut ad diminuendas allevi-
andasq; (nam amoveri hac in vita non pos-
sunt) tribulationum & mortificationum
occasiones vix ulla sit commodior ratio,
quàm modesta,& mitis suimet ad illas sub-
jectio. Sed de hac ipsâ re, quoniam aliquid
actum est Mense 7. Exer: 1. ad ea Tironem
remitto: ad amorem autem, usumq; mini-
marum mortificationum verbis illis S. A-
postoli exhortor: *Momentaneum & leve tri-
bulationis nostræ, supra modum in sublimitate æ-
ternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Non
ergo horreat assiduam, non etiam conte-
mnat mortificationem: ex qua æternæ glo-
riæ pondus sibi enasci & promitti ore
Apostolico cognoscit.

Quintò vacabit: Exercitio oc-
cupādorum minimorum temporum. Huc
nos ducit monitio Sapientis: particula boni
diei non te prætereat. Non est autem ser-
mo præsens, de Temporis universim sum-
pti nobis à Creatoris bonitate ad operādam
salutem nostram induti appretiatione & æ-
stimatione, bonoq; usu: hoc enim per Dei
bonitatem in vita Religiosâ, ita usu venit:
ut monitione vix sit opus: cum omnes diei
noctisq; horæ ita distributæ sint, ut cujusquè
pars suæ occupationis ab obedientia dome-
sticoq; ordine assignata sit: sed loquor in
præsenti de observatione minimarum tem-
poris particularum, ac veluti micarum,
quæ complures reperiri possunt, in ordina-
ria vita, & à diligentibus sine fructu Spiri-
tuali amitti non debent.

Ejusmodi sunt tempora illa quæ fluunt
nobis inter eundum redeundumq; huc aut
illuc de loco in locum pro exigentia occu-
pationum ac necessitatum. Hæc minuta
tempora, si in unum colligantur, justum
facient tempus: si verò benè impendantur:
maximos spirituales conferunt thesauros.
Habemus in Vitis SS. Patrum narrationem
de quodam Anachoreta, qui remotiusculè
casam suam habebat à puteo, necessequè
erat hominem, aquatum ire & redire non
absq; labore tam viæ, quàm portandæ aquæ,
sensim tædere illum cæpit laboris illius: eo-
què demum tædio inductus est, ut statueret
casam suam propiùs aquam transferre,
seq; labore illo levare: antequam autem
id perficeret, interim aquatum eunte
se, persensit nescio quem, quasi post se eun-
tem, & aliquid numerantem, conversus re-
trorsum vidit Angelum Dei omnes illos su-
os passus, quos ad puteum faciebat nume-
rantem, metientemquè. Quo ille animad-
verso: correxit errorem, & promota etiam
remotiùs casa laborem, quem Dei Ange-
lis, ipsiq; Deo ita curæ esse cognovit, auxit.

Hoc exemplo edocemur, non perire tem-
pora minuta quamvis, si ea Deo impendi-
mus: at ex hoc etiam ampliùs confirma-
mur, tantò ampliùs Deo placere, apudquè
Deum mereri nos, quantò meliùs temporũ
A similes minutias expendimus. Nullus est
dies, quo non ex nostræ mansionis loco, in
templum Sacri dicendi audiendive causa,
in triclinium cibi sumendi gratia progre-
dimur, atq; rursum regredimur: tempus il-
lud eundi redeundiq;, si non tantùm boni
operis aut ab obediētia, aut à charitate im-
perati causa insumamus, sed insuper acti-
bus quibusdam piis, actibus inquam, virtu-
tum aliquarum sive continuatim, sive repe-
tito exercitis occupemus: quis potest dubi-
tare cum maxima spirituali utilitate, eaquè
B multiplici nos id facturos. Etenim si quis
attendat ad hæc vel uno die: & talibus tem-
poribus actus (charitatis Divinæ, v.g.) per-
breves eliciat: actus illi charitatis omnes ad
millenarium, & ampliùs numerum excre-
scent, uti sua quilibet experientia probare
potest. Et putat aliquis Spiritualis vitæ stu-
diosos, parum esse mille charitatis Divinæ
actuum, vel jacturam, vel lucrum facere:
meritumq; gratiæ & gloriæ cœlestis, iisdem
respondens amittere vel obtinere? Quid?
C quod talibus temporibus, si eo quo dico
modo non occupentur mens nostra, otiosa
soleat cogitare, oculi vagi esse, imaginatio-
nes sparsæ &c: quibus omnibus incōmodis
remedium fit, per hoc unum, si illis tempo-
ribus assignatæ sint certæ & statæ sanctæ
cogitationes, virtutum actiones internæ,
etiam ore murmuratæ.

Hoc igitur Tironibus debet esse commē-
datum pro omni vitâ & mansionis loco, ut
ita vivere assuescant semper, & ubiq;, à Ti-
rocinio inchoando, ut hasce temporum re-
D liquias observatas notatasq; habeant, juxta
officium suum quod obeunt, obibuntve a-
liquando: iisq; temporum micis certas, sta-
tas pro suo placito, vel pro convenientia
temporum, occupationumq; ipsarum, in-
ternas piasq; virtutum variarum exercita-
tiones assignent, quas labente tempore sua-
viter exerceant: tempusq; utilissimè ac san-
ctissimè insumant. Neq; unquam hoc e-
xercitium, aut ob contemptum parvitatis,

aut ob tepiditatē fugamq; laboris negligāt.
Revera enim non eſt parva res:& labor non
tollitur, ſed mutatur duntaxat: nam ſine
dubio licet mens eorum, ſub iſta tempora
nihil Sanctum verſabit, verſabit tamen a-
liquid aliud, vel otioſum, & leve, vel ſaltē
non ſpirituale, ac proinde idem erit menti,
in cogitando labor, ſed nequaquam idem
reſpondebit labori fructus.

Quod autem dixi Tironibus ſervandum
eſſe in uſu bono temporum parvorum otio-
sè penè tranſvolantium: idem velim cen-
ſeant à me ſibi proponi, ſuaderiq; in uſu a-
liorum temporum, quæ non quidem ita va-
cua ſunt, ut iſta de quibus modo dixi, ſunt
tamen occupata & deſtinata operibus poti-
ùs exterioribus quàm interioribus, quapro-
pter in eis fere homo ſolo corpore, corpo-
reiſquè potentiis ac membris occupatur,
mens porrò interea ſine fructu eſt: hoc ne
fiat, danda eſt opera, ut inter exteriora iſta,
nec mentis attentionem ex ſe poſcentia o-
pera, mente & corde exerceantur citra fa-
tigationem capitis actus aliqui ſancti, ora-
A tiones ejaculatoriæ, cogitationes de rebus
cœleſtibus, de myſterijs, exemplis, dictis
Chriſti Domini aut Sanctorum. Sic enim
fiet, ut illa opera exteriora, tum ex ſe pro-
pter obedientiam, charitatem, intentionē,
aliaq; accidentia placeant Deo, tum in-
ſuper propter mentis devotam exercitatio-
nem gratiora reddantur, cumuloq; novo-
rum meritorum comitata, ad Deum defe-
B rantur: efficianturq; ferè magis interna ac
ſpiritualia, quàm corporalia & externa
gradiente ſcilicet per ea ſpirituali & ſubli-
mi operatione divinæq; gratiæ efficacitate.

EXERCITIA
UNDECIMI MENSIS.


N Menſe Undecimo Ti-
rocinij ſui Religioſus.

Primò vacabit.

Exercitio amoris & ſuſti-
nentiæ Delationum ſui ad Superiorem, pœ-
nitentiarumq; ſibi pro defectibus injuncta-
rum. Peculiariter eam rem S. Pater Igna-
tius Fundator voluit omnium Sociorum a-
nimis eſſe, tum commendatam, tum infi-
xam. Ea propter ab ipſo ſtatim ingreſſu
Religionis hujus in Primâ probatione vo-
luit S. Pater Tironem expreſsè hac de re
præmoneri, edoceri, interrogari. *An con-
tentus ſit futurus, ut omnes errores ac defectus
ipſius, & res quæcunq;, quæ notatæ in eo & ob-
ſervatæ fuerint, Superioribus per quemvis, qui
extra confeſſionem eas acceperit, manifeſten-
tur. Num etiam boni conſulturus ſit.* (quod
& ipſe & quivis alius facere debet) *ab aliis
corrigi, & ad aliorum correctionem iuvare. Ac
num manifeſtare ſeſe invicem ſint parati, debi-
to cum amore & charitate, ad maiorem Spiritûs
profectum. Præſertim ubi à Superiore, qui illo-
rum curam gerit, fuerit ita præſcriptum, aut
interrogatū ad maiorem Dei gloriam.* (Exam:
c. 4. n 8.) Et rurſum eodem ipſo Examinis
capite ſic habet S. Pater. *Ad maiorem firmi-
tatem omnium* (quæ ſic narrata, & Tironi
propoſita ſunt in examine) *& ad maiorem
C ſpiritualem profectum eius qui examinatur, in-
terrogetur, an omnino obedientem ſe exhibere
in omnibus, (quæ hic dicta & declarata in Exa-
mine,) velit, ſubeundo & implendo quaſvis pœni-
tentias, quæ propter defectus & negligentiam
ſuam, vel quidvis aliud, fuerint iniunctæ. Pæni-
tentias verò (additur in Summario Conſtit.
(Reg. 37.) huiuſmodi promptâ voluntate quiſq;
admittere debet, cum vero emendationis propo-
ſito, & profectûs ſpiritualis deſiderio, etiamſi
D propter defectum inculpabilem iniungerentur*
prætereo hoc loco id quod idem S. Pater, o-
mnibus præcipit, *ut ſingulis annis omnes ali-
quoties à Superiore ſibi pœnitentias iniungi, pro-
pter defectum obſervationis regularum petant,
ut hæc cura indicium ſit illius, quam de ſuo pro-
fectu Spirituali in viâ Dei quiſq; habet.*

Hoc addo, quod in congregatione Ge-
nerali Societatis, 5ta. decreto 58. decretum,
decla-

declaratumq; sit substātialia Instituti Societatis esse hæc duo, 1. Contentum esse debere, quemq; ut omnia quæ in eo notata fuerint, per quemvis, (qui extra confessioné ea acceperit) Superioribus manifestētur. 2. Paratos esse omnes debere, ut se se invicem manifestent debito cum amore, & charitate.

Ex quibus omnibus, tum constat, quanti momenti, quové loco sit præsens materia in Societate nostra, tum quàm seriò diligenterq; oporteat nos omnes in hoc genere Exercitij versatos atq; perfectos esse, tum quàm necesse sit Tirones ab initio sui ingressus huic Exercitio insuescere. Tria porrò capita hoc exercitium complectitur, ut ex prædictis manifestum est.

1. Caput est, ut quilibet nostrum, qui in Societate vivimus, atq; serio proficere studemus in Spiritu: contenti simus deferri nostros omnes defectus, errores, aliasq; omnes res extra cofessionem Sacramentalem cognitas, Superioribus manifestari à quocunque.

2. Caput est, ut ipsi vicissim parati simus aliorum defectus Superiori manifestare: cum ita vel Superior censuerit, vel charitas Communitatis, aut fraterna requisiverit, vel aliqua alia necessitas rationabilis suaserit: excluso odio, vindicta, aliove inordinato affectu.

3. Caput est, ut pœnas seu pænitentias, pro defectibus nostris, nobis injunctas, (esto illi defectus sint inculpabiles ac valde minuti, & excusabiles) simpliciter & modestè adimpleamus. In his tribus Capitibus exercebit se Tiro Societatis: & primū quidem, ac secundum tanquam substantiale instituti æstimabit: tertium verò tāquam summè necessarium suæ paci & quieti.

Non est quidem propositi præsentis, de hisce capitibus disputare: attamen, ut tanto alacriùs in horum capitum exercitio procedatur: eorum necessitas rationabilitasq; vel brevissimè declaranda est. Omni culpæ semper it comes, tanquam pedissequa pæna, ideo in omni communitate etiam pessimè coalita, est tamen aliqua delictorum castigatio: quæ necesse est, ut fiat per Magistratum: hic verò opus est, ut delicta noverit, discernat, pœnas assignet & exigat. Nosse delicta, Magistratus omnia nō potest, quoniā ubiq; præsens non est, ideo cognosci aliorum relatione ea oportet. Inde elucescit delationis ad Superiores necessitas pœnitentiarumq;. Cum verò nemo sit à culpa immunis in hac vita, nemo etiam à pæna, à correctione nemo, à delatione consequenter ad Magistratum nemo. Peculiariter Religiosi cætus, sunt emendandorum delictorum defectuumq; & pænitentiæ locus, non tantum pro præsentibus erratis, sed etiam pro præteritis, in sæculo commissis, pro quibus ut satisfiat Deo, status Religiosus, tanquam status locusq; pœnitentiæ agendæ initur.

A Ad hæc in Religiosis cætibus, nullum est delictum gravius, quam incorrigibilitas, ob hoc enim unum, tandem ad extrema remedia venitur in cætibus Religiosis: quando quis talis reperitur, qui peccare quidem soleat puniri autem nolit, vel punitus non resipiscat. Vigor & disciplina omnis Religionis, & domus Religiosæ non est in eo sita, ut defectus nulli in ea inveniatur: hoc enim inter hujus vitæ mortales optari potest, sperari non potest, sed in hoc quòd nulli defectus, quicunque, & in quocunq; reperiantur, impuniti transmittantur: sed qua monitione, qua pœna corrigantur.

B Ita sumus omnes, ut plurimum constituti, ut defectus nostros, vel non agnoscamus, vel leves putemus, vel dissimulemus: unde non corrigimus eosdem, atq; ita in eis ætatem trahimus, cum nostro & communi damno, cui nulla ratione commodiùs occurri potest, quàm si nostri defectus ab aliis ad Superiores referantur, qui eos pro natura eorum discernant, ac remedium correptionis adhibentes, nos sanent, scandalum tollant: & disciplinam conservent, inq;

C Spiritu & Dei servitio ac perfectionis via promoveant. Ex quo sequitur plus utilitatis redundare in ipsum peccantem, quando ejus peccatum ab alio noscitur, corrigiturq; quàm si ipse illud norit aut corrigat: Efficaciùs enim hoc peragitur, & in bonum commune meliùs.

Ex quibus omnibus colligitur manifestè quàm utile, quàm rationabile, quàm necessarium sit & deferri, & deferre defectus ad Superiorum notitiam, & ab ijsdem corrigi:

D Sine hoc enim nulla esset communitas, sed belluina vita: & pejor quàm prædonū aut dæmonum congregatio: quoniam & inter hos est pæna peccantibus constituta. Quare vix potest inveniri nomen, quod exprimat malitiam hominis, peccantis quidē, de peccato autem deferri, moneri, puniri, non sustinentis. Hic enim revera pejor ipso dæmone: quia etsi illi sit par in incorrigibilitate, in eo tamen est nequior, quia

puniri non vult, cum temen constet dæmones inferiores, à suis majoribus puniri & castigari; Viderit ergo quis sit, ille qui pro dilectis suis, nec moneri, nec puniri vult, qui odit delationem sui ad majores: qui infensus est delatori &c.

Colligitur etiam ex supradictis, quàm justè prudenter, & candide procedat Societas cum suis filiis, quos ab ipso Tirocinio in hoc informat, ut & deferri suos, & deferre alienos defectus, & puniri pro omnibus erratis suis parati sint. Hac enim via, & suæ integritati, & suorum omnium saluti, profectuiq; providet Societas. Quocirca Tirones debent intelligere, se una cum ingressu suo ad societatem, cedere juri suo, quoad hoc punctum delationis, dareq; omnibus omnino jus deferendi suos quoscũquè defectus & errores ad Superiorem suum, modò ij extra confessionem Sacramẽtalem, aut extra suam propriam consilii remedij vè causa, sub naturali secreto revelationem factam cogniti fuerint, adeoq; molestè ferre nec debent nec possunt, si deferãtur ad Superiorem in aliquo defectu, sed meminisse juris à se dati, & cessionis factæ.

Simili modo debent ijdem Tirones intelligere, debere se Superioribus, sive id requirentibus, sive non requirentibus denunciare defectum alienum: neq; posse se frivolis rationibus tueri, si hanc delationem negligãt facere. Sic enim fiunt, & prævaricatores suæ promissionis initio Tirocinij factæ, & Regulæ de hac re præscriptæ, & complices fiunt alienorum peccatorum: & quantum in ipsis est nolunt fratrem suum ab errore & peccato sanari, cui remedium non curãt adhiberi, imò etiam curant (per silentium suum) non adhiberi, sunt etiam perfidi in Religionis bonum commune, bonumquè nomẽ, & proditores, prostitutoresq; ipsius: Unde etiam meritò hujusmodi tacentes graviùs puniuntur, quàm ipsi qui noxæ alicujus per illos cælatæ rei fuerunt: quoniam sæpè fit, ut illorum silentio reddatur malum insanabile, quod facillimè paternâ Superiorum curâ, salvo & sanato delinquente sanari potuisset, si isti malitiosè tacentes discreti & secreti, nequiter non fuissent.

In Ordine S. Benedicti decretum est hujusmodi. *Si quis in quacunq; parte viderit illicitũ quid operari, & distulerit Priori publicare, cognoscat se esse nutritorem peccati, & per omnia æqualem peccanti, quia & animæ suæ, & illius quem tegit est durissimus inimicus.* In Ordine etiam S. Francisci, opinionem hanc de non denunciandis aliorum delictis apud superiores: decretum est tum à S. Bonaventurâ, tum ab aliis Magistris Generalibus Ordinis, *perniciosum esse, & in destructionem ordinis, & Regularis disciplinæ excogitatum, cum Prælatos nosse oporteat subditorum excessus, non solùm ut puniant, sed etiam ut opportunè præcavere possint.*

A Maneat ergo fixum & ratum in omnium Religiosorum cordibus, præparatio hæc. 1. ad modestè sufferendum cum sui defectus superiori manifestantur. 2. ad modestè item & submisse subeundas pænitentias, cum ab ijsdem injunguntur. 3. ad deferendos alienos defectus Superioribus, cum cognoscuntur, & in prioribus quidem, ut dixi, modestia cum humilitate servanda est: in tertio autem charitas, tam in fratrẽ, quàm in commune bonum, deinde candor ac veritas adhibenda est, ut non ex odio &

B rancore fiat delatio, & nihil per exaggerationem exasperetur in denuntiatione: sed quemadmodũ quis suum defectũ denunciari cuperet, sic vicissim alienum & ipse, cum commiseratione & moderatione denunciet, neq; unquam ad denunciandum, nisi præmissa ad Deum oratione, affectusq; & intentionis purificatione accedat. Sic enim fiet ut denuntiatio sua juxta mentem Regulæ fiat.

Quod verò ad perferendas delationes sustinendasq; penitentias attinet: sequentia

C commodè observari poterunt, qui in hoc Exercitio proficere cupiet.

Primũm ita vivere curet quisq; ut quod de eo deferri possit ad Superiorem, non sit; quod ut plurimum fiet, si quis silentij & cubiculi sui egregius custos fuerit, & occupationi suæ intentus immersusq;, se se alienis rebus, & conversationibus ad se non pertinentibus non immiscuerit.

2. Universaliter suos defectus omnes, & ipse deferat & deferri cupiat, non gravatè feret se deferri is, qui non gravatè se ipsum

D solet deferre.

3. Bonum est, ut opportunis temporibus se quisq; obarmet, ad sustinendum patienter, hilariterq; delationem aut pænitentiã, ad eamq; se prævidente & conjecturante animo præparet: ita ut dicat secum ipse. *Nihil quidem mihi consciùs sum, sed non in hoc iustificatus sum: etenim qui me iudicat, Dominus est.*

4. Nun-

4. Nunquam se putare innocenter delatum aut punitum: sed etsi quis vere se in hoc uno innocentem sciat: meminerit multorum aliorum se se reum esse ac fuisse ob quæ delatus, punitusq; non fuit: ergo hac immeritá pœná eluat, tot illas meritas.

5. Nunquam esse, nunquam velle esse, nunquam putare esse se extra disciplinam, extra correctionem ac pænitentiam, recordetur illius Apostolici dicti. *Quodsi extra disciplinam estis: ergo non filii: sed adulteri, quis enim filius quem non corripit Pater?* quare quãtoquisq; jn Religione Major est, tantò magis debet esse disciplinatus & disciplinæ subiectus, & pænarum tolerandarum modestè tolerans.

6. Non putare infamiam esse, quòd delatus, quodve etiam punitus sis. Nam & cessisse te meminisse debes juri famæ quoad hoc, & delatio ad patrem fit: & esto sequatur pæna, remediabilis est: & major ignominia infamiaq; pænitentiam pati noluisse, aut non potuisse, aut de ea querulum murmuratoremq; fuisse, quam punitum fuisse.

7. Cognita delatione vel punitione sui facta: pro ea Deo gratias agere: & non parare linguam excusationi aut pernegationi, aut altercationi, aut alicui perturbato, affectuosoq; sermòni, sed, si res ordinaria sit, etiamsi non vera quæ objicitur: non admodum negetur factum, sed dicatur fieri potuisse, ut à se commissa sit. Si verò gravior sit: peti potest, ut reddere rationem liceat, reddaturq; modestè, & totum judicio Superioris permittatur, Deiq; voluntati acquiescatur &c.

8. Impleatur pænitentia qualibet: juxta mentem imponentis, & morem Religionis. Eaq; impleta, addatur etiam aliquid ex superabundanti, tum in cumulum expiationis, tum in gratiarum actionem Deo, qui te hic corrigi vult, nec alteri vitæ reservat: tum pro Superiore, tum pro patientiæ autore seu delatore.

9. Non loqui, non conqueri, ulli de pænitentia data cum ullo: multoq; minus expostulabitur cum Prælato, sed quietus, sedatusq; animus conservabitur, & ac si nihil tale intervenisset amæno corde sermo quispiam bonus, utilisq; à pænitentia dispar inchoabitur. Si quis sociorum sermonem de pænitentia incipiat, qui amaritudinem sapiat abrumpatur.

10. De delatore neq; sermo, neq; conjectura, neq; tale quidpiam ullo modo fiet: imò etiamsi sciatur, tanquam usus suo jure, & functus boni Religiosi officio commendetur, & in corde ametur, & aliqua ratione Deo commendetur, beneficentiaquè devinciatur. Aliis non propaletur, neq; ut fugiendus in odium, invidiamvè apud alios vocetur.

His similibusq; artibus, & Exercitiis huic præsenti Exercitio fiet satis, & magnum humilitati, modestiæ, patientiæ, charitati fraternæ, communi disciplinæ, Spirituali profectui, Superiorum in gubernatione facilitati incrementum accedet; alias, si oppositum fuerit; infinita mala in communitatẽ invehentur, peccatorumq; , præsertim linguæ, charitati & paci, & disciplinæ, & superiorum reverentiæ inimicantium, perpetuam messem habebit, is qui est omnis pacis osor, omnis perturbationis autor Diabolus.

A

Secundò vacabit. Exercitio Vitæ solitariæ abstractæ, & recollectæ. Non est mihi sermo de eo, ut Tiro faciat annuas aut semestres recollectiones quales in Societate fieri consueverunt: neq; de menstruis aut Hebdomadariis, quales etiã non pauci ex sua de Spirituali profectu solitudine peragere aliquanto tempore (puta unius, aut saltem mediæ diei) assolent:) verum loquor de assidua quadam sollicitudine vivẽdiq; abstractâ ratione: quàm à Religioso potissimum Tirone servari semper, neq; se ab eâ unquam extrahi sinere convenit, Hæc de quâ loquor solitudo, principaliter in eo consistit: ut Religiosus, cor & mentẽ suam abstrahat & eliberet, quàm maximè potest à solitudine & curis, ab occupationibus actionibusq; à colloquiis & conversationibus, à delectationibus, & cogitationibus exterioribus & creatis, & cum creaturis: omnes verò affectiones, desideria intẽtiones, curasq, suas, semper directas & collectas teneat penes Deum, ac in Deum, ac propter Deum: nunquam se elongans, nunquam abstrahi sinens à Deo aliis consolationibus, conversationibusq; creatis, quæ non sint propter Deum.

B

C

D

Ex hac solitudinis explicatione non excluditur necessaria à charitate ab obedientia, à vocatione præscripta conversatio & occupatio cum creaturis, & circa creaturas: quia talis conversatio est à Deo, & propter Deum, & ex Deo: ac proinde per eam non tantum non receditur à Deo, sed potiùs inhæretur Deo, quæritur Deus, &

crea-

creatura reducitur ad Deum. Quod addo propter sapientulos quosdam, qui dum audiunt commendari solitudinem, vel vident aliquem inhærere vitæ recollectæ: illicò carpere & sugillare non verentur ejusmodi, dicentes id esse ab Instituto Societatis IESU alienum, quæ scilicet tota sit ad homines, ad zelum animarum. Ex quo putant inferri, Societatis homines, & ita institutos, & tales esse debere, ut omne solitudinis ac recollectionis genus fugiant, ut perpetuò sint effusi in conversationes, confabulationesq; immersi negotiis, toti extra. &c. Ejusq; modi vitæ insuescendum esse Societatis filijs etiam à juventute.

At enim hujusmodi sapientuli in multis falluntur. Neq; norunt discernere, inter zelum animarum purum, & inter conversationes cum creaturis, propter oblectamenta propria assumptas: contra quas hic sermo est. Zelus Divinæ gloriæ, & animarum salutis, non tantùm non excludit, sed potiùs requirit & prærequirit solitudinem: acuitur in solitudine, vires instaurat solitudine. Quàm ideò ipse Christus Dominus non ad necessitatem suam, sed ad instructionem nostram sectatus est, & discipulos suos sectari docuit. Quæ solitudo tantùm abest, ut impediat aut excludat zelum, ut potius sit instructio & schola zelantium, & zelo se se parantium, quod est videre vel maximè in ipsâ Societate, quæ filios suos multis annis erudit & excolit intra privatos parietes, & in solitaria vitâ, cum aliquantulâ interdum degustatione, & experimento, atq; prolusione zeli animarum, ut discant milites Christi in otio, quales olim debebunt esse in multiplici, propter zelandas lucrandasq; animas prælio. Quod non fieret in Societate, si solitudo & abstractio incommodaret vocationi suæ, & animarum zelo.

Quare, hæc de qua loquimur solitudo, debet esse valde commendata omnibus Societatis filiis, sive ijs, qui etiamnum ad eam disponũtur præparanturq; illis quidem ideò, ut quod curando alienæ salutis cõmoda de suis deterunt, hac quotidiana solitudine cordis instaurent: his vero ideò, ut priùs impleantur ipsi, quam effundant in alios, exhibeantq; se conchas, non canales: illæ enim non priùs effundũt, quàm supereffluunt: isti autem tam citò dimittunt, quàm citò recipiunt aquam, quo nihil perniciosiùs zelatoribus animarum, etenim tales, cum alijs prædicaverint, ipsi reprobi efficiuntur. Quod maximè evenit illis, qui non tam in in zelum alieni boni effunduntur, quàm in suæ sensualitatis otiositatisque commoda conquirenda, in varias curas disperguntur, simul ac disperduntur.

Ea propter Tirones Religiosi assuescent, servabuntq; hoc semper, (si boni æmulatores Spiritualis sui profectûs esse volent:) ut corporalem solitudinem ament: ut dum li- A cet, soli aut quasi soli semper sint: extra cubiculum, extra locum suum vix unquam conspiciantur, nisi cogente rationabili causa, puta officij, obedientiæ, communis vitæ, charitatisque. Sicut enim pisci extra aquam, ita Religioso extra suum locum, aut cubiculum morari nocet.

Deinde servabunt hoc: ut nulli sint familiares, cum nullo intricati. Ut quàm paucissima ex his, quæ domi, nihil ex his, quæ foris fiunt, sciant, scireq; velint, scire admittant. Non velint, non curent scire, B quis venerit, quis discesserit, quò ierit, unde venerit, qua causa. Non divinent, neque conjecturas faciant de futuris dispositionibus, eventibus, discessionibus, mutationibus. Non designent, non disponant, non asserant, hoc illud ita fore, ita esse debere, ita futurum esse, idcirco ad id factum ordinatum mutatum esse. Non agant multa: sed minorentur actu, & sibi tantùm, suisq; officijs ac obedientiæ, & communi disciplinæ tantùm intenti sint. Non velint neq; curent noti esse externis, ac ne do- C mesticis quidem, neq, eosdem curent cognitos habere. Decet juvenem Religiosum secum tantum esse: paucos & quidem tantum eos, cum quibus agere necessariò debet nosse. Cubicula aliorum ignorare. Turpissimum & probrosissimum est, quando juvenculus omnes novit, omnium ætates, munia, qualitates, conditiones, gesta, eventus, Religionis annos, talenta in numerato habet, discutit, discernitq; quando omnium novorum, rumorumq; casuum, secretorum, ordinationum, præsentium, fu- D turorum, possibilium, receptaculum, vehiculum, seminarium, spongia, & sentina est: quando ut novitates, rumusculos, dispositiones, ordinationes, arcana cognoscat, senioribus se adjungit, blanditur, arridet, immiscet; quando primus ille, vel inter primos omnia novit, omnia narrat, omia spargit, omnia indagat, omnia discutit, omnia vulgat, quando nihil auditum silere potest, nihil

nihil dissimulare: sed instar pertusi dolij, instar pleni rimarum vasis, totus hac illac perfluit. Hæc probra Religiosorum sunt omnium, & maximè juvenum: & tamen horum fere sunt hi morbi proprij: undè vulgò dici solet Novitius curiosum animal &c.

Est autem his omnibus remedium facilè ac efficax. Attendere sibi, & suis rebus: latere libenter: extra cubiculum non morari, in curritoriis non subsistere, tacere libenter, audita, visa, cognitaq; apud se tenere, ac ne tenere quidem, sed mox oblivisci. Non quærere plausum, ex notitia novitatũ. familiarem sodalem intimum esse nulli. Hæc talis vivendi ratio infinita proscribit mala ab animo Religiosi, & à communitate Religiosorum, infinita verò commoda, producit in ijsdem. Etenim *Pax quæ exsuperat omnem sensum inhabitat & occupat corda & intelligentias*, & voluntates talium. Apud tales perfectio Spiritualis, in omni virtute tanquam in suo loco, lætissimo excrescit proventu. Neque enim sine causa dixit Sapiens: *Qui minoratur actu: hic Sapiens.* Et iterũ: *Fili mi: ne in multis sint actus tui.* neq; temerè antiqui Patres Spirituales dederunt in manum claves perfectionis Orationi, silentio, solitudini, quæ tria sunt inter se, ita colligata: ut abinvicem separari nequeant: Sicut autem ista sine se esse nequeunt: ita secum necessario, ubicunq; sunt perfectionem virtutum introducunt. Deniq; audiant Religiosi dictum religiosè, etsi à minimè Religioso, à Seneca inquam Philosopho. (*Solitudinem quærit, qui vult cum innocentibus vivere.* Sen. lib. de moribus.

Tertiò vacabit. Exercitio Pacis internæ, cum Deo quidem in primis: deinde cum omnibus: quam etsi omnes ambiunt, assequi tamen & servare paucissimi sciunt. Ambiunt quidem, quia est summè bonum, summè jucundum habitare cum Deo, & cum omnibus fratribus, imò creaturis in unum. rarissimi tamẽ sciunt: quia passim omnes in omnibus alijs rebus pacẽ, quam in quibus deberent ponunt. Ponũt pacem in expletione cupiditatum, & voluntatum suarum: cum tamen nemo pacem unquam habuit, qui Deo ejusve voluntati restitit. Pax enim vera est, Pax ad Deum: quam ille habet, qui diligit & facit voluntatem Dei, juxta illud Prophetæ: *Pax multa diligentibus legem tuam.* Pax etiam vera est concordare cum virtutibus & bonis moribus, litigare autem cum vitijs & proprijs cupiditatibus: Hæ sunt quæ omnẽ inquietudinem, & perturbationem in hominibus faciunt, quando unusquisq; requirit quæ sua sunt, non autem quæ aliorum aut quæ Dei. Ideo homines superbi, elati, invidi æmulatores, seipsos amantes, volũtatis & libertatis, & judicij proprij sectatores: neq; ipsi unquam pacem habent, ne-A que alios habere sinunt.

Et quoniam hæc mala inquietudinis semina, pacisq; inimica maximè in vividis ætatibus solent etiam vivere ac regnare, idcirco talibus maximè incumbit pacis, amatores esse, & ea quæ sunt pacis sectari, cupiditatibus suis resistere, passiones frenare, voluntates frangere, non abundare in sensu suo, non inflari adversus quenquã non æmulari, non invidere, facilè cedere, facilè, acquiescere, facilè obedire: facile omnium B potiùs rerum, quàm pacis, unionis, charitatisq; damnũ pati & subire. Hoc utiq; voluit Dominus cum monebat: *ut percutiẽti maxillam unam præbeamus & alteram, ut tollenti pallium, demus & tunicam, trahenti ad unum milliare comites simus. & ad alia duo*, ne scilicet repugnando & obluctando, ad contẽtiones dissidiaq; & pacis damna veniatur. Quod carnalium, immortificatasq; passiones habentium esse proprium, ostendit Apostolus, cum dixit: *Si zelus & contentio sunt adhuc inter vos, nonne carnales estis, & secun-C dum hominem ambulatis?* cum item inter *opera manifesta carnis, contentiones, æmulationes, rixas, dissidia* recensuit, & *homicidiis adulteriisq;* æquavit.

Dabit igitur operam Tiro, ut pacis sit amantissimus: quod quidem efficiet. Si se Deo tractabilem, & voluntati ejus subiectũ semper in omnibus exhibuerit. Si à Deo æqualiter adversa, ac prospera receperit: si peccata omnia & singula, minima ut maxima vitaverit. Si operibus boni o Si D virtutum studiis, si divinis obsequiis totus & semper, & omni conatu, exclusis etiam minimi, Deo tamẽ ingratis imperfectionibus vacaverit. Si proximis omnibus (superioribus, paribus, minoribus) juxta Dei voluntatem, juxta charitatis legem convenerit, nulli se æquaverit, omnibus submiserit, omnes honore prævenerit, omnium onera portaverit, omnia quæ alij in eo portare debeant, à se proscripserit, idem cum omnibus (salva Dei & veritatis lege)

ge) senserit dixerit, fecerit q; . Neminem scandalizaverit: neq; infirmis ullo facto dictove suo (quod facere, ac non facere dicere, ac non dicere perinde licitum sit,) occasionem tristitiæ, ruinæ, periculi, scandalive præbuerit.

Si præterea carnem, sensus, affectus, appetitus suos Spiritui & rationi, hanc verò fidei & virtuti, & Divinæ legi, & IESU Christi crucifixi imitationi subjugaverit. Si omnes actus, sermones, cogitatus suos, ratione, fide, perfectione, æternisq; rationibus, charitatis Dei & proximi legibus fermentaverit & direxerit. Si neglectis alienis, & ad se non pertinentibus, curis studiisq; sibi & Deo, & obedientiæ attenderit: Si nihil singularitatem redolens in vita, & moribus, & opinionibus habuerit: si omnē actionem, omnem locum, omnem hominem, omnem occasionem, ex qua pax aliena turbari, aut sermonibus locus dari possit, vitaverit. Si nunquam quenquam lædere, potiùs autem lædi, & injuriam pati elegerit: si non se vinci à malo permiserit, sed malum in bono vincere studuerit, si aliena mala & mores, quibus obviare non potest cum mansuetudine & compassione toleraverit, si virtutem, quietem, pacemq; suam in Deo & in se ipso, suâq; patientia & perfectione, non autem in aliena potestate collocatam habuerit: Si factus ad alienos mores & ad aliena opera, surdus, cæcus, & mutus, quid illi agant, quid audeant, quid studeant, quid loquantur, quid laudent, quid culpent, quid habeant, quo in statu sint aut esse cupiant, non magis quam surdi, cæci, muti, insensibiles, mortuiq; solent attenderit, curaverit, discusserit. Si animo super omnes creatos, eventus, abstractus, elevatusq; DEo singula & omnia remiserit ac permiserit. Hæc si fecerit, si sectatus fuerit, hic erit *filius pacis: super hunc requiescet pax Dei*, in hoc erit *locus pacis & requietionis Divinæ, ad eumq; Pater cum filio & Spiritu Sancto venient, & mansionem apud eum facient: in eum quasi flumen pax Divina descendet*.

Contra quisquis fecerit; pacem nunquā non dico habere, sed neq; sperare in corde suo poterit: quia fontes inquietudinis, & semina amaritudinis, intra se habebit. Et quantumvis aliquando pacatus esse videbitur, eò quod nihil præter mentem, nihil contra volūtatem acciderit: tamen ubi aliquid etiam minimum, sensui & affectui, ejus repugnans evenerit, vel ut eveniat ab aliquo tentatum cogitatumve etiam leviter fuerit: pax illa omnis subitò evolabit, & omnia erunt plena tristitiâ, dolore amaritudine, inquietudine, odijs, minis, vindictis. alijsq; turbatæ mentis monstrosis fœtibus, Quia nempe pax illa non fuit interna, sed externa, in alienâ virtute ac potestate, non autem in propria virtute, nec in propriarū passionum mortificatione, nec in debitâ, propriæ voluntatis ad Divinam voluntatē subiectione fuerat constituta. Vnde turbatis exterioribus turbari necesse fuit etiam hujus interiora. Sicut sentina immota non fœtet, at si extrinsecus commota sit, protinus gravi odore omnibus onerosa est. Sic iste quiescentibus alijs quietus fuit: cōmotis alijs turbatus est, pacemq; ut non suam ita alieno ex arbitrio perdidit. At talem esse: aliud nihil, quàm prima virtutis & patientiæ, multoq; magis perfectionis & perfectæ internæ pacis ignorare.

Quartò vacabit. Exercitio Abrenunciationis & exspoliationis sui ab omnibus creaturis. Est hoc monitum: imò hoc est requisitum ab ipso Christo ad discipulum suum, perfectamq; sui imitationem *Nisi quis* (ait ille *abrenunciaverit omnibus, quæ possidet*, (affectu vel effectu, re vel spe) *non potest esse meus discipulus*. Estq; hæc abrenūciatio, sumptus necessarius omninò ad Evangelicæ perfectionis turrim ex toto ædificandam atq; complendam, sine quo sumptu qui ædificandi consilium suscipit, is teste judiceq; Christo Domino *sumptus non cōputavit*: ac proinde quantum libet posuerit fundamentum, perficere tamen non poterit, sed ridiculus omnibus erit, qui de eo dicēt: *quia hic homo cœpit ædificare & non potuit consūmare*. Quo ex Dominico sensu facilè est colligere quanti momenti sit hæc abrenunciatio in studio religiosæ præsertim perfectionis: quamobrem absq; hoc Exercitio Tirocinium Religiosæ vitæ, nequaquam decurrendum erit, sed omnino perfectissimæ absolutæq; Abrenunciationis sumptus ad hoc studium adferendus est, ut totius vitæ sequuturæ molem exædificare, complere, omnibusq; partibus absolvere possit. Alioqui frustra ad perfectam IESV Christi imitationem connititur: si hunc conatum à labore abrenunciationis non aggreditur. Quamobrem Tironi Religioso in abrenunciationis labore primum erit seriò constan-

terq;

terq; desudandum, atq; in eo his veluti passibus magna cum diligentia, sinceritateque procedendum.

Primo abrenuntiabit omnibus peccatis atq; vitiis tam magnis quàm parvis, non faciens ullum, (quo ad fugam detestationẽquè) discrimen inter magna & parva peccata, sed omnia reputans magna ex eo, quod sint coram Deo displicita, & ad innocẽtissimam IESU Christi vitam imitandam impedimẽta. Avertet ergo ab ijs omnibus totum cor suum, neq; ullum in corde, in affectu, in consuetudine in cogitatione peccatum residere ullatenus patietur.

Secundò abrenuntiabit omnibus omnino creaturis, in quantum creaturæ sunt, de nulla earum quoad hæc vita patitur cogitans, de nulla sollicitus, nullius cupidus, nullius amans: esto sint illæ maximè homini conjunctæ, necessariæ, gratæ, utiles: esto sint amici, familiares, sodales? esto sint honores, magistratus, tituli, dignitates, magni nominis existimationes, esto sit sauitas, valetudo, vita propria, esto sint omnia his adjuncta, hisq; conservandis ac tutandis necessaria. Exuet se affectu ad hæc omnia eumq; in ipsarum creatorem transferet: dicens cum Davide: *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*, paratus imò & cupidus sic exspoliatus, sic affectu & effectu nudatus, & hic vivere, & in futuro sæculo Tribunali Christi apparere.

Tertiò abrenuntiabit plenè omnibus usibus, commoditatibus, solatijsq; creatis, non tantùm prohibitis & illicitis, sed etiã licitis & concessis: cupiens & optans quantum ex se absq; illis & absq; experimento, usuq; illorum esse, quod quoniam mortalis hujus vitæ fragilitas non fert, neque actu compleri sinit: nihilominus omne solatium omnemq; creaturæ usum sine quo esse non poterit, admittet non ex suâ inclinatione, neq; tanquam solatium vitæ suæ, sed tanquã voluntatis Divinæ exequendæ materiam, tanquam Dei glorificandi eiq; obtemperandi occasionem.

Quartò abrenuntiabit ipsi sibi, suæq; creatæ substantiæ omni naturæ, personæ, animæ, corpori, potentijs, facultatibus, passionibus, actionibus, desideriis, inclinationibus, capacitatibus omnibus. Ita ut vivat, non sibi, imò vivat, non quasi ipse, sed Deo & quasi in ipso Christus. Vivat, nunquã & nusquam se, suumuè bonum privatum, proprium creatum quærens: vivat nullam curam rationemuè sui propter se habens, sed semper Deum & bonum Dei, (quod est amor & honor & beneplacitum ejus) quærens ac intuens. Vivat non suum uspiam bonum attendens, sed in omnibus, etiam in suis bonis & solatiis, hoc præcipuè quod communi bono, quod aliorum sensui, quod Christo IESU patienti & afflicto similius, vicinius, accommodatius, quantum verò ad se ipsum, id quod propriæ voluntati & voluptati & honori ingratius ac inimicius eligens, amplectens, & tenens.

Quintò abrenuntiabit adhuc sibi suoq; esse ac suæ entitati: eam omnem, quantum in se est, in nihilum redigendo, seu annihilando, & tanquam nihilum, (sicut verè nihilum & nihili est) reputando æstimandoq;. Ex semet namq; ipso, homo revera nihil est, nihil habet, nihil potest, nihil valet, nisi solum purumq; nihil & peccatum. Hæc enim duo sunt, proprietas & possessio, & divitiæ, & substantia, & pretium hominis. Extra quæ duo, si quid est in homine, non est ex homine, neq; est hominis, sed Dei, & ex Deo, donumq; Divinum gratuitò & liberaliter concessum. Huic ergo quod ex Deo est, & quod à Deo habet, renunciabit, illudq; Deo, tanquam Domino, & fonti refundet & restituet: suum autem nihilum cum omnibus ejus proprietatibus ac dotibus, (peccato, cæcitate, malitia, infirmitate, & his similibus) sibi reservabit, & in eo tanquam in nidulo suo, tanquam in patrimonio suo, tanquam in natali solo, tanquam in nativis plumulis suis, conquiescet.

Sextò abrenuntiabit omnibus beneficiis, gratiis donisq; Dei, tam naturalibus quàm supernaturalibus, datis & dandis, in præsenti & futuro, in tempore & æternitate: non ita quasi absq; iis esse possit, aut quasi ijs carere velit: sed ita quia illis per omnia indignus, impar, ingratus est. Fateatur se omnibus creaturis coram Deo & inferiorẽ, & miseriorem, & malitiosiorem, & detestabiliorem: fateatur, nullam creaturam esse magis indignam, magisq; simul ingratam bonis Divinis, quàm ipse sit. Fateatur nullam creaturam pejus, indigniusq; Deo servire, Deiq; voluntati subjacere, Dei honorem promovere, quàm se. Fateatur se omnino scelerum, quæ & actu commisit, & quæ non commisit, sed committere, nisi

Deus præseruasset) quantum ex se aptus paratusq; fuit, & quæ ab alijs committuntur reum esse coram Deo Fateatur se omniũ scelerum & cladium humani generis esse causam: ut qui peccatis suis Deum ad iram provocet totiq; mundo infensum reddat, ut qui gratiis Divinis nullatenus respondeat, quas si Deus alijs omnibus daret, omnes illi melius illis uterentur, Deoq; obsequerentur, ut qui deniq; nec pœnitentiam pro suis alienisq; peccatis condignam agat, nec misericordiam Dei flectere, iramve avertere, prout tenetur contendat: ut proinde merito sibi omnia mala, omnes mundi calamitates imputare debeat, meritò totius humani generis omnis creaturæ, totiusq; mundi odium, & nausea, & execratio esse, censeriq; debeat, meritò omnes tam hujus vitæ calamitates, quàm futuri sæculi infernales pænas, pro omnibus & præ omnibus sustinere, meritò nullam Dei, nullam ullius creaturæ, commiserationem experiri, sed purũ rigorem justitiæ Divinæ, tam in hac, quam in illa vita perpeti mereatur.

Septimò abrenuntiabit omni juri accessuiq; ac potestati suæ ad bonum, & successum, prosperitatemque: sed propter pleniorem sui abjectionem, abnegationem, annihilationem, persecutionem, atq; secundùm æquitatis sibi debitæ condignæ tractationem accipiet pro se contemptum potius quàm honorem, odium potius, quàm amorem, neglectum potiùs sui, quàm curam, contumeliam potius, quàm venerationem, reprehensionem potius, quam laudationem, contradictionem potius, quàm assensum, egestatem potiùs quàm sufficientiam, accusationem, quam excusationem, afflictionem potiùs, quam solatium insultationem potiùs, quàm commiserationem, probrum potiùs, quàm decus, dolorem potiùs, quàm voluptatem, laborem potiùs, quàm quietem, ingratitudinem potiùs, quàm gratiarum actionem, oppressionem potiùs quam sublevationem, adversa potiùs quàm prosperia, contraria potiùs omnia voluntati, quam servientia votis & voluntati, servitutem potiùs quam libertatem, infirmitatem potiùs, quàm sanitatem, mortem potiùs, quàm vitam, idq; etiamsi par utrinq; Dei gloriæ, par meritum gratiæ atque gloriæ, par Dei voluntas & placitum foret: tantum quia hoc quod est, amariùs est, & IESU Christi Crucifixi imitatationi propiùs, & propriæ vilitati, malitiæq; & indignitati dignè tractandæ accommodatiùs & perfectè abrenuntiationi, amorisq; ac voluntatis & voluptatis propriæ abnegationi, & summet exspoliationi congruentiùs.

Hanc abrenuntiationem Tiro sectetur in suo Tirocinio, ad eamq; omnibus viribus & ut ajunt manibus pedibusq; velis remisque ascendere connitatur. Ne verò putet, plus à se requiri per me quàm Tironum gra-
A dus ferre videatur; recolat mecum quod in ipso sui ingressus ad Societatem initio in examine generali sibi propositum legit, quodq; in summarij Regula habet: *Vnusquisq; eorum, qui Societatem ingrediuntur, consilium illud Christi Domini sequendo: Qui dimiserit Patrem, Matrem, Fratres, & sorores &c. existimet sibi Patrem, Matrem, & quidquid in mundo habebat, relinquendum. Imò sibi dictũ existimet verbum illud: Qui non odit Patrem & Matrem, insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et ita curandum ei est, ut*
B *omnem carnis affectum erga sanguine iunctos exuat, ac illum in spiritualem convertat, eosq; diligat eo solùm amore quem ordinata charitas exigit: Vt qui mundo ac proprio amori mortuus Christo Domino soli vivit, eumq; locò parentum, fratrum, & rerum omnium habet.* Hæc Sanctissimi Fundatoris verba, aliud nihil sonant, quam ea omnia, quæ de hoc abrenuntiationis exercitio à me fusiùs proposita in compendium redacta. Ad quod compendium etiam revocari possunt verba illa ejusdem Sancti Patriarchæ, quæ humilita-
C tis tertium modum explicans habet. *Etiam si laus Dei par foret, ad maiorem tamè imitationem Christi, eligam potiùs cum eo paupere, spreto & illuso, pauperiem, contemptum, & insipientiæ titulum amplecti, quàm opes, honores & sapientiæ æstimationem.*

Quintò vacabit. Exercitio Unionis & Conformitatis cum Dei voluntate ejusdemq; amoris. Omnes præceptiones Magistrorum perfectionis, omnia Divina,
D humanaq; (justa) præcepta & monita, omnes nostri in vita sanctiore sectanda, inq; vita æterna consequenda conatus in hoc unum colliment ut Divina voluntas sicut in cælo & in terra fiat & adimpleatur, Huc si non itur, si non pervenitur: frustra labor omnis susceptus est, imò verò labor omnis peccatum est. Huc si perventum est, satis est: nec virtus altiùs ire, nec Deus ampliùs à cre-

à creatura requirere potest. Quid enim amplius velit Deus præter suam voluntatē? aut quò altiùs ascendat virtus quàm ad Dei placitum?

Est hoc igitur Exercitium Exercitiorum, est, inquam, initium, medium, finis, summa, compendium, vertex, complexio Exercitiorum omnium. A quo incipiendum Tironibus, in quo decurrendum consummatis, in quo consenescendum singulis & omnibus tam hic perfectis, quàm in cœlo Beatis. Quid quæso discet, quid docebitur Tiro, si non agnoscere, amare, facere, pati, induere, imbibere Dei voluntatem? quo cōtendet proficiens, nisi ad Dei voluntatem? ubi quiescet perfectus, nisi in Dei voluntate? quo beatus efficietur beatus, nisi Dei voluntate? Primum omnium quod in Deo amari potest, quodq; solum debet, quodquè unum Deus vult, est Dei voluntas. Ama in Deo imò & habe ex Deo quidquid vis: si id voluntas Dei non est, si præter Dei voluntatem est, frustra est, pernicies est, damnatio est. Ama unam solam voluntatem ejus: hoc ad omnia satis est.

Compendiū omnis Iustitiæ, omnis officij humani, omnis sanctitatis, omnis virtutis, omnis legis, omnis consilij, omnis perfectionis, omnis præmij, omnis beatitudinis, velle quod vult Deus, quia vult Deus. Non hoc frustra appono, *(Quia vult Deus,)* nam plurimi sunt, qui volunt hoc quod etiam vult Deus, sed quia non ideo volunt quia vult Deus, vel, quia sciunt Deum velle: verum quia volunt suæ propriæ voluntati, & non Divinæ obsequi; non verè volunt quod vult Deus. Volebant enim Iudæi Christum occidi, poscebant ad mortem & Crucem, quod etiam volebat Deus, & optabat Christus, sed quia non ideò volebant, quia volebat Deus, aut Christus, nequaquam volebant quod volebat Deus. Amare ergo & velle non rem hanc, quam Deus vult, sed quia Deus vult, seu voluntatē, qua Deus vult, hoc propriè est velle, quod vult Deus, hoc est conformem habere voluntatem suam cum voluntate Dei, hoc est resignatum esse in voluntatem Dei. Propterea Dominus IESUS cum nos doceret orare: non præcepit dici à nobis, Fiat quod tu vis: sed *Fiat voluntas tua:* ut doceret voluntatem Dei esse amandam & faciendam. Nam quod vult Deus, multi, imò omnes faciunt: sed quia non propter amorem voluntatis Dei, sed potiùs propter amorem volūtatis suæ propriæ faciunt: ideò non faciunt voluntatem Dei, sed potiùs contra voluntatem Dei. Voluntas ergo Dei amanda est, ante omnia, & propter amorem ejus amanda volendaq; reliqua omnia.

Et hic est unus ac solus Deum honorandi supremus modus, sine quo nullus alius

A Deo placet, nobisvè prodest Deum honorādi modus: toto corde amplecti voluntatem Dei: in ejusq; beneplacito se totaliter deponere & inconcussè requiescere, in omni circumstantia & occasione, in quacunq; demum se Dei voluntas ostentet specie, colore ac ueste, & conditione eam, fideliter agnoscere, reverenter amplecti, tota substantiæ fortitudine exequi, tota plenitudine virium diligere & exaltare, semperq; ingeminare: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Non mea voluntas, sed tua fiat Domine. Ita Pater, fi-*

B *at, quoniam sic placitum est ante te.*

Propono irrefragabile, omniq; majus exceptione tum argumentum, tum exemplū: Christi nimirum Domini nostri, qui cum sit Sapientia increata & æterna, novit utiq; omnes delicias, divitias, medullasq; Divinitatis, *dedit etiam ei Pater omnia in manus: omnes Thesauros Sapientiæ & scientiæ*, aliorumq; bonorum Dei, in se depositos habet: hic tamen Christus, ex omnibus deliciis Divinis ad se sustentādum, nutriendum, saginandumq;, nihil accommodatius repe-

C rit hactenus, reperietve in æternitates omnes: quàm hunc unum: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris.* Obsecro, Mortales: obsecro Spiritualis vitæ sectatores: quô consilio in consulto, quàm amente mente, quæritis alios cibos, sive in Deo, sive in creaturis, hôc uno Divinæ volūtatis Cibô, qui solus Sapientiæ æternæ sapit, neglectô? Sed ad Tirones sermo meus sit. Voluntatem Dei amare & pati, facere & indagare, discant, ea saginari, nutririq; gaudeat. Hæc sit eorum lac, dum parvuli sunt, hæc sit eo-

D rum solidior cibus, dum proficient in Christo, & dum pervenient *ad mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Hæc enim est mensa lactescens lactentibus, hæc est panis juvenescentibus, hæc est substantia robustorū, hæc est beatitudo consummatorum.

Itaq; hoc sit eis persuasissimum, nulli se exercitio priùs, nulli continuatiùs, nulli finalius vacare debere, quàm huic conformitati cum Divina voluntate. In hoc omnē

dent collocentq; operam, hunc ex omnibus suis, aliis exercitiis colligant ultimariè fructum ut sint melius, plenius, totalius conjuncti, subditi, conformes, inhærentesq; Divinæ voluntati. Si quo exercitio Spirituali ad hanc conjunctionem se non sentiunt, non vident duci, certi sint, non esse Spiritûs sed carnis & superbiæ exercitium. Quêadmodum vident experiunturq; farinam à fermento, mel à dulcedine, spongiam ab aqua penetrari: ita ipsi curent satagantque à Dei voluntate possideri. Ferrum ab igne ita ignescit, ut penè magis sit ignis quàm ferrum. Aquæ gutta multo vino infusa absorbetur transitq; tota in vinum: Aer iste luce solis, sic penetratur ut non aer sed lux ipsa esse videatur. hac prorsus ratione servi Dei, totos se dare, subdere permittere Dei voluntati debent, ut ab ea ita possideantur, ita penetrentur, ita transformentur, ut penè voluntas eorum creata transisse videri possit in Divinam, absorptaq; in eam: & unum idemq; facta cum ipsa, adeo ut idem velint, nolintq; quod Deus; ideò quia vult vel non vult Deus, adeo ut sic transeat voluntas creata in increatam, ut nec illa possit (ob plenam conformitatem, non ob sublatam libertatem) aliud velle, quàm quod Deus vult: nec ista nempè Divina, dedignetur, indignumq; se reputet hoc velle quod creata voluntas vult. Sic affici, quid aliud quam Deificari est? Sic servire Deo, non tam servire, quàm regnare cum Deo: imò & ipsi Deo, est. *S. Bern: ser: ad Fratres de monte Dei.*

Si possibile est, quoties homo spirat, respiratq;, quoties sive oculum, siue aliquam sui partem, potentiamve corporis aut animæ movet, toties, non aliud mente, ore, corde, sensu, affectu volvat, & sonet, & somniet nisi hoc: *Fiat Domine voluntas tua.* Totâ substantia corporis & animæ, totaq; capacitate illius semper sentiendo dicat, dicendo sentiat: Fiat Dne: voluntas tua in me, per me, circa me, in tempore & æternitate. Fiat voluntas tua Domine cum vita & morte mea Vis me vivere? fiat voluntas tua, vis mori? fiat voluntas tua Volo mori, volo vivere, si hæc est, & quia hæc est, & ut fiat de me, à me voluntas tua Fiat voluntas tuâ cum vita, cum valetudine, cum sanitate, cum statu, cum occupatione, cum omni conditione & circũstantiâ meâ. Vis Domine me infirmum, debilem esse, diu, morosè, acerbè, fiat voluntas tua. Vis hic esse, vis tam diu esse? fiat voluntas. Vis hinc abire, hinc mutari, fiat voluntas tua. Vis ad hoc applicari; vis ab hoc amoveri loco, officio, fiat voluntas tua. Vis me recreari lætitia, solatio, successu, bono nomine fiat voluntas tua. Vis me affligere, vis me linguis, aculeis, censuris sarcasmis, in-
A famiis, tristitiis, malis, adversisq; successibus involvere, & sic diu, sic ubiq;, sic semper esse? fiat voluntas tua Vis mundum, vis omnem creaturam, vis omne genus humanum, vis illos homines, illos meos, illũ meum prospere, vel adversè agere, vivereq; ? fiat volũtas tua. Vis aeris talem vel talem esse temperiem, vis æstum, aut frigus, vis serenum, aut pluvium cælum, vis fertiles, aut steriles agros? fiat voluntas tua. Vis pacem aut bella: cladem aut victoriam, pesti-
B lentiam, aut salubritatem, famem aut abundantiam, orbi, Regno, Regioni Civitati, loco esse? fiat voluntas tua. Vis mihi spiritualia exercitia ex voto meo, ex gustu & sapore fluere: vis Exilio cordis, & sterilitate me damnare, fiat voluntas tua. In omnibus Domine & singulis creaturis, fiat voluntas tua; in tempore & æternitate, in miseratione, & Iustitia; in damnatione & beatitudine: in omni circumstantia & conditione, fiat Sanctissima, Adoranda, suavissima omnipotentissima voluntas tua. Sicut calcu-
C lus computatorius, omnia est & nihil, secũdum voluntatem calculatoris & modo mille aureos, modò semiobulum, modò ne id quidem valet aut signat, sed totus nutum calaulatoris adorat. ita Domine in me, de me, per me, & in omni & de omni creaturâ fiat voluntas tua, propter hoc solum & unum, ut fiat voluntas tua & quia placet voluntas tua, & quia digna est fieri voluntas tua, & quia tu vis fieri voluntatem tuam. Unum est Domine: in quo nolo ut fiat voluntas tua: ut scilicet peccem, ego vel
D ulla creatura in voluntatem tuam, mereaturq; iram tuam. Quia hoc nunquam vult, nunquam velle potest voluntas tua.

Hic est, talis est, talis esse debet spiritus atq? succus amantium voluntatem Dei, & exercentium se in amore, cultu, gustu, voluntatis Dei, & ambientium desponsatione vitam, possessionem, unionemq; cum volũtate Dei. Hæc sapientia est, hoc quisquis non sapit, omninò desipit. Hæc est vita & sine hac alia quævis, mors est potiùs quàm

vita. Hæc est omnis creaturæ, potissimum rationalis, natura, hæc essentia, hæc constitutio, hæc quidditas, hæc salus, hæc vita. Hæc est omnis & tota, & sola virtus, perfectio, sanctitas, hæc est tota sola summa felicitas, beatitas, dignitas, hoc totum solum omne pretium, valor, pondus, decus creaturæ, hoc omnium causarum, rationum, quæstionum, silentium & clausula: nosse nimirum Dei voluntatem, amare Dei voluntatem, facere Dei voluntatem, subesse Dei voluntati, transire in Dei voluntatem, desponsari Dei voluntati, plenariè perfecte, finaliter, æternaliter, propter saginandum, exsatiandum, oblectandum gustum, ejusdem Sanctissimæ, dignissimæ, laudabilissimæ, Beatissimæ, suavissimæ, Æternæ, Dominatricis Dei voluntatis.

Vix effugiam indiscretionis notam, hæc tam alta, perfecta, absolutaq; Tironibus præscribens: quemadmodum hæc esse videatur: at utiq; ille qui in hoc me reprehendendum putabit sine me, hoc Tironibus Religiosis, perfectionisq; candidatis, hoc ad pertentandum præscribere, eosq; adhuc ad repetendum stimulare quò naturalis luminis ductu ethnici conscendere. Legatur quod hanc in rem Epictetus Philosophus in suo Enchiridio scribit, & fallar, si non ruborem incusserit. Et uno quidem in loco: conjunctioni, conformitatiq; cum Dei voluntate desiderat immori: *Epictetus Ench: l. 3. cap 5. Vt loqui cum Deo possim, num tua (Deus) præcepta prætergressus sum? Num appetitionibus, quas à te habeo, ad alia obtinenda fui usus? Num sensibus aliter? Num anticipatis notionibus? Aliquandone accusavi te, aut reprehendi tuam dispensationem? Ægrotavi, quando tibi visum fuit, sed & alii, & ego patienter. Inops factus sum, cùm tu ita velles, sed gaudebam. non præfui gubernando aut gessi magistratum, quia noluisti, ideò ne expetivi quidem, nec vidisti hanc ob causam metristiorem.* A *An occurri tibi aliquando parum læto vultu? semper paratus si quid mihi mandes, si quid significes. Nunc ex conventu illo, si vis me decedere, decedam. Gratias ago verò tibi quod me tuum conventum celebrare permiseris, atq; inspicere opera tua, ac voluntati tuæ in omnibus obedientem feceris. O utinam hæc cogitantem, hæc scribentem, hæc legentem mors opprimat. Ibidem c. 26.* Hucusque Ethnicus cujus sunt etiam illa B *Qui Deo se adiunxerit, tutò transiturus est huius vitæ iter, latrociniis infectum. Quid verò est quod appellas se se Deo adiungere? ut quod ipse volet ipse quoq; velit, & quod velit (Deus) ab eodem ipse (Homo) abhorreat.* Obsecro liceat ad hæc Christianos exhortari, ad quæ pervenire aspirare certè potuerunt Ethnici. Liceat cādidatis perfectionis Christianæ ista vel tentare vel gustare, in quibus Ethnicis desinere ac immori (voto saltem) licuit. Liceat: C (amplius dico:) teneatur huc Religiosorum filij, vel Ethnicos sequi: quò alioqui tanquam siti æstuantes cervi ad fontem, contento cursu rapi debeant ad Dei scilicet voluntatem amandam, noscendam, exequendam. *Clim. gr. 25.*



 EXER-

EXERCITIA
DUODECIMI MENSIS.



IN Mense Duodecimo Tirocinij sui, Religiosus.

Primo vacabit

A Exercitio Charitatis, dilectionisq; Divinæ. Ad hoc Exercitium inflammare, nullum Dei servum est opus. Apparet quod non amet, qui inflammari indiget. Quanquam verum est, quod nemo satis ardens, in amore, nemo satis exercitatus sit in charitate. Deus charitas est: & hoc est totum quod dici potuit in commendationem charitatis. Deus charitas est. Quidquid ergo charitas est, Deus est; quidquid charitas non est, Deus non est: quisquis ergo charitati, & charitate non vivit, Deo non vivit: *quisquis manet in charitate, in Deo manet, & Deus manet in eo*: quisquis nō manet in charitate, nec in Deo manet, sed manet in morte, & mors in eo. Tiro Religiosus charitati se natum sciat tota ejus vita, omnes ejus actus, omnia ejus Exercitia, charitate terminari & coronari debent, quia etiam charitati militare & laborare tenentur. Omnia Dei præcepta, unum præceptum sunt, quia omnia de charitate Dei sunt. Unum charitatis præceptū, omnia præcepta complectitur, quia charitas omnia præcipit, & imperat, & suadet.

Hoc præceptum servabit Tiro, quantum poterit, ad literam: charitas enim, glossam & exceptionem non recipit. Charitas, aut ex toto constat, aut charitas non est. Itaq; *Diliget Dominum Deum ex toto corde suo*, præferendo, & æstimando Deum super omnia creata, super omnia dona & bona ejus; imò nullam creaturam nullum bonum, donumve Dei amabit, nisi secundùm, nisi propter voluntatem, honorem, & amorem Dei. Diliget Deum *ex tota anima sua*: reddendo voluntati, amori, honori, obsequio Dei totam vitam, omnes actiones, omnes potentias suas. Diliget Deum *ex tota mente sua*, consecrando mentem suam Deo in templū & habitaculum, expurgando illam ab omni abominatione & immunditia, & omni negotiatione, & inquietudine, occupādo autem illam solius Orationis & Contemplationis, solius Dilectionis, & ex dilectione Divinæ operationis negotio. Diliget Deum *ex totis viribus suis*: ad nihil aliud convertēdo, & in nihil aliud impendendo, exercendoque vires omnes, viriumq; capacitates & efficacias omnes, sivè corporis, sivè animæ, sivè sensuum, sive membrorum, sivè passionum, sivè phantasiæ, sivè memoriæ, sive intellectûs, sivè libertatis, sivè voluntatis: nisi in amorem & amicitiam, in honorem & gloriam, in voluntatem & voluptatem solius Dei, & propter solum Deum. B Diliget Deum *ex tota virtute sua*, omnes operationes suas, (quæ aliæ non erunt, præter voluntates Divinas, minimas, maximasq;, occultas, manifestasq;, spontaneas, consultas, præceptasq;, agendo cum omni diligentia, applicatione, fervore, integritate, constantia sicut dignum est Deo. Diliget Deum *ex tota fortitudine sua*: contemnēdo & abijciendo seipsum, omniaq; creata C secum propter Deum: contemnendo etiam omnes metus & favores, & respectus humanos, & linguas & censuras, & impedimenta omnia pervincendo, propter explendum obsequium, gustumq; cordis Divini.

Præter hæc autem, enitetur ad ascensum graduum charitatis Divinæ: habet enim hæc virtus ascensus suos, gradusq; propemodum infinitos: quoniam charitas excessum & nimium non habet: siquidem nemo D diligere Deum nimium, & plus justò aut æquò potest: quippè qui infinitè amabilis est:

Amabit igitur Deum *amore puro & mundo*, & nulli, non dico peccato, sed nec umbræ peccati, nec ulli creaturæ, nec ulli affectioni creatæ immisto: ita ut oderit peccatum omne, excludat imperfectionem omnem, contemnat creaturam, quantumlibet conjunctam omnem, execretur delectationem sensualem, vanitatem mundanam, curam tempo-

temporalem, occupationem creatam, cupiditatem privatam omnem: sitq; totus semper liber Deo, patens Deo, plenus Deo.

Amabit Deum *amore insatiabili*: ita ut non fatigetur unquam labore mundandi cor suum Deo, quærendi & vestigandi ubiq; Deum, inveniendi, comprehẽdẽdi & tenendi Deum, admirandi, laudandi, gustandi, fruendi Deum, Sanctis operibus perfectisquè virtutum actibus recreandi & satiandi Deum, desiderandi, appetendi, anhelandi, festinandi ad Deum.

Amabit Deum *amore indissolubili*: quo semper cogitatione, desiderio, memoria, corde inhæreat & adhæreat Deo, teneat amplectaturq; Deum, moretur, colloquatur, conversetur cum Deo: maneat in Deo, & manentem habeat in se Deum, neq; ad momentum unum (quoad hæc vita patitur) à memoria à cognitione à desiderio, à gustatione dimittat Deum.

Amabit Deum *amore invicto*, quo adinstar Apostoli *Certus sit, quod neq; mors, neq; vita, neq; tribulatio neq; angustia, neq; fames neq; gladius, neq; persecutio, neque superna, neq; inferna, neq; Angeli, neq; prorsus ulla alia creatura separare illum possit à charitate Dei*. quin imò quod his ipsis trahẽdus & adstringendus sit arctius & ampliùs ad Deum.

Amabit Deum *amore inexplebili*: ita ut nulla re satiari velit possitvè, nisi Deo & in Deo: & ne in Deo quidem quomodo libet: sed quoniam in hac vita perfectè & assiduè, plenè ac securè, inseparabiliter & intuitivè, amare Deum, fruiq; illo non potest: nullo hujus vitæ amandi Deum, gradu contentus sit, omnis præsẽs dilectio scintilla & guttula ei sit, omnis hujus temporis charitas, initium & imitatio provocatioq; charitatis sit.

Amabit Deum *amore vulnerante, & sauciante*: quo scilicet vulneratus sit ipse, & vulneratus sit ipse, & vulneneret etiam Deum: ut quemadmodum is qui gravi vulnere saucius est, nihil cogitat, nihil sentit, nihil meminit, nisi vulnus, sic ille omnium aliorum oblitus & nauseabũdus: solum vulnus amoris spiret, solum vulnus amoris Deo pandat, solum vulnus dilatet, ac non medicamentum, sed incrementum vulneris exposcat, nec doleat vulneratum à se Deum, vel se à Deo: sed crudeliter amore sæviens, majus & majus vulnus, cordi Divino faciat, seq; immensis vulneribus vicissim exponat.

Amabit Deum *amore vincente*, & expugnante, quo expugnet se ipsum tradatque totum Deo, expugnet etiam Deum, rapiatq; sibi: quo vincatur & debilitetur ad omnia prorsus creata, vana, sensualia amãda & curanda, & quærenda, & tenenda. Validus autem & valens efficiatur ad hæc quidem penitus contemnenda, & conculcãda & oblivis cenda, ad Deum verò quærendum, inveniendum, comprehendendum, tenendum, fruendum, possidendum: ad se quoq; in Deo demergendum, comburendũ,
A annihilandum, transformandumque.

Amabit Deum *amore vincente, captivãte, incarcerante*: ita ex ut vinculis, compedibus carceribusq; charitatis, nec velit, nec possit unquam egredi, sed efficiatur captivus & servus, & mancipium, & jumentum dilectionis. Nunquam & nusquam se commovens, quin illico inveniat Deum præsentem, quin continuò in vincula charitatis rapiatur, & catenis amoris in Deum trahatur, inibiq; arctius teneatur, sive sint creaturæ, sive creator ipse, sive sint prospera, si-
B ve adversa hujus vitæ, sive sint præsentia, sive futura, sive æternitas ipsa.

Amabit Deum *amore consumente*, qui scilicet tanquam ignis devorat, paleas & stipulas, & nulla illi materia satis est, sed ad quodlibet pabuli augmentum, vehementiùs rapit & absumit omnia: sic amor Dei avaritiam igneam, nactus, omnem laborẽ parvum, omnem fatigationem modicam, omnem diligentiam exiguam: omnem crucem levem, omnem dolorem puerilem, o-
C mnem adversitatem ridiculam, omne jugũ suave, omnem fervorem frigidum reputãs, semper clamat: *Affer, affer! ampliùs, ampliùs!* nunquam autem dicat *sufficit*.

Amabit Deum *amore vivo, & inquieto*: qui eum quiescere nunquam sinat, sed amplius & arctius & altiùs in Deum trahat, Deo adstringat, in Deum mergat, in Deum transmutet: ad creaturam, nisi forte Deo lucrandam, & jungendam dimittat.

Amabit Deum *amore infinito*: hoc est fi-
D nem, mensuram, modum, præmium, non habente, non quærẽte, non cogitãte. Causa enim diligendi Deum, Deus est, & modus sine modo diligere. Nec ad præmium diligit, qui Deum verè diligit, quia & causa, & p̃retiũ & præmium amoris, dignũ est nullũ aliud præter Deum & amorem ipsum, amat quia amat: & amat, ut amet & ideò semper diligit, quia amicus est: semper diligit, quia in omni conditione diligit, quia in & pro

pro omni æternitate diligit, quia brevis illi eſt, vel ipſa æternitas ad amandum qui diligit.

Amabit Deum *amore liquefaciente*: ita, ut toto corde, tota animâ, totâ, ſi fas ſit,etiam ſubſtantia, liquefiat & diffluat in ignito mari Chariratis Dei, non ſecùs ac liqueſcit & fluit cera à facie ignis: ſic autem in Deo liquefiat ipſe, ut nihilominus virtutem liquefaciendi omnia alia ex Deo nanciſcatur: ut quidquid contigerit,quidquid afflaverit, liquefaciat:ſive ſit peccator frigidior glacie ſiveſit obſtinatus durior lapide, ſive ſit tepidus vomitum tepore provocans,ſive ſit parvulus in Chriſto: omnes iſtos liquefaciat ab odore, ab ardore ignis ſui, amoris ſcilicet Divini.

Amabit deniq; Deum *amore transformante*: quo ſibi quidem quàm maximè pereat, obliviſcaturq; ſui, & mortuus ſit à corde, ſepultuſq; ſibi: in Deum verò tranſeat, trãsfundatur, transformetur, unuſq; etiam cũ Deo, & veluti Deus ipſe fiat, non quidem identitate ſubſtantiæ (cùm hoc ſit impoſſibile) identitate tamen ac unitate voluntatis ſuæ cum Divinâ, Divinæ cum ſuâ: Cõmunicatione etiam votorum, deſideriorum operum, ſtudiorum, cogitationum: inſuper ſimilitudine affectionum atq; morum, ita, ut ſicut in ferro ignito, plus paret, plus lucet, plus ardet, plus urit, plus fervet, plus fermè eſt ignis quàm ferrum: ita homo amans Deum, ipſe quidem ſit in oblivione, in neglectu, in ſepultura, in nihilo ſuo & ſibi & apud ſe: totus autem in Deo, & ſolus Deus in ipſo, omnia Deus, in toto Deus,pro omnibus, & præ omnibus Deus, ſuper omnia Deus, Deus amabilis, Deus amatus, Deus amans, Deus amor.

Talem amorem diſcet in Deum Religioſus, etiam Tiro: atq; ad eum quantum poterit, aſpirabit, prorepetq;, & linguam charitatis cognoſcere, maturè contendet. Neque enim eſt abbreviata manus Domini, neque exinanita liberalitas ejus, ut non admittat & propinet aliquando aliquem guſtum, hauſtumq; de melioribus abſconſioribuſq; cellariis ac vinis ſuis, quibus inebriat amicos, quibus tractat familiares, ad quæ introducit ſponſas ſuas.

Porrò ſuum in amorem Dei profectum experietur & explorabit, metietur, & promovebit ex ſequentibus officiis affectibuſq; charitatis, quos Apoſtolus ſapienter juxta, ac plenè exponit.

Charitas ergo patiens eſt: ideo quiſquis propter charitatem Dei libenter patitur adverſa omnia, tam corporis, quàm animi, quàm famæ, quàm fortunæ: ſi quis hæc etiam optat: in his gaudet, & Deum laudat, & benigno eſt ad omnes, quorum miniſterio utitur Deus animo atq; affectu; quiſquis talis eſt, habet officium & effectum charitatis.

A *Charitas benigna eſt*, quiſquis ergo omni creaturæ, omni potiſſimum proximo, propter Deum exhibet ſe benignum,affabilem, amabilem, liberalem re,manu, voce ſermone, corde, affectu, conſilio, exemplo, deſiderio, & ad Deum ſupplicatione: non ſecus ac ſi vel ipſe omnium eſſet mater, vel omnes à Deo tanquam filios ſuſcepiſſet nutriendos, habet officium & effectum charitatis.

Charitas non æmulatur. Quiſquis ergo nulli inſultat de malo, quod ſuſtinet: quiſquis
B congaudet bonis proximi, condolet malis ejuſdem tanquam propriis: quiſquis optat proximũ à Deo repleri,conſervari augeriq; bonis naturæ & gratiæ, liberari autem eripiq; malis omnibus corporis & animæ: non ſecus atq; eadem optat ſibi: idq; propter voluntatem & gloriam, & charitatem Dei: habet is officium & effectum charitatis Dei.

Charitas non agit perperam, quiſquis ergo omnia, quæ facit, agit cum conſilio & prudentia: quiſquis bonum inchoatum conſtanter perficit: quiſquis mala fortè cogi-
C tata, vel incæpta maturè reſcindit,neq; obſtinatè excuſat aut tuetur, ſed ſemper Divinæ charitatis voluntatis & gloriæ, ſalutis autem propriæ, & ædificationis alienæ rationem habet: habet is quoq; officium & effectum charitatis.

Charitas non inflatur. Quiſquis ergo ex Donis Dei putatis vel habitis in ſe non redditur ſuperbus, nec in Deum ingratus, nec ſuper alios elatus: ſi ſe non comparat aliis, ſed potiùs ſupponit ac ſubmittit, tanquam melioribus ſe, & gratioribus Deo, & magis
D repletis donis, ſive naturalibus, ſive Spiritualibus à Deo: ſi omnia Deo attribuit, in omnibus Deum laudat, in omnibus Deo fidelis eſt: habet officium effectumq; charitatis.

Charitas non eſt ambitioſa. quiſquis ergo nulli vult præeſſe, omnibus autem ſtudet, & gaudet ſubeſſe: fugit honores & dignitates, & laudes oblatas: impoſitas autem metuit, & quàm primum ſalva Dei voluntate

exuere

exuere appetit. simplicia humilia, postrema, vilissima, tanquam sibi competentissima, tanquam suæ fragilitati securissima, tanquam suæ vilitati ex justitia debita sectatur, in iisq; cum quiete delectatur: hic quoque habet officium & effectum charitatis.

Charitas non quærit quæ sua sunt. Quisquis ergo in nulla re seipsum quærit, neq; quod sibi soli, sed quod omnibus, prosit, quod Deo placitum & gloriosum sit; qui suo potiùs jure decedit, quam vel de alieno decerpit, vel alieno bono obsistit, qui laudes suas, in alios derivari patitur, hic quoq; habet officium & effectum charitatis.

Charitas non irascitur. Quisquis ergo nec iram læsus fovet, nec injuria affectus læditur, nec vindictam inimico meditatur, sed potiùs malè facienti, benè vult & facit, & conservat in corde amorem, & in voluntate benevolentiam, & in memoria injuriæ oblivionem, hic habet officium & effectum charitatis.

Charitas non cogitat malum. Quisquis ergo neminem judicat, neminem condemnat, nemini fraudem facit: sed bene sentit & benignè loquitur, de omnibus & bene accipit interpretaturq; omnia, hic habet officiũ & effectũ charitatis.

Charitas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Quisquis ergo dolet cum alicui malè fit vel alicujus æquitas innocentiaq; premitur, quisquis gaudet, cùm justitia & veritas, & innocentia regnat, cùm virtus præmio & honore afficitur, cùm malitia & iniquitas castigatur, quisquis ne suis quidem erratis impunitatem quærit, sed pænam irrogat ipse, vel imponi æquanimiter patitur, hic habet officium & effectum charitatis.

Charitas omnia credit, sperat, sustinet. Quisquis ergo & revelata à Deo per Ecclesiam credit, & imperata à majoribus obediẽter implet, & promissa à Dei liberalitate fiducialiter sperat, devotus exoptat, securus exspectat: & adversis non frangitur & prosperis non mutatur, & dilatis non cruciatur: hic hbet officium & effectum charitatis.

Charitas nunquam excidit: nam & in hoc & in altero seculo necessaria est, Deo nos jungens, in Deo nos conservans, Deum nobis donans, Deo nos in æternitate frui faciens, ac beatificans. Quisquis ergo semper in charitate vivit, & crescit, hic officiis & fructibus charitatis abundat.

Ad horum omnium quæ de charitate Dei allata sunt complementum affero ex duobus Societatis nostræ Patribus Vitæ sanctitate, notitiaq; rerum spiritualium orbi Christiano notissimis, præclara, & scitu executioneq; dignissima sensa

Primus sit P. Ludovicus de Põte, ex quo desumo hæc tria quæ sequuntur. *Ex vitâ P. Ludovici de Ponte, relata à P. Lancicio Opusc. de Profectu c. 17. gr. 16.*

Primum de quatuor proprietatibus amoris Divini, quibus ille à falso distinguatur.
A Prima est. Amor verus infinitè amat, & pluris æstimat gloriam Dei, quàm propriã, imò nec oculos habet ad videndam propriam, nec eam æstimat. Secunda est. Verus amor Dei, magis vult amare, quàm cognoscere, & pluris facit obedientiam quàm scientiam. Et si quærit scientiam, quærit purè ut amet, & obediat. Tertia est. Verus amor, magis vult hic pati, quàm gaudere, magis vult bibere Calicem amaritudinis quàm dulcedinis. Quarta est. Verus amor Dei magis vult dare, quàm recipere.
B Et si desiderat recipere dona Dei, est ut illis det Deo honorem & gloriam, & ut edat magis heroica obsequia.

Alterum est, ejusmodi amor Dei, inclinat ad honores fugiendos, officia speciosa, personas à quibùs honoraris & laudaris. Et qui sic amat: si contingat esse inter honores, manet tanquam inter spinas sentiens puncturas: quodsi eas non possit effugere, amor iste inclinat ad contemnendum illos honores, nec pluris faciendos quàm ventũ, detegendo sua luce, nihil esse quod mundus amat, honorat: & quod sit delectari umbra
C relicto corpore vel imagine, relicta re præsẽtata. Qui amat Deũ manet inter honores & laudes tanquam idolum vel statua cui deferũtur tales honores, quos tãti facit, quomodo faceret laudes, auditas a psittaco. Qui amat Deum, habet gloriã Dei pro propria, adeo, ut nihil aliud reputet pro gloriã sua quàm gloriã & honorẽ Dei, & si delectatur honore qui sibi à subditis defertur, est, quia illo honoratur Deus, & ipsi proficiunt.

D Tertium, quod amor Dei desiderat mortificationem: eaq; utitur ad perficiendas inclinationes suas: non aliter quàm fluvius magnus, qui in rivos divisus impetu suo facit sibi vias, & obstacula perrũpit, ut fluat.

Prima Inclinatio Amoris est, destruere majores Dei inimicos, quos habet, scilicet peccata, & satisfacere Deo pro illis castigãdo suam voluntatem, sensus & carnem: tanquam authores tanti mali, dignissimo

omni pœnâ, & fugere in posterum talia, & ad hoc uti mortificatione.

Secunda inclinatio Amoris est, crescere infinitè, desiderando magis ac magis cognoscere & amare suum Deum, ideò rumpit obstacula quæ habet ad crescendum, scilicet affectiones terrenas quia diminutio cupiditatis, est augmentum charitatis, & hoc facit per mortificationem.

Tertia inclinatio amoris est, recognoscere cum debita gratitudine authorem sui esse, qui Deus est, qui nos creavit, sustētat, auget, perficit infinitis beneficijs, ideoque desiderat, illa facere obsequia, usq; ad sanguinis effusionem quod facit abnegatione sui.

Quarta inclinatio amoris est, assimilare se amato, quia ita magis amabitur, & quia similitudo est causa amoris. Et quia vita Christi tota fuit mortificatio in paupertate contemptu, dolore, labore: ideo mortificatio amat hæc.

Quinta inclinatio amoris est: benefacere amatis ab amato, qui sunt proximi, procurando lucrari animas eorum, ad augendum Patrimonium amati: & serviendo illis corporaliter, quia in illis est suus dilectus: & hoc non potest præstare, quin perdat multa commoda sua, ideo amat mortificationem.

Sexta Inclinatio est, desiderare conspectum sui dilecti, & gaudere ejus præsentia. Et præsumit duas res esse impedimēto. Primò, non complevisse numerum meritorum, quem Deus vult illum habere. Secundò post completa merita, non satisfecisse pro pœnis peccato debitis. ideò ut acceleret primum, & auferat secundum, exercet se in abnegatione & mortificatione: quia scit, eum qui vivit & moritur in Cruce valdè currere & volare sine impedimento ad gloriam. Siquidem bonus latro audivit in Cruce. *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Septima Inclinatio amoris est, & hæc super omnes. Implere voluntatem dilecti, anteponendo eam omnibus suis utilitatibus & commodis, etiam visioni Dei. Ideo delectatur mortificatione propriæ voluntatis: & acceptat omnem abnegationem, quia ita vult ejus dilectus.

Deniq; sicut homo satiatus cibis pretiosis fastidit alios: ita amor solò Deò contētus, nihili facit omne creatum. Et ita facilis est illi omnis mortificatio in non videndo eo (creato) nec gustando, nec possidendo. *Hæc ex P. Ludovico.*

Alter fit P. Iacobus Alvarez *Tomo 1 de Natura perfectionis l. 3. p. 3. c. 38.* qui duodecim documenta consequendæ perfectionis charitatis in Deum assignat in hunc modum quæ tamen fusiùs apud eum legere licebit.

Primum omnium insipientium opiniones, & tepidorum murmurationes contemne. Non contemne illos, sed eorum A dicta, sensus, definitionesq; pro nihilo habe, quoniam de talibus dixit Dominus. *Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. Secundum.* Fuge non dico magna peccata, (quis enim putet te in Religiosa vita positum lætalibus peccatis sordere?) sed peccata levia, minimos defectus devita: nec unquam scienter fac, aut dic quod imperfectionem esse cognoscas. *Tertium.* Quotidie bis te ipsum discute, & tuam consciētiam examina, mala quæ in cogitatione aut in locutione aut opere inveneris luge, bona circũspi- B ce, & quod in eis aut ineptum, aut minus fervidum fuerit reprehende. *Quartum.* Mortificationem sensuum, tam externorũ quàm internorum assume: nec non passionum tuarum cohibitionem diligentissimà cura sectare. *Quintum.* Nimium affectum & amorem erga rem creatam strenue devita, & cor à desiderio rerum visibilium purum, illibatumq; custodi. *Sextum.* Humilitatem & obedientiam, fidelissimum actionum tuarum comitem adhibe. *Septi- C mum.* Ne sis in operibus, aut exercitijs tuis singularis: sed ea efficaciora ad perfectionem capessendam judica, quæ communis usus Congregationis approbat, & Patrum instituta præscribunt. *Octavum.* Conversatio tua cum hominibus admodum moderata sit: nec puta te hujusmodi conversatione, sed potiùs Angelorum & Sanctorum colloquio ad perfectionem juvari. *Nonum* Externas occupationes, quæ tibi ab obedientia aut à Charitate demandatæ fuerint, D magnâ libertate spiritûs incipe, sine spiritus anxietate perage, magnâ spiritûs tranquillitate perfice. *Decimum* Negotiorum multitudinem, quæ vires corporis & Spiritûs excedunt ne admittas, sed solerti meditatione considera quid possis, quid non possis sine detrimento spirituali: & illud assumes hoc prudenti excusatione devita. *Undecimum.* Orationi & contemplationi Divinorum semper insiste. *Duodecimum.* Hanc

solam

solam in omnibus quæ egeris solicitam curam, jugemq; occupationem habe: Deum, ut extra teipsum intuearis præsentem, & purissimis desideriis, sanctissimis colloquiis, & ignitis amoris, affectibus ad Divinam & incomprehensibilem ejus bonitatem aspires. Hucusq; ex P. Iacobo Alvarez. Concludo exercitium hoc, verbis Christi Domini ad S. Brigittam. *Perfecta charitas ad Deum illa est: quando homo sibi de se nihil relinquit, sed ad omnem virtutem ac perfectionem se dilatat.*

Secundò vacabit: Exercitio zeli animarum, & siti salutis proximorum. Hæc est spes vocationis omnium eorum, qui ad Societatem IESU potissimum accedunt: ut olim idonei Evangelici operarij evadant ad lucrandas animas Deo, eripiendas autem diabolo. *Ad prædam fili mi:* (potest unicuiq; Tironi suo, dicere Societas IESU) *ascendisti*, ad prædam inquam animarum agendam ex mundo & inferno, inferendam autem cœlo, & offerendam Christo. Quare ab ipsis incunabulis Societatis omnes ejus Tirones avaro spiritu, inextinguibiliq; zelo ad convertendas animas imbuendi sunt, imbuereq; seipsos debent.

Quamvis autem aliter exerceat zelum animarum Tirones, aliter verò jam Tirocinium egressi & idoneè instructi: idem tamen debet esse in omnibus zelus, idem ardor idem æstus. Tirones zelum exercent animarum maximè per hoc, quando ita, & ideo in Tirocinio virtutis perfectionisq; omnis Religiosæ Societati propriæ dant operam, ut se se quam maximè Deo conjungant, capacissimiq; evadant eorum Dei donorum, quibus viros Apostolicos operariosq; Ecclesiæ enitere & abundare oportet, quare inter alios ad omnem virtutem sanctitatem, maximos stimulos Tironibus hic esse unus debet, quia olim circa salutem animarum, Deiq; gloriam laboraturi sunt, qui labor cum insignem perfectionem omnium virtutem prærequirat: hanc illi ideo in diebus Tirocinij sui comparare adlaborant.

Neq; hic stat exercitium zeli animarum in Tironibus. Zelus eorum est, orare ferventer, & crebro, tam pro conversione animarum, quàm pro laborantibus in conversionem earum, ut & illæ convertantur efficaciter ad Deum, & isti sine impedimento, sine periculo, sine fatigatione & tepore, cum magna Dei gloria, cum multo animarum profectu, cum plurimo suo merito, cum efficaci, multiplicíq; Divinæ gratiæ auxilio, laborent in conversione earum. Dum ergo in hunc finem Tirones conferũt, & offerunt Deo meditationes suas, desideria sua, orationes, sacrificia, communiones, coronas suas. Pœnitentias suas privatas juxta & publicas, Iejunia, vigilias, mor- A tificationes, labores, lacrymas, omnes deniq; actiones suas, per hæc omnia zelant & zelum exercent circa animas.

Neq; hoc exercitium suum, zeli existiment sterile esse, & apud Deum nullius momenti aut in conversione animarum, nullius efficaciæ. Non, inquam, hoc existimare debent: sed potiùs certi sint, multarum se animarum, olim in Iudicii & Retributionis die conversores apud Deum inveniendos, licet eum eis verbum nũquam fecerint sed satis laboratum ab illis circa eas erit, B quando precibus illorum, conversio illorũ, impetrata apud Deum erit. Qui quidem zelus Tironum illud præ alijs commodi habet, quod non sit obnoxius vanitati, neque expositus zelantis periculositati.

Et Tirones quidem ante facta in Societate vota: hac ferme, ratione zelum suum exercent; at verò ij qui biennio Novitiatus expleto, factisq; votis in Collegiis degentes studiis dant operam, hi jam laxiorem ad zelum exercendum habeant januam: Etenim C præter eum zelandi modum, quem propriũ Novitiorum dixi, quem etiam ipsi perinde exercere possunt, imo debet, habet præterea suum modum proprium, qui est studiis literarum dare operam in hunc ipsum finem, ut literis quàm optimè exculti, virtutibusq; è perfecti, non tantùm perfectione virtutis, sed etiam perfectione adminiculoquè doctrinæ, olim post peracta studia, idoneè securèq; animas proximorum erudire in rectitudine & veritate, & justitia, confutare errores & hæreses, sana consilia suggere- D re: conscientias in foro conscientiæ & extra illud, dirigere, extricare, sanare, solidare, permovere, tueri: catechesibus, concionibus, colloquiis, scriptis, doctrinam fidei & morum, officiaq; Christiana, pericula, & adjumenta salutis promulgare disseminare, propugnare, elucidare commodè, solidè, potenterq; sciant ac possint. Hunc in finem si in Collegiis student: abundantissi-

mè pro suo gradu zelum jam tunc exercent.

Quà de re abundè in suis in Regulis habent, potissimumq; in ea, in quâ dicitur hūc in modum. *Animi puritatem custodire, & rectam intentionem habere Scholastici nostri conentur, nihil aliud in his, quàm Divinam gloriam, & animarum fructum quærentes: ad hunc enim scopum studia Societatis diriguntur, Reg. 1. Scholast.* Et paulò inferiùs mox subditur, in hunc modum. *Sibi persuadeant, nihil gratiùs se Deo facturos in Collegiis, quàm si cum eâ intentione, de qua dictum est, studiis se diligenter impendant. Et licet nunquam ad exercenda ea, quæ didicerint perveniant, illum tamen studendi laborem, ex obedientia & charitate, ut par est, susceptum, opus esse magni meriti in conspectu Divinæ & summæ maiestatis, apud se statuant. Ibid. Reg: 2.* Plura in hunc ipsum finem habent ijdem filij Societatis, in Epistola S. Patris Ignatij, in qua disputat ille, quomodo ij, qui in Societate dant literis operam, possint interea temporis, exercere se in zelo animarum.

Porrò ij, qui peractis studiis probationibusq; omnibus, tandem ab umbra & palæstra, in arenam & lucem prodeuntes, zelo animarum admovent manus, juxta impositū unicuiq; à Superioribus officium: quibus & qualibus rationibus ac occasionibus zelum possint debeantvè exercere; hic tractatus jam extra sphæram propositumq; meum præsens est, quem etiam ideò in præsens pretermitto, contentus afferre, quod Tironibus, cum quibus mihi negotium est, deservire potest.

Primum quidem ex Christi Domini nostri exemplo petitum: cujus teste Bernardo: *Tantum Reconciliationis humanæ studium fuit: ut ad sua stipēdia non attenderet, dummodò erroneum lucraretur. O quanta dignitas Animarum: & quantus zelus ad animas: pro quarum Redemptione pretiosum sanguinem suum totum obtulit Dei Filius, Deo Patri:* cùm tamen suffecisset una guttula tam pretiosi sanguinis, ad redimendum totum genus humanum maximè cùm sibi nihil inde beatitudinis accresceret, vel decresceret.

Deinde ex Sanctis Patribus: ex quibus Gregorius Magnus celebre illud dictum habere noscitur. *Nullum omnipotenti Deo tale est Sacrificium, quale est zelus animarum.* Nec abludit Beda, qui ait: *Quænam sublimior, & Deo gratior conversatio esse potest, quàm eorum qui quotidiano exercitio, alios ad sui Auctoris gratiam student convertere, & crebrâ animarū fidelium acquisitione, gaudium cœlestis Patriæ, semper augere?*

Tertio ab exemplis Patrum Societatis nostræ: de quorum zelo, illud est omni exceptione majus testimonium ipsius, Sanctæ Sedis Apostolicæ Romanæ Capitis, sic enim Pius V. *in Bulla Conf: Inst: quæ habet 1571. Dum indefessæ considerationis intuitu perscrutamur: quantam Christianæ Reipublicæ utilitatem* A *attulerint dilecti Filii Presbyteri Societatis IESV, ac planè conspicimus eos verè mundi huius relictis, illecebris, ideò Servatori suo se dedicasse, ut conculcatis thesauris, quos ærugo & tinea comedit, lumbisq; paupertate & humilitate præcinctis, non contenti terrarum finibus, usq; ad Orientales, Occidentalesq; Indias, penetraverint: ac eorum aliquos ita Domini amor perstrinxit ut etiam proprii sanguinis prodigo, ut verbum Domini efficatiùs plantarent Martyrio voluntario, se supposuerint.*

Neq; id mirum esse cuiquam debet. Societatis B namq; IESU, substantia & essentia est zelus animarum. Conflatur enim Societatis hujus finis, ex zelo perfectionis, tam propriarū, quàm proximorū omniū animarum; adeò, ut si homo societatis suam quidem salutem & perfectionem zelet, proximorum autem non, is dici & esse non possit, homo Societatis, neq; è contra, si aliorū quidem zelet, suam autem non: sed verus spiritus Societatis est, zelando suam salutem & perfectionem, proficere, ac disponi ad ze- C lum alienæ salutis perfectionisq;, & vicissim zelando alienam salutem, in suâ hoc ipso proficere. Unde meritò filii Societatis ab ipso Tirocinio innutriri debent zelo salutis alienæ: suamq; perfectionem ad aliorum profectum, olim saltem procurandum, jam nunc ordinare. Meritò etiam de hominibus Societatis dici potest, id quod Ambrosius de Angelis dixit: *Angeli sine zelo nihil sunt, & substantiæ suæ amittunt prærogativam, nisi eam zeli ardore sustentent. In Psal:* D *118. ser: 18.*

Concludo tractatum hunc insigni sensu gravissimi Patris nostri Iacobi Lainii: qui datis ad universam Societatem literis, eam cohortatus est, *ut quotidie omniumq; frequentissimè, animarum quæ in Purgatorio igne cruciantur, studiosè meminissēt. Historiæ Societatis tomo 2. l. 2. n. 89.* Rationem addens ex zelo Societatis petitam: ut scilicet Societas nullum non genus Animarum zelo suo cō-

ple-

plectatur. A cuius zeli Exercitio Tirones neq; debent, neq; possunt excludi.

Tertiò vacabit. Exercitio Præsẽtiæ Dei: in quo uno exercitio si strenuè se exerceat, si multùm proficiat Religiosus, seu Tiro, seu quicunq; sectator: satis excellenter in omni prorsus perfectione profecisse se noverit. Est enim hoc Exercitium omni opinione major thesaurus. Quodcũquè malum sanare, quis in anima velit, quodcunq; expellere peccatum, quodcunq; eradicare vitium, quamcunq; infrenare passionem, quamcunq; debellare tentationem, quamcunq; comparare virtutem, quemcunq; conscẽdere perfectionis gradũ, quamcunq; cordis & mentis comparare puritatem; quantumcunq; in se inflammare Spiritus fervorem: quantamcunq; obtinere cum Deo Unionem, familiaritatem, conversandiq; libertatem: præsentem sibi Deum ubiq; habeat, noverit, meminerit semper: opinione faciliùs, celeriùs, abundantiùs consequutus est omnia. Et enim quid in Deo non est? quid cum Deo præsente præsens non est? quid cum Deo & in Deo habito præsẽte, præsens non habetur? Quomodo lux desit: ubi sol adest? quomodo aqua careat, qui mare habet? quid ibi desit, ubi universum, imò universi fabricator præsens est?

Verum magnoperè interest, qualis hæc debeat esse præsentia Dei. Immensus est Deus, & immensitas ipsa: ubiq; est per Essentiam, existentiamq; ubiq; per operationem & potentiam: ubiq; per Sapientiam & cognitionem; hoc modo nemo illum non habet præsentem. In solis Iustis est per amorem, atq; gratiam, sed nihil horum sufficit ad hanc, cuius exercitium suadetur Tironibus, Dei præsentiam. Non tantùm habere Deum præsentem oportet: sed etiã nosse, scire, & meminisse ejus præsentiæ necesse est, omnes enim habet Deum præsentẽ: non omnes tamen nôrunt esse præsentem. Multi etiam nôrunt: & non semper meminerunt, imò sæpè non meminerunt. Cæterum neq; ipsum meminisse præsentis Dei satis est, requiritur adhuc amor, æstimatio, reverentia, timor, gustus Dei: Itaq; memoria Dei, præsentis & æstimati, amatiq; impensè, hoc nimirum est illud exercitium nunquam satis laudatum: Præsentiæ Dei nisi enim accesserit ad præsentiam Dei notitia, memoria & æstimatio præsentis Dei, non erit magnus effectus in cordibus humanis præsentiæ Dei.

Est tamen fatendum non esse tantùm laboris in amore & æstimatione Dei conquirenda, quantum in ejus præsentiæ memoria jugiter habenda. Bonis enim animabus ac mentibus ut plurimum est facile Dei reverentia vel timore, vel amore tangi: si modo in memoriam veniat præsentis & A cuncta cernentis Dei: quod quia non tam facilè nec tam obvium est, præsertim assiduò & veluti perpetuò idcirco Spirituales Magistri, dum hoc exercitium studiosis virtutum & profectûs commendant, memoriam, jugem præsentis Dei maximè inculcãt: de Reverentia verò aut æstimatione aut amore verbum non faciunt, quia id tanquam per se notum atq; in promptu cuiq; positum supponunt. Quis est enim adeo hebes vel impius: ut meminerit quidem assiduò vel B crebrò præsentis sibi Dei: nec tamen continuò tangatur intima veneratione majestatis ac dignitatis Dei? Quamobrem usquè adeò certi sunt Spirituales Magistri, cum memoria præsentiæ Divinæ simul conjungi reverentiam vel amorem ejus: ut propterea affirment omnes quidem virtutes cum præsentiæ Dei memoria comitari: omnia verò vitia ad oblivionem præsentiæ Dei consequi.

Quod quidem tum ex Scriptura Sacra evidenter discimus, tum ex Ratione, reique C ipsius natura concludimus. Scriptura est quæ dicit: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear,* in ullam vel levissimam noxam aut imperfectionem: promovear verò in omnem virtutem, sanctitatem & perfectionem. Scriptura item est, quæ dicit: *Non est Deus in conspectu eius: ideo inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Et iterum: *Non est Deus in conspectu eorum: nunc interibunt.* Ad Rationis lumen quod attinet. Quis obsecro D in conspectu suo habens Deum: non abstineat ab omni peccato? non sit fortis in resistendo tentationibus; non sit strenuus in bonis operibus, non sit exactus fervẽs, diligens, in omni actione? Ubiq; experimur quantam vim habeat in cohibendis nobis à malo, vel in excitandis ad bonum, oblata subitò præsentia alicuius personæ, quam reveremur. Quam citò omnes puerorum petulantias, una Præceptoris præsentia

sentia compescit? quantas insanias famulorum conspectus Domini componit? Ebriosos ac furiosos homines ad conspectum Religiosæ personæ componi, mitescere, & aliquatenus ad mentem redire videmus. Potest hoc in homine hominis præsentia; quid enim poterit in hominis, pij præsertim animo, Divinæ præsentiæ memoria? omnia sanè poterit, & cohibere componereq; mala ac inordinata: & persuadere, atq; promovere ad bona & Dei dignitate, bonitateq; digna.

Ex hoc ergo fonte, tantæ laudes Exercitij præsentiæ Dei manant: ex hoc tantæ, tamq; graves & assiduæ ad ejus usum cohortationes, ex hoc tot & tantæ inventiones, propositionesq; modorum ac mediorum, quibus in acquisitionem perpetuæ præsentis Dei memoriæ, inducantur piæ mentes. Alij quidem annulis aut signis aliquibus, quæ inter manus sint, memoriam Dei præsentis excitari suadent, alij ad sonitum aliquem horæ scilicet, aut tintinnabuli, alij ad initium cujusq; occupationis gravioris, alij ad conspectum aliquorum, in hunc finem dispositorum signorum, imaginum &c. Rursum, Deum alij proponunt tanquam Regem in solio excelso, & elevato: quomodo Isaias, quomodo Daniel vidit. Alij tanquam Christum, coram se in Cruce pendentem. Alij tanquam mare vastum, in quo tanquā pisciculi & spongiæ natamus, & quocunq; nos moverimus, in ipso tamen vivimus, movemur, & sumus. David Sanctus ita se Deumq; suum sibi præsentem depingit: *Si ascendero in cœlum, tu illic es: Si descendero in infernum, ades: Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Psal: 138 8* Hæc similiaq; his, ad hoc exercitium utilia sunt: etsi aliqui non frustrà admonent, sic aliquibus horum utendum, ut vitetur læsio imaginatricis facultatis, multa assiduitate.

Laudatissima & probatissima est ratio hujus Exercitij, per solam memoriam; quā Sanctorum non nemo sic docuit. Cogita Deum tibi præsentem, & coram illo stare, quem exercuit David. *Memor fui Dei.* Et, *Providebam Dominum in conspectu meo*; quam ipsa compellatio hujus exercitij designat: dicitur enim memoria præsentiæ Dei. Sed enim hic quæritur: Quomodo efficiemus, ut memoriam assiduam præsentis Dei habeamus? quis erit memoriæ monitor? quis ejus aurem vellet? quis illi insusurrabit assiduò, Deus me videt, Deus adest, coram Deo sum? Cogita Deum tibi præsentem, memento Creatoris tui, &c. Circa hoc eas cautelas posuerim Tironibus.

Prima sit, ne aggredientes hoc Exercitium, curent statim ab initio assiduam & non interrumptam memoriam præsentis Dei fovere, neque etiam valde frequentem curent. Omnia naturæ opera à parvis incipiunt, sensim propagantur. Ergo ab initio, aliquoties in diem memorabuntur Dei præsentis: idq; juxta vires suas, & juxta Patris sui consilium: qui uniuscujusq; facultates dimensas habebit. Cum assueverint concessis, placitisve vicibus, augebūt numerum: & sic progrediendo pervenient ad crebram, creberrimamq; Dei præsentis memoriam, sine periculo, sine fatigatione, ab assuetis enim non fit passio. Huic progressivo exercitio plurimum momenti afferet usus Examinis particularis: si nempè juxta praxim hujus examinis dispiciat quisquè, *an toties*, (quoties nempe designavit) memor Dei præsentis fuerit: *an præterea* aliquas occasiones præsentiæ Dei habuerit: *an occasionibus* ijs usus sit, Deiq; præsentis meminerit: *an memoriâ* præsentis Dei motus sit efficaciter ad eos affectus, quorum gratia hoc Exercitium assumitur: puta ad reverentiam, ad diligentiam, ad fervorem, ad fugam imperfectionum, &c. Hoc enim examine, nihil erit validiùs ad profectum in isto Exercitio.

Altera sit cautela. Ne Tirones persuasū habeant, hoc Exercitium præsentiæ Dei, in hoc consistere, ut omninò tanquam conceptis verbis hisce (Memini Dei præsentis, *vel* Deus mihi præsens est, *vel* similibus) præsens Deus habeatur, esseq; sciatur: & memoria teneatur perpetuò. Id enim, licet (si fieret) fortasse malum non esset, sublato periculo actuationis, seu fatigationis noxiæ: tamen non est necessarium, sed intelligant Tirones posse exercitium præsentiæ Dei excoli, posseq; præsentem Deum haberi in animo & memoria, sine illis expressis, conceptis verbis, sed aliis quibusdam, quibus mediantibus fiat Deus præsens: & varietate actuum vitetur fatigatio, & capiti vitium, creans crebra actuatio, & obtineatur, si non continuitas certè utilissima, & suavissima frequentia. Sunt enim exercitia non pauca,

ca, quæ conjunctam Dei præsentiam cum
habeant vel supponant: ita ut quoties exer-
ceantur, toties Deus præsens in animo sit.
Hæc si Tirones singula aliquoties in diem
exercuerint: ex usu singulorum pene assidu-
am Dei præsentiam habebunt: &, quidem
ut dixi sine ullo fatigationis periculo: cum
multa suavitate, ex actuum varietate resul-
tante, cum multiplicium præstantissimorũ
actuum habitumq; incremento, cum omni-
bus memoriæ præsentis Dei commodis

Declaro rem nisi fallor evidenter: Cer-
tum est omnibus: Intentionem renovari
non posse sine Dei memoria. Adorari De-
um, laudari, invocari, actualiter amari, nõ
posse sine Dei memoria. Agi gratias pro
beneficijs Deo. Resignationem sui in vo-
luntatẽ Dei fieri. Reddi rationẽ conscientiæ
suæ gestorùq; suorum Deo Emẽdicari ali-
quid a Deo. Offerri aliquid Deo non posse,
sine Dei memoria. Deniq; ejaculatorias ut
vocant Aspirationes in Deum fieri non
posse sine Dei memoria. Exerceantur istius
modi actus quinquies minimum aut decies
summum in diem: habebitur memoria præ
sentiæ Dei centies & amplius in diem: non
tantùm cum omnibus præsentiæ Dei com-
modis: sed etiam cum propriis ipsorum
illorum actuum emolumentis, animæ in
virtutibus profectu, apud Deum meritis.
&c. Ita mirò, sed verò modo: dum auge-
tur, minuitur labor: & dùm videtur memo
ria præsentiæ Dei reddi intricatior, effici-
tur expeditior, fructusq; cumulatior. Neq;
ampliùs in hac re inculcanda immoror, ad
experimentum remisisse, quemlibet conten-
tus.

Quartò vacabit. Exercitio Deũ
laudandi, amandi, magnificandi, &c. In
hunc enim finem omnia collimare, ac tan-
dem desinere etiam debent, quæcunq; in
hac vita aguntur à nobis omnibus & sin-
gulis, hæc est merces nostra pro omnibus
quæ agimus, & merces inquam, tam hujus
quam etiam (& quidem potissimum) illius
futuræ vitæ. Disertissime id David expla-
nat dicens: *Beati qui habitant in domo tua Do
mine: in sæcula seculorum laudabunt te*: de
hac verò præsenti vita loquens: sibi quidem
ipsi hunc finem omnium actuum præscribit
dicens. *Et exaltetur Deus salutis meæ.* Ac
iterum. *Benedicam Dominum in omni tempo-
re, semper laus eius in ore meo.* Neq; conten-
tus id solus agere, omnes etiam alios ad i-
dem agendum invitat dicens: *Magnificate
Dominum mecum: & exaltemus nomen eius in
id ipsum.* Ita sive hujus, sive illius vitæ in-
colæ simus, opus nostrum esse debet, finisq;
operum, & eorũdem summa, ultimaq; mer-
ces Deum laudare, exaltare, benedicere,
magnificare.

Qvamvis autem quisquis bene agit, o-
mninò laudat Deum: alioqui non benè a-
A gere convincitur, si quidem est laus cordis,
est & oris, est insuper & operis: nihilomi-
nus ad amatores, amicosq; Dei pertinet, cer
tis, statisq; tum vicibus, tum rationibus ac
modis in omni vitæ die, laudes Dei expres-
sas, explicitasq;, tam corde, quàm ore ef-
fundere. Exemplo est David, qui licet Regio
munere occupatissimus tamen, *septies in die
laudes dixit Deo:* neq; noctibus pepercit: sed
vel media nocte consurgebat ad confiten-
dum Deo, hortariq; non desinebat alios ad
id studij dicens: *In noctibus extollite manus
B vestras in Sancta: & benedicite Dominum.* Da-
videm imitatur universa Ecclesia Catho-
lica. Cujus filios, ac potissimum Religi-
osos, qui sunt specialior portio ipsius juxta
cujusq; statum & vocationem moribus Ec-
clesiæ, id est, Divinis laudibus insvescere
par est, Sed mihi in præsenti non hoc pro-
positum ut Tirones ad Dei laudem assiduã
ex mente Ecclesiæ, rituq; Religionis cohor-
ter, nam ego hoc magis præsuppono, quàm
hic suadeo, vel moneo: verum præter hoc
C quod ab altiore potestate ordinatum, præ-
scriptumq; habent, ad ampliùs aliquid in
laudibus Divinis conandum excito, mo-
dosq; suggero: temporum spatia ipsorum
fervori ac diligentiæ inveniẽda relinquens.

Primus ergo Deum laudandi modus, talis es-
se poterit. Collectos habere titulos Dei,
dignos Deo, eosq; affectu intimo & tenero,
& amoroso recensere Deo, compellarequè
illis Deum, & per eos, laudare, magnifica-
re, &c. v g, Deus meus, tu es Deus, tu es,
D qui es, tu es Deus in unitate Trinus, in Tri-
nitate Unus. Tu es Sapientissimus, Omni-
potentissimus, Optimus, Misericordissim9,
Amabilissimus, Beneficentissimus, Verissi-
mus, Veracissimus, Rectissimus, Simplicis-
simus. Infinitus, Immensus, Æternus, In-
comprehensibilis, Iustissimns, Pulcherri-
mus, Dulcissimus, Laudabilissimus, Dignis-
simus, Admirabilis, Omnia faciens, Om-
nia sciens, omnia videns, omnia gubernãs,

omnia

omnia continens, omnia replens, omnia excedens, omnia diligens, &c. hoc es tu Deus meus, talis es tu: similem non habes, alium nesciens, & non apponetur alius ad te, &c.

Secundus modus. Denuntiare atq; confiteri, quod omnes creaturæ obligatæ sint amare, laudare, magnificare Deum, invitareq; illas ad id præstandum v. g. Audite omnes creaturæ, sive quæ in cœlo, sive quæ sub cælo, sive quæ in terra, sive quæ in aquis sive quæ ubicunq; demum estis: spirituales, corporeæ, rationales, creatæ viventes, vita carentes audite & ad magnificandum Deum Creatorem omnium, à quo estis quidquid estis, convenite. Ipse fecit vos, & non ipsæ vos, laudate ergo Dominum de cœlis, laudate Dominum in excelsis, &c. Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & supe exaltate eum in sæcula, &c. Idem modus peragi sic potest: ut homo nominatim recensendo singulas creaturas, vel imperet illis, & earum cuilibet laudem creatoris, vel miretur segnitiem ejus in laudando Creatore, vel arguat accusetq; corã Deo, ejus moram, vel ejus impotentiam excusando, ipse pro qualibet suppleat.

Tertius modus. Confiteri quod neq; tu, neq; creatura ulla, neq; omnes simul dignæ sufficientesve sint dignè Deũ laudare, agere nihilominus gratias Deo, quod dignetur, quod velit, quod imperet, (idq; propositâ mercede aut pænâ æternâ) laudari à nobis, recipiatq; laudem hanc, tanquam summũ quid, &c. Orare illum ut doceat te & omnem creaturam, quomodo laudandus sit. Orare illum ut ipse sit laus & gloria sua adæquata sibi & digna se. Laudare illum ex hoc, gratulariq; illi, quod sit laus & laudator suus, quod tanta fecerit in laudem suam, &c.

Quartus modus. Sumere semetipsum, & imitari exhortariq; se ad laudem Dei: sumere autem se vel totum simul, vel per particulas, potentias, atomos omnes sui, imitando Davidem dicentem: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius:* Benedic caro mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, magnum nomen ejus. Benedic Ratio & Intellectus, & Iudicium meum Domino. Benedic voluntas & libertas mea Domino &c. Sicq; à planta pedis usq; ad verticem capitis, extremumq; capillorum, per omnes atomos suos faciat se homo laudem, laudatoremq; Dei, faciat se librum laudis Divinæ, faciat se populum laudantem Deum: eumq; Deo præsentet, v.g. dicens: Deus meus, ecce laudat anima mea, &c.

Quintus modus. Invitare omnes incolas, Civesq; cælorum: seu simul omnes, seu per partes, seu aliquos eorum ad laudandum Deum propter ipsius eminentiam, dignitatem, majestatem, Sapientiam, bonitatem,
A profusionem, beatitudinem, pulchritudinẽ &c, ordiendo, vel ab infimo Sanctorum ordine, procedendoq; usq; ad IESU Christi Humanitatem, vel ab hac ordiendo & descendendo per Beatissimam Virginem, ad Seraphinos, &c, usq; infimum ordinem Beatorum.

Sextus modus. Colligere Titulos seu perfectiones Dei, (juxta modum primum) & vel singulas, vel simul omnes assumere: atque propter eas Deum amare, mirari, venerari, laudare, exaltare. Congratulari Deo hæc
B bona ejus, gaudereq; de illis. Enarrare illa, tum ipsi Deo, tum omni creaturæ, tum omnibus particulis suis: explicando earum magnitudinem, plenitudinem, immensitatem, incomprehensibilitatem, pulchritudinem, æternitatem, efficacitatem, effusionem in creaturas, *Gaudere Deo*, quòd in eo futura sint hæc bona in æternum: Ita David. narrat terræ quod *Dominus regnavit:* jubetq; eam exultare, jubet lætari insulas multas, id est omnes, quæ multæ sunt. Nar-
C rat idem, quod *Deus induerit decorem pulchritudinemq́, quod se præcinxerit virtute.* Narrat idem quod *Deus sit Magnus Dominus, & Rex Magnus super omnes Deos, quod in manu eius sint omnes fines terræ, altitudines montium ipse conspicit, quod nos simus populi eius, & oves pascuæ eius &c.*

Septimus modus. Conferre vel potius contraponere sese Deo: ita ut ejus perfectionibus imperfectiones suas, & cuilibet perfectioni ejus infinitæ suam vicissim infinitam in eodem genere imperfectionem op-
D ponat: sicq; se miró modô exæquando Deo infinitè à Deo submoveat. qua ratione & se ipsum infinitè humiliabit coram Deo, & Deum infinitè exaltabit super se. V. g. Deus es tu, & ego tuus sum. Tu es Deus, ego autem sum non Deus, tu es, ego non sum, sicut tu es per essentiam, ita ego non sum per essentiam, sicut tibi est Essentiale & essentia esse ac existere: ita mihi est Essentia-

le &

le & Essentia non esse & non existere. Sicut tu es totum: ita ego sum nihil. Sicut tu es Ens à te, ita ego nihil & non ens à me. Tu esse tuum & omnia bona tua nulli debes, nisi tibi ipsi: ita ego meum, non esse & omnia mea non entia seu mala, nulli debeo, nisi mihi ipsi. Sicut tibi tuũ esse nemo auferre prævalet, ne tu quidem ipse. Tu es infinitus in esse: ego infinitus in non esse, tu es infinitus in Sapientia, Iustititia, bonitate, dignitate, Veritate, perfectione, ego sum infinitus in insipientia, in erroribus, ignorantiis, in injustitia, in malitia, in mendacitate, in indignitate. Tu Domine es Æternus in Esse, & in omni perfectione, ego item sum æternus in non esse, & in imperfectione, ac defectu. Quãtum tu Domine es, sive in Esse, sive in omni perfectione, puta in Sapientia bonitate, rectitudine, &c. tantùm ego sum in non esse, & in non Sapiẽtiâ non potentia, non bonitate, non rectitudine, immensus, interminatus, inexhaustus. Quantum tu Domine nihil de tuo Esse debes, tantum ego nihil tibi debeo de meo non esse, &c. Hic modus ut patet mistus est ex Dei exaltatione, & sui annihilatione: in quo tantùm Deus exaltatur super creaturam: quantùm vel se illi comparat creatura, vel ille comparatur creaturæ: & licet videatur esse aliquantum difficilis & obscurus, lumine tamen naturæ est notissimus. In hoc modo Deum laudandi videtur impleri aliud Davidicum dictum *Mirabilis facta est Scientia tua ex me, confortata est: & non potero ad eam:* Verè enim mirabiliter Deus noscitur, quod est ex eo, quod homo non est, & homo noscitur vicissim, quod non est ex eo, quod Deus est, vel noscitur homo, quod est ex eo quod Deus non est. Nec tamen homo potest ad eam quia exaltatur tota immensitate Divini Esse in sursum, tota autem immensitate humani non esse in profundum. Mirabilis etiam est ista scientia per hoc Deum laudãdi & exaltandi, seipsum autem abjiciendi & exinaniẽdi: quia ex una parte videtur poni Deus ex æquo cũ homine, & tamẽ infinitè ponitur supra illũ, & ex alterà parte videtur homo æquari Deo: & tamẽ infinitè deijcitur infra Deum. At enim hactenus satis sit indultum affectui vel impetui.

Octavus modus laudandi Deum esse potest mistus ex pluribus vel paucioribus modis sex superiùs positis. Hi omnes modi laudandi Deum (excepto fortè septimo) possunt esse usui Tironibus, sive sæpè, sive interdum, sive temporibus longioribus, sive brevioribus: ut per eos discant tenerius affici ad Deum: & de ejus dulcedinis plenitudine aliquando gustare: & habeant modos utilitatis juxta, ac suavitatis plenos, quibus vacua tempora occupent: fessos animos lactent, ingredianturq; in potentias Domini: incipiantq; consvescere hoc agere nunc in terris quod acturi sunt æternaliter in cælis: A & ad quod unum solumq; factitandum, & ab æterno electi, & in tempore creati sunt, ex munificentia Dei creatoris. Cui etiam usui deservire poterunt Exercitia, quibus concluditur præsens hic, ultimusq; anni Mensis, atq; adeo totus Annus.

Quintò vacabit. Exercitio sanctæ in bono Perseverantiæ. Dico, in Bono: nam hoc nomine complector 1. Bonum Vocationis Religiosæ & perseverantiam in statu vitæ Religiosæ. 2. Bonum vitæ Sanctæ & in Gratia Dei amicitiaq;: non enim B sufficit status vitæ sanctus, nisi adsit ipsa vita Sancta: sicut non est satis obligari ad bonam vitam, nisi re ipsa exequaris bonam vitam, benè sanctèq; vivendo. 2. Bonum perpetuæ ad perfectam vitam per opera virtutum solidarum tendentiæ usq; ad mortem. In his omnibus triplicibus bonis perseverandum est omni Religioso, & perseverantia jugiter est exercenda: ejusq; exercitium, vel maximè Tironibus tenendum, fovendumq; usq; ad finem, atq; à fortiori ediscendum ab initio vitæ Religiosæ. Quãvis autem Donum finalis perseverantiæ in C Gratia Dei, sit mera & pura gratia Dei: usquè adeò ut in meritum non cadat: non excluditur tamen humana cooperatio & dispositio, ad hoc ut quis perseveret in finem in bono: imò hic conatus requiritur: & excitamur in sacris literis ad eum habendũm. Cur enim toties ipse Dominus IESUS repetit in suis sermonibus illud: *Qui autem perseveraverit usq; in finem* D *hic salvus erit.* Et rursus in Apocalypsi: *Esto fidelis, usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et ibidem malum denuntiatur cuidam: *quod non invenirentur eius opera plena coram Deo,* quæ ideò confirmare jubetur, ne moriantur. Similiter alibi Spiritus Sanctus denuntiat: *Væ his, qui amiserunt sustinentiam.* Licet ergo Perseverantia seu continuatio boni, usq; ad vitæ finem non cadat in meritum, sed est purum Dei donum, ut dixi, tamen habemus in manibus media ac modos

quibus hanc continuationem boni obtineamus à Deo. Inter quos modos est Oratio ad Deum pro perseverantiæ dono. Cum enim homo etiã in Gratia ac amicitia Dei constitutus, imò etiam valde Sanctus & perfectus, & diu in amicitia Dei versatus: per hoc tamẽ non desinat esse infirmus & labilis pronusq; ad lapsus & instabilis, sed de eo potest dici *Omnis homo mendax:* id est mutabilis & incõstans: item *Homo nunquam in eodem statu permanet*. proinde posita in homine, quantumlibet magna habituali gratia & amicitia Dei, indiget adhuc homo auxilijs actualium gratiarum, illuminationum, permotionum, aliorumq; similium per quas à Deo homo vel præservetur à tentationibus peccandiq; occasionibus, vel dirigatur in tentationibus occasionibusq; labendi, vel illuminetur in ignorantijs dubijs, erroneisque, vel corroboretur in fatigatione & labore, & molestijs & diuturnitate tam operandi, quàm resistendi, vel oblectetur in amaritudinibus & tristitijs ac tædiis tam internis quæm externis, tam in mente quam in carne affligentibus ut eas libeter propter amorem Dei suamq; salutem supportet &c, vel etiam exclusis his omnibus hominem ad lapsum impellentibus, tamen ipsum hominis quantumvis sanctissimi liberum arbitrium, ex sese vertibile, de bono in malum, & peccare etiam absq; tentatione aptum, conservetur immobiliter in amore, complexu, prosecutioneq; boni atq; continuatione illius, usq; ad mortem. Quod totum non fit à gratia habituali hujus vitæ: sed fit per specialia actualia auxilia Dei gratiæ. Quæ consistunt in piis opportunisq; cogitationibus intellectus, affectibus voluntatis, tam inflammantibus quàm delectantibus eam, opportunè à Deo &c, suggestis, datisq;, in cujus potestate sunt corda nostra, & cogitationes nostræ & volitiones nostræ. Non enin sumus sufficientes cogitare aliquid (pium) ex nobis tanquam ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est. Ad has ergo actuales gratias, ad has pias cogitationes & affectiones, ad has directiones in tentationibus præsentibus, ad has præservationes ab absentibus nos dispo nimus Deo, varijs modis.

Ac 1. *Cognitione* & confessione cordiali, insufficientiæ nostræ ad omne bonum, & opus supernaturale inchoandum & volendum consequenter, & ad continuandum perseverandumq; in eo.

2. *Cognitione* & confessione Indigentiæ, Gratiæ Dei auxiliantis, ejusq; exaltatione, & omnium in eam refusione.

3. *Emendicatione*, & postulatione ejusdẽ Gratiæ auxiliantis à Deo, ad omnia & singula, maxima & minima, prima & ultima bona saluti nostræ servientia, tam inchoanda, quam agenda, quàm etiam in finem deducenda, continuandaq;, quod est orare ut perseveres in bono.

4. *Cooperatione voluntariâ* & liberâ cum gratijs Dei, quæ cooperatio fit per agnitionem & susceptionem, executionemq; inspirationum bonarum à Deo quibuslibet occasionibus, locis, temporibus, juxta ejus placitum) dari solitarum. Item per vitationẽ peccatorum, etiam venialium, etiam minimorvm, etiam imperfectionum. Item per frequentationem & susceptionem bonorũ operum, præsertim unicuiq; ex vi status ipsius præscriptorum incumbentiumq;: præsert m operum pietatis, ut sunt Orationes, Meditationes, Lectiones Spirituales, usus Sacramentorum, Pænitentiæ, Eucharistiæ, Usus Reflexionum, Examinum, Recollectionumq; Consilia item & colloquia Spiritualium Patrum. Item per mortificationem carnis & sensuum, sed maximè passionum, voluntatis quoq; & Iudicij item per usum Elevationum mentis ad Deum, Orationumq; ejaculatoriarum: &c.

5. *Gratitudine*, & gratiarum actione, pro beneficijs Dei eorumq; meditatione: ex qua nascatur fervor & promptitudo animi ad libenter serviendum Deo, faciendaq; opera bona, strenua, heroica, humiliantia & mortificantia hominem, potissimum in honore & amore proprio.

6. *Timore Dei* casto filiali, quo homo nihil negligat: non sit securus, non se exponat occasionibus, non negligenter agat, nõ sibi fidat, sed potiùs satagat, ut per bona opera, certam & firmam vocationem, & electionem suam faciat. *Hæc enim faciens non peccabit aliquando: sed abundanter ministrabitur illi introitus in Regnum æternum Domini Nostri & Salvatoris IESV Christi*: uti loquitur imò promittit Apostolus Petrus, cujus hæc verba sunt.

7. Curâ cordis sui, præsertim ab Imaginationibus, & phantasijs, cogitationibus

etiam

etiam inutilibus, & indifferentibus. Item ab Evagatione sensuum & libertate. Item à garrulitate & inutili conversatione atquè collocutione. *Item* à gulositate, & ab indulgentia carnis in cibo potu, somno, otio, curiositate. *Item* ab Inordinatâ vita in actionibus ordinarijs. *Item* à multitudine curarum & occupationum, etiam utiliũ, magis verò superfluarum. *Item* à censuris inquisitione, discussioneq; alienorum morum: quâ vel maximè homines pij, mereri solent à Deo abjici, & tentationibus objici in eisq; deseri, ut discant non judicare alienos servos, sed attendere sibi, & suam fragilitatem nosse, timere, experiri.

8 Constantia & fervore in operibus bonis & sanctis, studioq, excellentium, & ex omni parte perfectorum operum, cum minimarum etiam perfectionum obscuratione. His talibus, similibusq; studiis, mediis, modis, conatibusq; obtineri debet, & solet à Deo, gratia perseverantiæ finalis in bono: Etenim supradictis studijs homo impetrat sibi, disponitq; se valdè & ferè semper ad auxilia Divina actualia, in omni necessitate habenda à Deo, cum quibus perseverantia in bono advenit. Siquidem per hæc quantum, per hominem fieri potest, impedit ille in se illam mutabilitatem, corruptelamq; tam carnalis, quàm spiritualis suæ naturæ: exhibetq; se Deo aptam materiam, & paratam tanquam artifici, efficiturque facilè mobilis tactui Spiritûs Sancti, & gratum habet Deus peculiarem & assiduam gerere curam talis animæ, tum per se ipsum, tum per Angelos Sanctosque suos, quod nequaquam facit Deus cum negligentibus suam voluntatem, fraudulenterque se gerentibus in suo, id est, Divino obsequio. Sicut enim isti negligenter tractant Divina obsequia, ita etiam Deus negligens est, ad eorum auxilia, & sicut illi parvi faciunt defectus committere in cultu Dei, sic Deus parvi facit illorum obsequia & cultum, imò parvi facit illorum, ruinas & pericula, & sicut illi facilè se exponunt occasionibus peccatorum, imperfectionum, distractionumq;, ita Deus illos facilè in eis deserit, labiquè & in eis, & post eas in graviora sinit, & sicut illi facilè de se multum, de aliis parum, præsumunt, illisque se præponũt, ac meliores judicant, eorumq; facta & errata graviter censurant: ita facilè à Deo deseruntur in sua superbia, efficiunturquè deteriores his, quos damnare, & infra se ponere ausi erant, talibusq; vijs occultis, sed justis à perseverantia in bono excidunt.

Ex dictis manifestum evadit, & quam necesse sit, ut se omnes Dei famuli, ac non tantùm Tirones, sed etiam summè veterani atq; perfectissimi (imò, si rectè dicta expendantur, hi maximè) exerceant in perseverantiâ, propositoq; non deficiendi à bonis inchoatis, & quibus id modis tum præstare, A tum à Deo postulare, tum ad obtinendum se idoneos coram Deo reddere possint. Tiro quidem Religiosus semper & desiderabit, & proponet & à Deo supplex postulabit assiduò, assiduam constantem finalemq; in statu Religioso, in perfecta vita, in gratia & amicitia Dei, in operibus Sanctis, perfectisq; continuationem, permansionem, perseverantiam. Inchoatum semel Dei obsequium, bonorumq; ac perfectorum operum exercitium: semper continuabit, semper etiam augere curabit: & si non poterit B perfectiora, saltem perfectiùs operari studebit. Fugiet peccata omnia omninò: imperfectionesq; diligenter, tam minimas, quàm maximas. Nunquam, & nihil suis viribus confidet: sed intelliget se nihil per se posse; à Deo sibi non auxilium aliquod, sed abjectionem deberi propter suam vilitatem & malitiam, tepiditatem &c, proinde semper ne proijciatur à facie Domini timebit, postulabitquè. Ab ubere Nutricis omnium (ut eam Sapiens vocat) gratiæ tã C quam infantulus lactens pendebit, sine eâ nihil poterit, sine ejus auxilio nihil tentabit, eam semper invocabit; in ejus sinu, & curâ tãnquam infantulus apud Nutricem Matremvè conquiescet, illi omnia adscribet, pro omnibus gratias aget: illam exaltabit se autem abjiciet inq; nihilo suo, & abysso insufficientiæ suæ sepeliet. Fervebit semper in omnibus Dei obsequiis, & minutis etiam privatis, & nemine conscio factis, etiã in humanâ opinione vilissimis Hor- D rebit & totis viribus fugiet præsumptionem de se, censurationem aliorum, securitatem, inconstantiam, tepiditatem in Dei obsequio, si enim contẽpserit Deum contemnetur & ipse, abjicietur scilicet in fœdas cupiditates suas. Nullam occasionem prætermittet Deo placendi, in virtute proficiendi, gratiam & merita cumulandi, Deo se humiliandi, & veluti adulandi, omnes proximos sibi præferendi, se se contemnendi; ta-

di: talibus enim hostiis promeretur Deus: talibus inquam modis efficiet, ut Deus etiã nulla in occasione illi desit, sed eum ubiq; scuto veritatis suæ circumdet: & nec in vitâ, nec in morte, nec in prosperis, nec in adversis eum à se separari sinat. Cavebit inconstantiam & mutabilitatem suam sibi innatam, ob idq; Deo adhærebit semper, ut cum æterno immutabiliq; Deo. ipse quoq; immutabilis efficiatur. Bona quæ inchoabit perficiet: Mala quæ impugnare incipiet, non desinet, neq; convertetur donec deficiant, & subtus pedes ejus cadant. Proposita, & servabit in animo, & perficiet in opere, neq; imperfecta deseret, sed his cõsummatis, alia excelsiora cum se offerent aggredietur, & pari constantiâ perficiet. Dabit operam, ut intelligat Dei placitum semper: utq; intellectum affectu, affectum effectu adæquet: fiatq; *servus sciens, & faciens voluntatem Domini sui:* Quidquid alicui optabit vel suadebit faciendum, prior ipse faciat, ut quod voce faciendum docet, opere ipso esse factibile demonstret. Fidelis sit Deo, & omnia illi refundat ad novissimum quadrantem bona: sibi verò mala omnia tanquam auctori & hæredi naturali adscribat. Patiendi materijs, & occasionibus, & desideriis, & actibus tanquam pane quotidiano vescatur: nec in hoc delectũ faciat ullum, sed omnia de manu Dei venientia certa fide credat, indubitatâ evidentiquè scientiâ nôrit. Vanam gloriam, omnemq; humanam laudem, approbationẽ, amorem, favorem, tanquam mortua statua audiat & excipiat, & avolare à se sinat, Deo illam plenè remittendo, in se verò nec sensum, nec notitiam illius sentiendo, ferendoquè. Defectus suos omnes quotidiana & citâ, & severâ castigatione puniet, emendatione corriget, cautelâ & timore, Divinæ severitatis vitabit, & non tantum pœnas temporales hujus vel alterius vitæ, sed multò magis pœnas Spirituales (quæ sunt Divinæ desertiones, auxilijq; specialis subtractiones, tentationum permissiones, &c.) culpis quotidianis promeritas, diligentiâ omni, contritioneq; cordis, & balneo Christi Sanguinis expiabit.

Deniquè (ut aliâ quæ ex his colligi possunt omittam) ne unquam à perseverantiâ excidat, assiduè timebit, & humillimis, obstinatissimisq;, tam ad Deum, quàm ad Christum Dominum, quàm ad Beatissimã Christi Matrem, quàm ad Sanctos omnes, præcibus assiduò fusis, à Deo impetrare studebit. Omnia enim alia nihil proderunt homini: si perseverantia conclusa non fuerint. Quemadmodum nihil prodest diu benè cucurrisse, ante metam autem, & finẽ A viæ defecisse, nec pervenisse, quemadmodũ nihil prodest mercatori, navi onusta integraquè, vel ad usq; ipsum portum navigasse: in portu verò naufragium fecisse: ita nihil prodest inijsse bonum vivẽdi, & statum & modum, multa bona opera fecisse, multã gratiæ dona, meritaq; comparasse: si in fine omnia corrumpas, non perseverando, sed in portu naufragando. Omnis, maxima, longissimaq, perfectio vitæ, sanctitasq, morum, & thesaurus gratiarum in nihilum redigitur: si tandem perseverantia destitui- B tur. Finis, seu perseverãtia, coronat omne opus; omnemq; vitam bonam. Qui perseveraverit in finem, hic salvus erit: clamat Veritas, ergo qui non perseveraverit in finem, salvus non erit: concludit ejusd m Veritatis æquitas. Itaq; quantum salutem, tantùm & perseverantiam quærere, curare: elaborare, emendicare oportet.

Finem facio & Exercitio & Mensi, & Anno huic, exhortatione Sanctissimi Martyris Cypriani, ita dicentis: *Hortamur vos* C *per Communem fidem: per Pastoris nostri veram circa vos & simplicem charitatem: & gloriam vestram,* (Vocationem, scilicet vitamq; sanctam in Religione) *forti & perseverantii virtute teneatis. Adhuc in sæculo sumus, adhuc in acie constituti de vitâ nostrâ quotidie dimicamus, danda opera est, ut post hæc initia ad incrementa quoq; veniatur, & consummetur in vobis, quod iam rudimentis felicibus esse cœpistis. Parum est, adipisci aliquid potuisse: plus est, quod adeptum est, posse servare, sicut & Fides i-* D *psa, & nativitas (in Baptismo) salutaris, non accepta, sed custodita vivificat. Nec statim consecutio, sed consummatio hominem Deo servat. Dominus, hoc Magisterio docuit dicens:* Ecce sanus factus es, jam noli peccare, nequid tibi deteriùs fiat. *Salomon deniq; & Saul, & cæteri multi, quamdiu in viis Domini ambulaverunt datam sibi gratiam tenere potuerunt: recedente ab his disciplina Dominicâ, recessit & gratia.*

CON-

CONCLVSIO

EXercitijs primi Anni Novitiatûs, quibus Tirones non inutiliter vacare videntur posse, si cum Divinâ gratiâ operari voluerint, hîc jam finis est impositus: essetq; jam ad secundum Annum probationis juxta morem Societatis nostræ, gradus faciendus, sed ab hoc labore modò supersedemus, ob rationes fortaßè alio loco afferendas. Nunc anno huic coronidis loco attexere placet pauca quædam mentis & spiritûs Exercitia, quæ servire poßint Meditationi, & consequenter inflammationi cordis, sive alioqui bene calentis, sive etiam forsitan ex usu quotidianæ vitæ, conditioneq; naturæ nonnihil tepentis, sive etiam Deo liberiùs pleniùs per otium non sine varietate, nec sine utilitate, ac jucũditate inhærere fruiq; volentis.

Quæ Exercitia, etsi provectioribus videri poterunt non necessaria, utpote habentibus exercitatos intellectus, & jam Tironum metas trãsgreßis: attamen Tirocinium adhuc decurrentibus, tam non inutilis erit eorum propositio, quàm non obvia, nec facilis marte proprio inventio, quàm etiam fructuosa non absurdè forè creditur exercitatio.

EXERCITIUM I.

STatuè, imò proijce te corde & animâ, (nam sæpè corpore non licebit) ad pedes Eminentissimæ Dei Majestatis: & illic omnia tua peccata, omnes miserias, pericula, necessitates naturales, personales, spirituales corporales, temporales & Officiales, infirmitates quoq; ac dubia, erroresq; ac ignorãtias cõfitere, expone, ostẽde: dolẽs & erubescens de illis tanquam displicẽtibus Dei Majestati, eamq; offendentibus. Ac totâ substantia tua corporis & animæ universalem planctum fac, deprecans Dei immensam præsentiam, dignitatem, bonitatem, charitatem, quàm offendisti, justitiã, quàm provocasti, Misericordiam quàm repulisti, voluntatem, quam contempsisti, &c. Ac veniam posce tanquam David, tanquam Magdalena, tanquam Petrus, tanquam Latro in cruce, &c. Emendationemq; propone: incipe, perseveranter perfice.

EXERCITIUM II.

ASsume Vitam IESU Christi: vitãq; tuam, & ob oculos tuos ponens, utriusquè comparationem instituè: & videns evidenter quàm infinitè tua curvitas distet ab ejus rectitudine atq; sanctitate: imple faciem tuam ignominia, reple animam dolore: & constituè deinceps abhinc in omnibus operibus vitæ tuæ, ad vitæ IESU Christi rectissimum Exemplar te conformare,

EXERCITIUM III.

PAssione Domini tui, Salvatorisq; IESU Christi, (vel totaliter sumptâ, vel partialiter) tanquam penetrabili & ancipiti gladio vulnera cor tuum, & sub Cruce pendẽtis Dei tui pro te, imò & à te: sta, lachrymis, & dolore plenus: dolens de tantâ acerbitate dolorum & mortis ejus, admirans adeo effusam bonitatem, charitatem, liberalitatem

litatem, redemptionem, patientiam, mansuetudinem, humilitatem, obedientiam, constantiam ejus, innumerasq; alias, & superheroicas virtutum actiones: atq; offerre illi ad patiẽdum cum ipso, & pro ipso, omnes passiones, contẽptûs, miseriasq; ad imitandum quoq; omnes virtutes ejus, &c.

EXERCITIUM IV.

CORam IESU flagellato, illuso, damnato, crucifixo, passo, mortuo, te ipsum statue: tanquam auctorem & reum omnium injuriarum, & cruciatuum, & mortis, vulnerumq; illius. Statue te Christo, Iudam proditorem, lictorem ligantem, Petrum abnegantem, Caipham adjurantem, militẽ colaphizantem, Iudæum calumniantem, Herodem illudentem, Pilatum morti adjudicantem, carnificem flagellantem, spinis coronantem, Cruce onerantem, felle, acetoq; potantem, Crucifigentem, Sanguine Christi madentem. Statue te Christo, ut latronem, qui Christum spoliatum, nudatum, plagis impositis oneratum, non semivivum, sed planè enecatum, reliqueris. Statue te tanquam feram pessimam, quæ devoraveris Filium Dei, & Virginis. Statue ut leonem, ursum, canem, lupum rabidum, rapacemq;, qui Agnum Dei laniaveris, teq; ejus sanguine & visceribus sagi-naveris.

Trade te ultro ipsi ad omnia vindictarũ genera de te sumenda: neq; pete misericordiam, quâ indignus es, sed petes justam ultionẽ de te sumi, vel in ipsis inferni pœnis. Modò tamen gratiam suam tibi restituat, & ne peccata tua, peccatis, & irâ suâ plectat.

EXERCITIUM V.

COngrega in unam, vel potiùs per Classes distribue, omnia innumera & maxima bona beneficiaq; à Deo in te sive communiter cum omnibus creaturis, sive simul cum pluribus, sivè seperatim, ac peculiariter, tibi collatis, sivè ea sint naturæ, sive gratiæ, sivè gloriæ: sive præterita, sive præsentia, sive futura, sive in collatione bonorum, sive in subtractione, condonatione, præservatione malorum posita: sive per se, sive per Angelos, sive per homines, sive per quamcunq; creaturam, facta sint. Æstima illa quàm maximè.

Prædica illa, & authorem illorũ, age gratias pro illis: indignum per omnia te judica, & fatere illis; excita te ad amorem & æstimationem, & laudem, & observantiam Authoris, & fontis illorum: Totam substantiam, tuam internam externamq; effunde in gratiarum actionem, & laudem pro illis. Confitere abusum illorum, defle, veniamq; supplex postula, gratiamq; illa conservandi, augendi, bene & in gloriam largitoris, & utilitatem proximi, & tuam, &
A omnis creaturæ efflagita.

EXERCITIUM VI.

INflammatus & ignescens charitate Dei quàm incensissima: illum in omni creatura, minima, & maxima, in omni loco sũ, premo & infimo vestiga, quære, odora, agnosce, apprehende, honora, lauda, admirare, gusta, amplectere, vestigiis ejus advolvere, charitate illius, ampliùs & am-
B pliùs ignescere, inflammariq;, conare, satage. instarq; maximi cujusdam ardentis clibani, instar Seraphini, quem in ardentissimum suî amorem condidit Deus, Supremi, totus in ignem, in flammam, in ardorem charitatis convertere: hancq; scintillam dilectionis tuæ in Deum, Oceano charitatis illius, qua Deus ipse est, immitte, immisce & inibi perde.

EXERCITIUM VII.

C REcogita & expende diligenter in Deo, immensam ejus dignitatem, majestate, perfectionem, pulchritudinem, potestatis, & dominij tam super te, quàm super omnẽ creaturam, plenitudinem & absolutionem. Sapientiam inscrutabilem, bonitatem, profusionemq; inexhaustam &c.

Atq; in his Dei immensis bonis demerge tuam animam, rationem, mentem, voluntatem, memoriam, libertatem, sensus, affectiones, partes, vires, actiones, totam denique substantiam, illamq; ad infimam, ad
D profundissimam, ad abyssalem reverentiã, ad ignitissimam dilectionem, ad altissimã exaltationem, ad plenissimam subjectionẽ, excita, assuefac, & exerce, imò totam in ea occupa, insume deperde.

Neq; solum hoc, cum tuâ fac substantia propria: sed etiam totius mundi omniumq; ac singularum creaturarum entitates, partes, vires, operationes consimili ratione in Dei bonis immensis absume, expende, ex-

hauri

hauri: totis omnium creaturarum viribus, & essentiis Deum, ejusq; perfectiones agnoscendo, stupescendo, admirando, pererrando, exaltando, dilaudando, diligendo, concupiscendo, degustando.

EXERCITIUM VIII.

EXpede inscrutabilem & incomprehensibilem abyssum Iudiciorum & Decretorum Dei super te, super homines, super alias creaturas super Angelos, super Pretiosissimam Dei Parentem, Virginem Mariam, super dignissimam ipsius Christi humanitatem.

Penetra & cōfige cor tuum casto, filiali, Spirituali timore; atq; te humilia & deijce quàm potes abyssalissimè, nec non sincerissimè sub omnipotenti manu Dei: quoniam terribilis est in Consilijs suis super filios hominum, superq; omnem omnino creaturam.

EXERCITIUM IX.

TRansfer te mente in cœlum, & transi in locum tabernaculi admirabilis, usquè ad Domum Dei: Regniq; ac Regionis illius statum undequaq; felicem & beatum considera. Fac tibi exosam vitam & præsentē, & mundum hunc immundum. Despice bona illius plena vanitatis, mutationis, corruptionis, sordium, deceptionum, periculorum, laqueorum, tentationum, peccatorum.

Tædeat te incolatûs hujus: tædeat animam tuam vitæ præsentis. Concupiscat dissolvi, & emigrare ex hoc luteo, viscoso, mucido, putridoq; habitaculo, & esse cum Christo, & cum Deo in Unitate Trino, cū Sanctis ejus in æternum: aspirans & anhelans iterat s & repetitis vicibus, toto cordis & corporis conatu, &c.

EXERCITIUM X.

EX D. Bernardo Penetrandi sunt cœli Sancti, vivi, rationales, qui enarrant gloriam Dei, qui favorabili quadam pietate, nostris se votis libenter inclinant, ut sinuatis ad tactum nostræ devotionis, affectibus in sua nos recipiant viscera charitatis, quoties digna ad eos intentione pulsamus, pulsanti enim aperietur. Licebit itaq; unicuiq; nostrum, hoc tempore nostræ mortalitatis, cavare sibi quacunq; parte volet cavernas supernæ maceriæ: nunc quidē Patriarchas revisere, nunc verò salutare Prophetas, nunc Senatui immisceri Apostolorum, nunc Martyrum admirari triumphos, eorum coronas suspicere purpureis rutilantes floribus. Nunc Virginum inseri choris, & redolentes lilijs cœtus admirari, atq; ad mellifluum novi cantici sonum quantum prævalet infirmitas cordis erigere
A auditum. Stupere etiam pulcherrimos ordines Angelorum, & Beatarum mentium status & mansiones, à minimo Angelo, usq; ad Cherubim & Seraphim tota mentis alacritate percurrendo lustrare, prout suaquéque devotio feret.

Post hæc verò humiliter prosternere cor ante thronum Dei & Agni. Delectatur quippè istiusmodi cavernis Deus: è quibus sibi vox resonat gratiarum actionis, vox admirationis, ac laudis, vox gemituum, &
B petitionis Felix mens, quæ sibi in hac materia, frequenter cavare studuit. Sic quippe peregrina anima, & exulans, sacris meditationibus, tanquam cælestibus pascitur bonis: Dei beneplacitum & mysteria voluntatis ejus inquirit & agnoscit, penetrat etiam devotione cœlos, ut dicere possit, Hæc requies mea, hic habitabo, quoniam elegi eam.

EXERCITIUM XI.

C COnsidera viscera Dei bonitatis, miserationis & charitatis: tam tibi, quàm omnibus alijs, qua amatoribus, qua peccatoribus: semper patentia ac parata. Exhilara hoc spectaculo cor tuum, totamq; essentiam tuam: ac eam lætitia, dilectione, admiratione, gratiarum actione, jubilatione, desiderio Dei liquefac: & in Deum infunde, in eoq; totaliter sepeli, & æternaliter perde.

D EXERCITIUM XII.

COllige in cumulum omnes necessitates, indigentias, miserias, errores, cæcitates, pericula, molestias, gravamina, angustiasq; tuas, sive ad animam, sive ad corpus, sive ad personam, sive ad statum, sive ad officium tuum pertinentes: & eas sigillatim coram oculis Divinæ Majestatis, tanquam coram Patre, Tutore, Patrono, Domino, Benefactore,

ctore, Medico beneficentissimo, simul & Sapientissimo, potentissimoq; propone, & expone: ab omnibus, singulisq; subsidium, defensionem, consilium, benedictionem, directionem posce. Cum humillimâ, sed simul robustissima fiducia & spe, in bonitate, & providentia Dei, juxta suavissimum gustum, sanctissimæ voluntatis ejus.

EXERCITIUM XIII

AD supradictum modum collige in unũ, & ante oculos Dei, congrega omnes necessitates, angustias, pericula, difficultates, conatus, miserias, alienas: puta, Totius creaturæ ac mundi, totius generis humani, totius Ecclesiæ Dei, totius Christianitatis, totius Regni, totius Religionis seu Societatis, totius Provinciæ, Domus, Domesticorum, Externorũ, superiorum, subditorũ, Benefactorum amicorumq; inimicorũ, malefactorum tuorum privatorum, vel cõmunium, sanguine, & Spiritu conjunctorum, Iustorum, Peccatorum, incipientium Deo servire, Proficientium, perfectorum, Tuæ curæ commissorum vel Orationibus tuis commendatorum, animarum purgatorij: & omnium pro quibus te orare Deus vult.

Horum omnium necessitates &c. Deo commenda, præsenta, auxilium, misericordiam, benevolentiam posce, cum omni instantia, fiducia, humilitate, resignatione, in Dei voluntatem & gloriam, porximorũque bonum.

EXERCITIUM XIV

REcognosce & considera Deum esse originem rerum omnium: & quod ab illo tanquam à mari omnia promanent. Qui tamen non habet debitam & condignam à suis Creaturis gloriam, subjectionem, gratiarum actionem, dilectionem: partim, quia creaturæ sunt irrationales, partim quia malitiosæ & ingratæ: magisq; creaturæ alteri, quàm Creatori Deo inhærentes.

Tu ergo hæc videns, zeló zelabis pro Domino Deo tuo: & hanc injuriam honoris, gloriæ gratitudinis, dilectionisq; Divinæ pro tuo modulo totis viribus tuis, atq; toto te compensare studebis, atq; compensabis, agnoscendo, prædicando, laudando, gratias agendo, honorando, exaltando, amando, obedientiam & subjectionem, exhibendo, nomine tam tuo, quàm omnis creaturæ irrationalis, & ingratæ.

EXERCITIUM XV.

EXpẽde innumerabiles numero & specie miserias tuas, tam ex parte corporis, quàm ex parte animæ, in quas tu ex innata nihilitate, vilitateq; tua propendes ac tendis: A immani & invincibili totius non tam naturæ, quàm nihili, non entitatisque tuæ pondere, ac impetu, in ruinam, præcipitiũ, corruptionem, peccatum, exiliumq; continuò te trahente ac præcipitante. Alterà ex parte attende Deum te à ruina & exitio, & nihilo tuo sine ullâ interruptione, cessationeq, retinentem, extrahentem, conservantemque ex infinita, invincibili, infatigabiliquè suâ super te, quantumlibet vilem, miserum, ingratũ, indignumq; miseratione. Non secus (imò infinities incõ- B parabiliterq; amplius) quàm materinfantuli lactẽtisq; sui omnes morositates, infirmitates, defectuositatesq; supportat & supplet infatigabili amore, & affectu.

Agnosce & cõfitere hanc Dei tui circa te ineffabilem infatigabilemq; curam, nutricantemq; manum. Et incensus amore, adeò viscerosæ, semperq; tibi paratæ & profusæ charitatis Divinæ: projice te in hæc viscera bonitatis, liberalitatis, miserationis, providentiæ, charitatisq;: in eorumq; C ignitis abyssis te sepeli, atq; combure: & in Deo ejusq; amore. te per tuum, illiusq; mutuum amorem annihila. Hoc ipsum poteris facere, cùm omni & pro omni prorsus creatura.

EXERCITIUM XVI.

COnstitue, vel te, in conspectu Fratrum domesticorumq; tuorum, vel certè illos in conspectu tuo: atq; te cum, omnibus co- D ramq; omnibus, & maximè coram Deo cõferens in omnibus & singulis agnosce, in quo ab eis supereris Intuere unum singularis abstinentiæ, alium admirandæ patientiæ, alium autem summæ humilitatis, aliũ lenissimæ mansuetudinis, alium visc erosæ misericordiæ, alium obsequentis pietatis, istum in contemplatione frequenter excedere Deo, hunc pulsare cælos orationum instantia: illum ditissimæ paupertatis, hunc candi-

candidissimorum morum, & simplicitatis fallere nesciæ, istum obedientiæ robustissimæ, illum in labore infatigabilem, hunc zelo salutis alienæ æstuantem; istum zelo honoris Dei tabescere, hunc obstinati ad proficiendum magis ac magis in virtute studiis: istum pœnitentiæ operibus, hunc passionum mortificationi, hunc affabilitati, & dilectioni fraternæ, hunc observantiæ regularum, alium rigidæ disciplinæ, alium teneritudini conscientiæ, aliũ stricto silentio, alium vigilijs, alium spirituali lectioni, alium cultui Beatissimæ Matris Dei, hunc Sanctorum honori, hunc auxilio animabus purgatorij ferendo, illum misericordiæ in egenos exercitio, istum paci & unioni animorum conservandæ, alium observationi Superiorum, alium venerationi omnium, alium compunctioni cordis, alium memoriæ præsentis Dei, alium Sui ipsius contemptui, odio, persecutioni, & oblivioni, aliũ deniq; aliorum bonorum studio, exercitioq; deditum, & cœlestibus charismatibus præditum.

Amplectere, agnoscere, venerare, mirare, lauda, ama, hæc omnia, in omnibus. Deumq; fontem & datorem exalta ex omnibus, & age gratias pro omnibus. Te ipsum subjice, & humilia omnibus: Imitari propone, ut satage omnes: Omnia hæc bona esse in te, crescere, perseverareq; tam in te, quam in omnibus, postula à Deo humilibus, & assiduis precibus. *Hæc cogitatio tollit extollentiam oculorum, conciliat gratiam, Sponsi saltibus præparat*, in humilitate conservat, modestiam docet, amorem, charitatemquè mutuam accendit, fervorem spiritus exsuscitat. *Vide Bern: serm: 54. in Cant.*

A

EXERCITIUM XVII.

EGressus ex hoc terrestri domicilio, corpore scilicet tuo, construe animo & mente cœleste quoddam palatium, pluribus mansionibus distinctum. In una aliquâ mansione collocabis S. Patrem Nostrum IGNATIUM, in alia S. Franciscum XAVERIUM, in alia aliaq;, alium aliumquè Sanctum, quem aut Ecclesia in præsenti co-
B lit, aut tu peculiari studio honorare disponis, vel soles. Eminentiore loco statues Pretiosissimam Parentem: Eminentissimam mansionem dabis Sacratissimæ Theandricæquè IESU Christi Domini Nostri humenitati Sanctissimam Trinitatem nullâ mansione circumscriptibilem in immensitate suâ collocabis.

Post hæc per Sanctorum mansiones incedens: cuiq; suas preces & supplicationes
C offeres: honores & venerationes, aliosque affectus exhibebis, expones necessitates tuas, animi, angustias, tentationum laqueos, virtutum studia, cælestium donorum appetitum, fideliter enarrabis. Et sic tamdiu eos apud Deum, pro te Oratores adhibebis, donec Divina tibi munera impetraverit. *Vide tom: 1. Ann: Capu. 1575. folium 784.*



NOVELLUS RELIGIOSUS
SEU
DE VITA NOVELLORUM RELIGIOSORUM
Postquam emissis Votis, *Ad Collegia veniunt.*

PRÆFATIO



Omnibus Religionibus hoc curæ est: ut Novi Religionis Filij etiam post Professionem, votaq; facta non continuò cæteris omnibus permisceantur: sed tantisper aliquot per menses aut annos separati à Veteranis Religiosis vivant: sicq; sensim in virtute, in spiritu, & disciplinâ maturescant. Gravissimas justissimasq; habent rationes ejus separationis Ordines Religiosi, quas hic recensere non est locus. Et maximæ rationis locò id esse omnibus debet: Ita majoribus fieri placuisse: atq; tanquam rem summè quà Religioni Universæ, quà Religiosis ipsis Novellis utilem necessariamq;, seriò & accuratè servandam præcepisse. Quia verò in nostra Societate moris est, ut Tirones Votis factis ad Collegia dimittatur: ubi in alijs longè occupationibus, cum alijs personis: in locis aliter dispositis, in temporibus etiam magna parte aliter ordinatis vivendum illis est: sit ut hac mutatione atq; Novitate perstricti nonnunquam aliquantisper velut in caligine quadam ab initio versentur: in eademq; caligine etiam quandoq; impingant, nullis ac ne ipsis etiam qui impegerunt advertentibus, nisi admodum serò, cum scilicet cespitatio incurrit, plurium oculos: eam ob rem futurum credo operæ pretium: si contra hanc mutationis novitatem, atq; ex ea solitam obduci caliginem, labendiq; occasionem: aliqua facula Novellis Religiosis præferatur: quâ præeunte collustrati, non possint esse adeò faciles, ad cespitandum labendumquè.

CAPUT

CAPVT I.

De Generalibus documentis vitæ Religiosæ in Collegijs post Tirocinium agendæ.



NPrimis sciendum est, Duplex esse Tirocinium. Aliud ad Vota & Professionem; aliud ad Virtutum perfectionem. Prius Tirocinium perficitur, definiturquè annô vel duobus, pro more cujusquè Religionis; quo elapso tempore, vota fiunt, & finis Tirocinij venit. Posterius verò Tirocinium, à fine prioris, maximè inchoatur, & omnibus annis sequentibus, quibus Religiosus in ordine vivit, trahitur, donec ad perfectionem statui suo competentem & ad perfectas virtutes perveniatur. Ideò etiam post Novitiatum Vota emittuntur, ut quodammodo jaciatur fundamentum secundi Tirocinij, certiorq; reddatur, & Deus, & Religio, & homo ipse Religiosus, quòd sit deinceps futurus sectator perfectionis, quam status exigit, qui constituitur votis. Hoc ergo tu Tirocinium factis votis ingressus & aggressus es: hoc per sequentes annos peracturus es, hoc finire in tua potestate in tantum est, in quantum ad perfectionem pervenire, in tua cum Dei auxilio positum est cura & libertate: in tantùm verò extra facultatem tuam est, in quantum sine adeptione perfectæ, solidæ consummatæq; virtutis, Tirocinium hoc terminari non potest, hoc enim ipso durare Tirocinium teq; Novitium esse, necesse est, quo te per ignaviã lentitudinemq; tuam ad perfectionem non pervenire continget. Hujus ergo Tirocinij finis, est consecutio perfectionis; quæ tunc erit, quando statum, rectè, disciplinatè, perfecteq; vivendi, ita tibi familiarem reddideris, ut tibi sic vivere, non violentia sit, sed natura! non labor, sed oblectatio, non conatus, sed vita.

Sciendum præterea Novello Religioso duplicem mutationem subeundam esse, unam
A Tirocinij sui initio, alteram in fine ejusdē. Mutatio subeunda initio conversionis ad Deum, initioq; ingressûs ad Religiosum Tirocinium, in eo posita est quod ingrediens debeat mutare mores, etsi quandoq; non morum obiecta; quamquam & horum pleraq; mutanda illi sunt, si qui tamen non sint, in quibus nihilominus tractandis mores & modi mutandi sunt, longè enim ali-
B os mores assumere, discereq; debet in Religione ab eis quos habuit in sæculo, ab hocque Principaliter anni Tirociniorum in Religionibus instituti sunt, ut quando ad illas ex sæculo veniunt, per illos dies, mores sæculi dediscant & deponant, mores verò Religiosos sæcularibus prorsus oppositos addiscant & assumant: adeò ut, etsi contingat, quandoq; Tironi idagere in claustro,
C quod agebat in sæculo, aliter tamen omninò agat in claustro, quàm actitabat in sæculo. Iam verò mutatio subeunda Tironi in fine Tirocinij sui, in eo posita est, quod finiens Tirocinium, atq; etiam ex eo egrediens, objecta quidem & occupationes ac munia officiaq; vivendi mutet, mores tamē in objectis & occupationibus & officiis, nunquam omninò (nisi forte de bono in
D melius, de imperfecto in perfectius) mutet, sed quos in Tirocinio didicit, hos tota sequenti vita sua, in omni loco tempore officioq; servet, ad hoc enim eos mores in Tirocinio didicit assumpsitq; ut per omnem Religiosam sequentem vitam ijsdem mori-

bus legibusq; vivat, alioqui si cum posito Tirocinio etiam mores Tirocinij deponendi essent, magna certè ea, tum Dei, tum Religionis, tum ipsius Religiosi deceptio foret; sed nequaquam deponendi sunt, verùm ut dixi, totâ deinceps vitâ servandi, immò augendi & perficiendi.

Itaq; quomodo didicisti in Tirocinio orandum, meditandum, de Spiritualibus rebus lectitandum, colloquendum, de statu animæ tuæ cum Patre Spirituali agendum, Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ usurpanda, cõscientiam Examine generali particulariq; examinandã, intẽtiones puras, retinẽdas, renovandasq; sæpius in diem, Regulas etiam minimas observandas, caritatem fraternam, obedientiam punctualem, mortificationis internæ & externæ studium, ad omnia indifferentiam, humilitatis exercitia, cæteraq; hujusmodi studia practicanda esse, ita prorsus in omni vita sequenti per omnia officia, muniaq; Religiosa pergenti ad ultimum vitæ terminum observanda, nec unquam negligenda, aut perfunctoriè, sed cum omni diligentia perfectioneq; majori peragẽda erunt. Atq; hoc erit post Tirocinium peractum mutare quidem forsitan objecta, sed non mores, mutare actiones, sed non agendi modos, mutare officia, & vivendi circumstantias, sed non vitã, sed non semetipsum, nisi forte ut dixi semper in melius atq; perfectiùs Hæc igitur secundi generis mutatio tibi ad Collegium venienti & Tirocinium mutanti subeunda erit deinceps non alia. Ages non pauca in Collegio quæ in Tirocinio non egisti, attamen non debebis, nec debes aliter quàm in Tirocinio agere didicisti. Hoc si tenueris prudenter, atq; constanter non mutabit in te Collegium virtutem, sed augebit atq, confirmabit, & licèt in dies semper antiquior fies, magisq, veterasces, quo ad tempora & officia, atq, munia, semper nihilominus fervendi, & agendi, vivendi, morumq, ratione corã Deo, tuaq, conscientia integer Novitius, hoc est integri & integritate roborati, arcti què spiritûs Religiosus, quô unô ne vix quidquam rariùs, vix quidquam felicius est in Religiosis hominibus.

Sciẽdum insuper in quo cõsistat hæc immutabilitas constantiaq, morum, in Tirocinio haustorum, quantumlibet objecta & occupationes mutari contingat. Consistit autem in duobus. Primò quidem in observatione. Secundò in applicatione, quod ut meliùs cognoscas, adverte: Tirocinij occupationes duplices esse: quædam enim purè simpliciterq, spirituales sunt, quædam non sunt naturâ suâ, sed tantùm modò agendi spirituales. Ita orare, meditari, examen facere, humiliari, mortificationes internas externasq, subire, Sacramenta usurpare, virtutum actiones exercere, Intentioni, Devotioni, Præsentiæ Dei, charitati fraternæ A assuescere, sine facultate nihil præsumere, silentium servare, &c, hæc similiaq, sunt actiones merè spirituales naturâ suâ. At verò occupationes externæ officiaq, publica in Refectorio, culina, aut alibi ministrandi, exercitia, item manualia, hæc non sunt naturâ suâ spirituales, sed ex modo tantùm agendi, quem illis applicare oportet spiritualem: eaq; applicatio in Novitiatu discenda, & ex Novitiatu etiam efferenda, atq; post Novitiatum conservanda est. B Prioris generis occupationes, Tiro, ex toto secum ad Collegium deferre, eoq; modo, situ, tenoreq, quo in Novitiatu didicit servare in Collegio debet. Ita enim studia & occupationes Religioso substantialia sunt, nec absq; illis status ejus stare durareq; potest. Posterioris generis occupationes, non ex toto in Colegijs locum habent, etsi etiam aliquem habent, sed mutantur ferme in studia literarum, non negligendo tamen C exercitiorum illorum subinde usum, prout obediẽtia, & ordo domesticæ disciplinæ assignaverit certos dies, certaq; tẽpora his obeũdis.

Harum igitur posteriorum actionum peragendi modum (esto non ipsas actiones) Tiro transferet secum ad Collegium, officiisq; & occupationibus sibi assignandis, vel assignatis applicabit, ut eas, cum ea perfectione devotionis, disciplinæquè obeat, cũ qua in Tirocinio obibat v. g quâ perfectione spirituales libros lectitabat in Tirocinio, eadem leget alios studiis suis opportu- D nos ac lectionibus necessarios: quâ perfectione Religiosæ disciplinæ vacavit, sibi suoquè spiritui in Novitiatu, eadem perfectione vacabit sibi suoq; in literis ac spiritu profectui aut aliorum saluti doctrinævè in Collegio, eandem servabit Intentionis puritatem, Resignationem in placitum Dei, Indifferentiam, patientiam, silentij curam, &c. quâ simplicitate se suaq, Deo ut curæ Dei, Superiorumq; concredebat in Tirocinio, eadem in Collegio: quâ resignatione,

ac mansuetudine in Tirocinio exspectabat, acceptabatquè officia, singulas vel alternas in hebdomadas eadem subibit exspectabitq; singulos in annos, immo in singulos dies in Collegio: quâ curâ excubabat in minimas mortificandi, abnegandi, humiliandiquè sui, charitatis verò aut obedientiæ exercendæ occasiones in Tirocinio, eadem excubabit in Collegio: quas consuetudines pias in certis locis, temporibus actionibusquè habebat in Tirocinio, easdem in similibus, & aliis servabit in Collegio, & quidē ex designatione, & quidem etiam minimas, nisi mutet in meliores.

A

Hâc & simili ratione vivere in Collegio est, mores non mutare, sed eos ad objecta & occasiones, officiaquè per obedientiam mutata applicare. Hac similiquè ratione in Collegio vivere desidera, statue, & ab ipso ingressu incipe, auxilium Divinum implora. Sic enim faciens, non tantùm non perdes, quidquam de fervore, primitùsque spiritûs in Novitiatu hausti, sed etiam multò cum fænore eum in te augebis ac stabilies, cum plurima cordis tui, & aliorum tecum conviventium consolatione atque ædificatione.

CAPVT II.

De Natura Novi Religiosi, qualis ut plurimùm ad alia Domicilia & officia Religiosa prodeat.



Onsidera naturam Novi Religiosi, tuam scilicet, cum qua ex Tirocinio ad Collegium prodeas, prodierisve. Etsi enim non omnes eodem modo dispositi affecti, perfecti, in bonis moribus solidati, & habituati prodeant, sicut non eadem etiam omnes fervoris mensura Tirocinij tempus transigant, nec easdem omnes luctas in se debellandas habeant, tamen quales ut plurimùm plus minùs prodeant, qualisque & tu probabiliter, humiliterq; de te sentiendo prodeas, utiliter considerare potes, quod quidem ex sequentibus imaginibus speculisq; disces.

Prima igitur sit Imago ab Agro vel horto desumpta. Ager quantumlibet cultus sit, & à rudibus noxijsq; herbis purgatus, ac bonis seminibus consitus, ille tamen suapte natura partim, partim ex radicum profundè hærentium fibris reliquiisq;, noxias herbas & frutices pullulare non desinit, & usq; adeò simul cum bonis herbis eas fundit, ut nisi adsit agricolæ industria, bonas segetes malis supprimat ac suffocet. Talis est prorsus novellus Religiosus, qui per tempus Tirocinij sui, esto sua Magistrorumq; spiritûs industria, ac Divina gratia optimè cultus, à vitijs, ab actibus, à passionibus malis inordinatisq; purgatus, consitus etiam bonis optimisq; doctrinis & actionibus, & affectibus, & Regulis, tamen nisi adfuerit propria & spiritualis Magistri, etiam post Novitiatum cura & diligentia, & putata repullulabunt, & putata recrescent, & excisa renascentur; praviq; mores ad tempus domiti, recisi, repressiq; reviviscent, naturaq; ad sua jura, ad sui scilicet quæsitionem redibit, & cum bono semine excrescent simul spinæ, suffocabuntq; nisi caveris, ac bonum semen & spem agricolarum operáque eludent. Hoc expende diligenter, & altè animo demitte, tibi, ac tuæ in Tirocinio acquisitæ perfectioni mortificationiq; ne fide, sed sta in timore, & scito quia velis, nolis in medio tui habitat Iebusæus, & igniculus perversitatis adhuc vivit, & natura adhuc in te tota integraq; in sua vivacitate est, cui si quid indulseris, si quid de conatu remiseris, si adductas hactenùs mortificatione laxaveris habenas, insolescere & recalcitrare, sessoremq; excutere facillimum erit. Nolis hoc experimentum discere, sed elige, ut te faciant aliena pericula cautum.

B

C

D

Secun-

Secunda Imago desumpta à natura bestiarum, quæ arte humanâ usuq́, cicurari, & modos quosdam humanæ rationis imitandæ ediscere solent, si tamen suas illis connaturales delicias objicias, illicò institutionis illius oblitæ vel in medio cursu artificiosarum actionum naturam resumunt, & ejus impetu feruntur in sua objecta, unde illud vulgare *naturam expellas furcâ, tamen usq; recurret.* Tale prorsus est ingenium naturarum, tale & tuum, tuæq́, naturæ inferioris pondus, domari quidem potest natura, subigi & subjici ad tempus potest: potest & in rationis, ac fidei, & gratiæ, & disciplinæ, ordinem, mortificatione severitateq́, tanquam freno cogi, tamen, illa semper excubabit vigilanter ad suas cupedias sensuales, ad suas propensiones naturales, ad sua jura injusta, ad effrenatas impotentias suas, ad illiberales libertates suas. est enim admodũ retinens natura sui juris, & sub omni, immo sine omni occasione, semetipsam quærere, oblectare, tueri, fovere non omittit. Novit etiam dolosissimè necessitates comminisci, novit contra rationem pugnare ratione, novit sub auxiliis gratiæ adversarios parare gratiæ, spirituumq́, spiritualibus figmentis eludere, ac opprimere. Quantũlibet ergo puteste naturam humanitatemq́, tuam domuisse, vel exuisse etiam, ne crede tibi, usq, & usq́, illa recurret, cum minime senseris, immo hunc ipsum sensum tuum quô domitam naturam tuam plus satis credis, indubitanter scito jam esse viventis, revalescentisq́, naturæ sensum ac motum & impetum, quantò ergo magis domitam naturam tuam credes, tantò minus domitam crede: tunc magis erit domita, quando tibi minimè videbitur domita. Si enim timebitur, cavebitur, premetur, consequenter domabitur.

Igitur sic in Collegio vivendum, ut te natura magis nunc hostem, quàm ante experiatur, ut magis nunc gratiæ contra naturam, spiritu contra sensum, carnemq́, milites, & arma suppedites, dans operam ne in te Collegialium occupationum, (qualia sunt studia, & aliæ exercitationes) fervore, incalescant humani inferioresq́, affectus, intepescat verò solidarum virtutum, & Religiosæ vitæ amor.

Tertia Imago, similis illi Horatiano Adolescenti, tandem custode remeto:

Gaudet equis, canibusq́, & aprici gramine cāpi
Cereus in vitium flecti monitoribus asper.

Aut si mavis, similem illi prodigo filio, qui acceptam à Patre substantiam promovit, malè & [illegible]autè vivendo utendoq́, solent, nam què Novelli Religiosi, à disciplina rigorosiore, (ut quidem illis nihil præter Tirociniũ expertis videtur) & ab oculis manibusq́, Instructorum spiritualium digressi, atquè ad vota admissi, imaginari sibi jam omnia A bella esse finita, jam satis datum observantiæ durioriq, vitæ, jam sibi licere competereq; custodibus procul vivere, aut certè connive ntes illos habere. Hac persuasione, de qua iterum erit consideratio, nihil perniciosiùs Novello Religioso, ut proinde nihil detestabilius esse debeat. Contingere hoc Novis Religiosis ut credas, expende diligenter verba S. Bonaventuræ, ita de illis scribentis *Nonnulli mox ut prima limina bene vivendi attigerunt, obliti quid fuerint, affligi iam* B *per pænitentiam de consummatis nequitiis nolunt, laudari etiam de inchoata iustitia appetunt, præesse etiam melioribus se concupiscunt: onerebus difficilibus occupati, atq; ipsa occupatioin confusi, non solum perpetrata minimè deplorant, sed ad hæc quæ deploranda sunt, accumulant.* Eam ob rem idem Sanctus Religiosos tales admonet. *Præsumptionem fugere profectum profiteri, curam terrenorum abjicere, charitatem, humilitatem, paupertatem, constanti affectu exercere, & super omnia se ipsum con*C*siderabunde attendere.*

Hoc igitur maximum in ingressu Collegij, egressu autem Tirocinij timendum & cavendum: ne putet se jam esse absolutum ab omni cura & custodia, ne putet, sibi jam majorem libertatem dissolutionemq; competere, ne putet fas esse sibi, in Regularum & disciplinæ observantiam, inq́, sui continendi rigorem impunè peccare, hoc enim esset effici Iuvenculum indomitum, ut vocat Spiritus Sanctus, hoc esset fieri Onagrũ D in sylvis, qui se liberum natum putat, hoc esset fieri olorem correptionis, & consequenter vestigium peccatoris, hoc esset tradi in reprobum sensum, & in animum irreverentem, ac infrunitum, quæ pœna vix post damnationem æternam, ulla potest cogitari major.

Quarta Imago. Sciat Tiro se modo esse velut ceram, mollem, velut teneram arbusculam, velut tabellam rasam, politam,

mun-

mundam, quas & qualibus sigillis figuras, in hac vita sequenti accepturus sit, attendere debet, quàm in parte & à quali manu, à plantatrice & erudita, an ab eradicatrice & ignara, flectendus, purgandus, præcidendus, circumfodiendus sit, attendat, quali manu & quibus characteribus imbuendus sit, videat, ne adulterinam effigiem expressam accipiat, ne adulterinâ manu venenato purgetur cultello; ne in Aquilonem, à quo panditur omne malum flectatur: ne spuria vitulamina inserantur, boni autem palmites resecentur: ne informes, ac funesti characteres imprimantur, quos nunquam deinceps, aut vix unquam eluerit, ne sibi cæco, cæcus quis & malè feriatus Magister ducatum præstet, seq; secum in foveam præcipitet, eam ob rem nemini se facilè permittat, sed ab eis quos invenerit Dei locum tenere, exspectabit indagabitq; vitam bonã, & Dei voluntatem. *Interroga Patres tuos, & dicent tibi, Maiores tuos, & annuntiabunt tibi de vita, in quâ ambules.* Si enim obvio cuiq; & arridenti, captantiq; se adjunxerit, ut cæcus luscum ductorem reperiat, quodsi etiam se ipsum Magistrum sibi constituet, utiq; stulto & ignaro, se discipulum subdet.

Itaq; legitimâ & à Deo constitutâ ordinataq; viâ quam in Tirocinio didicit progredietur Tiro ceram se exhibebit, arbusculam se exhibebit se tabellam exhibebit sed solis Præpositis, Ducibus, Patribusque Spiritualibus, quos sortitus Deo providente fuerit: ad aliorum consilia & monita, non temere, non securè accedet, nisi consultis approbantibusq; majoribus, hoc secum statuet, hoc adeo supplex petet, & sincero simpliciq; corde, Dei se Providentiæ gubernandum permittet: hoc specialiter flagitabit, ut sibi, tam Superiores, quàm Spirituales Patres, quàm Sodales cohabitatoresq; omnes provideat, qui sibi sint Duces ad Deum, adjutores ad virtutem, stimuli ad sanctitatem, media ad perfectionem, atq; ad æternam salutem, iis quidem, quibus Dei Sapientissimæ voluntati, & omnipotentissimæ Sapientiæ complacuerit modis.

CAPVT III.

De Fundamentis quibus immobiliter inconcusseq; oportet inhærere novum Religiosum ad Collegia digressum ex Tirocinio.



Otum esse debet omni Religioso, si velit inconcussè stare, seque in suo arrepto proposito, statuq; conservare, quædam debere, diligẽter defendere, conservareq; veluti fundamenta ædificii sui ipsius, quibus manentibus stare, ruentibus labi necesse est, omnẽ structuram: non secus ac illas Domos Evangelicas à Christo Domino depictas, quarum una, in petra firma quod esset ædificata, nec fluviis, nec imbribus, nec ventis, nec fluminibus everti potuit, altera quia in arena fuit fundata, supervenientibus ventis ac tempestatibus eversa est, factaq, ruina Domûs illius magna. Horum fundamentorum.

Primum sit, vehemens, ardens, solidus, inconcussus, obstinatus & prorsus in Dei salutisq; amore radicatus, vocationis Religiosæ amor. Quo amore solidatus, & nunquam de vocatione deserenda cogites, & nunquam in ejus tenera, grandiq; appretiatione fluctues. Omnes quidem desertores mundi & Religiosæ vitæ asseclas, ab ipso primordio conversionis suæ, oportet esse ad omnes contra vocationem Religiosam insultus Dæmonis, cæcos ac surdos, ac planè rupes, peculiari tamen modo id Novellis Religiosis & ex Tirocinio ad alia Collegia digressis, id necessarium est. Etenim sicut Novitiis a sæculo ad Religionem confugien-

fugientibus, occurrunt non pauca insperata, difficilia & aspera in expertis, ex quibus proprium est, accedente Diaboli astu ad omnes cogitationes & occasiones intenti cogitationibus contra vocationem titillari, aut etiam pulsari, pænitudineq; arrepti propositi percelli, in quo casu, opus est esse eos præsenti animo, & in Deo fidenti atque Superiorum suorum consilia exquirere, ijsque niti si victores esse velint: Ita Novellis Religiosis ad Collegia digressis possuntse offerre aliqua inexspectata insperataq;,ad quorum vel præsentiam vel opinionem, animo cohorrescant, pænitudine etiam quadam percellantur, fluctuent, ignari quid teneant, quovè se vertant. In quo casu consimiliter opus est eos planè rupis instar, stare inconcussos, in vocationis amore ac pretio, fidere Deo cui se totos permiserunt, votisquè donarunt, recurrere ad viæ vitæq; suæ Duces, ijsq; candidè omnia aperire quibus nonnihil conturbari contingerit, eorumq; stare consilio, experimento haud dubiè discent, monstra illa quæ videbantur viribus suis superiora risu fuisse explodenda tanquam pueriles terriculationes, hoc tamen facere non poterit, qui vocationis amator non fuerit immotus, qui sibi fidens, viribusquè suis, non ad Deum, non ad Superiores suos recurrerit. Itaq; saxeum & ad emolliendum concutiendumq; impossibilem vocationis amorem in pectore cordeq; suo gerens ad Collegia defer, ita, ut cum Dei gratia possibilius sit cælum & terram transire, quàm te, in vocationis amore solide fundatum, tantillum etiam agitari, vel dubitare, vel tepescere, &c.

Aliud Fundamentum cui immobiliter Novellus Religiosus, debet inhærere, si cupit inconsequēte vita, spirituale suum ædificium in concussum stare, ac porro etiam valde in profectu crescere. Est; vehemēs & ardens & robustus, & ad omnia opponentia se pervincenda resolutus, perfectionis in omni virtute statui tuo convenienti amor, ex quo amore fluat in te: Imo. Incessabilis insatiabilisq; fames, magnæ non plebeiæ sanctitatis, perfectionis. 2do. Inviolabile & nunquam interruptum, proficiendi profectusq; curandi, æquè in summis ac in minimis exercitiis. 3. Infatigabilis labor in curando & exercendo profectu acquisitioneq; virtutum. 4. Ordinaria simulq; perpetua diligentia in omnibus propter Deum susceptis operibus, cum summo fervore devotionis perfectionisq; peragendis, ut exosa Deo tepiditas, locum non habeat.

Adverte porro, hunc talem, tamq; prægnantem resolutione perfectionis amorem, raros admodum secum ad Religionem deferre, rariores atiam, qui hunc amorem utcumq; detulerint cum deinceps in Tirocinio conservent reperiri, ordinariè, namq;
A eum in Tirocinio deperdunt, neq; ad Collegia deferunt: quod; si cui non contingit, tamen in Collegio rarus est, qui hunc amorem non deponat deperdatq;, vel saltim de eo non sensim remittat, magno utiq; spiritus & perfectionis damno, Diviniq; honoris injuria, & quidem non tam Collegiorū, ut vulgo dici crediq; solet, sed Religiosorū culpâ. Hi enim digressi à Tirocinij Domo atq, disciplina, ingressi verò Collegiū, ante omnia, & non advertenter ferè respi-
B rant ab onere disciplinæ, rigoris Novitiatici, quasi fessi, æq; impositum finem à tempore, ita & imponendum à se id observatione imaginantur. Admittunt etiam persuasionem laxioris vitæ observantiæ in Collegio, minoris Superiorum vigilantiæ, lentiorisq, exactionis, inde & ipsi remittere se posse putant, deq, facto, veluti acquisito jure, remittunt, de sui custodia, de Collectione, de silentio, de modestia, de orandi frequentia, de præsentis Dei memoria, reve-
C rentiaque, de rerum, lectionum, spiritualiumq; colloquiorum cura, ita sensim irrepit negligentia, perfunctoriaq; divinorum tractatio, irrepit contemptus & omissio solitorum Exercitiorum, irrepit libertas sensuum internorum externorumq; effrenatio passionum, garrulitas, oblocutiones familiaritates levitates succrescunt, & emergunt quæ latuerint vitia praviq; habitus, effugatur devotio, amittitur, si quis fuerat spiritus, deperit fervor: multa negliguntur,
D multa in oblivionem abeunt, omnia negligenter, perfunctoriè, & in speciem tantùm peraguntur, obruitur gratia, revalescit natura, excluditur Deus, lascivit caro, regnat Diabolus. Ergo corrumpuntur in Collegiis Novelli Religiosi, non tam à Collegiis, quàm à semetipsis, nec per aliud quidquam nisi quia respiratum est in fervore & disciplina, & resolutus obstinatusq; perfectionis amor, vel extinctus, vel restinctus est. Hūc tu igitur amorem, tanquam radicem, tan-

quam

quam fontem scaturiginem omnis boni, omnis salutis, omnis in bono perseverantiæ, atq; progressus in te serva & tuere tanquam pupillam oculi, tanquam cordis medullam, tanquam ædificij fundamẽtum, tanquã totius vitæ provisionem maximam & sumptũ.

A Tertium fundamentum cui debet in Collegio Religiosus Novellus immobiliter inhærere, si cupit in Spiritûs virtutisq; integritate conservari: est resolutus & obfirmatus, obstinatusq; amor, haustæ in Tirocinio bonæ Institutionis, omniumq; piarum, quas didicit, & cæpit, vel etiam assuevit servare consuetudinum & observationum, de qua re aliquid supra consideratum est. Etenim Novellis Religiosis contingere solet, ut cũ

B ad Collegium veniunt, excipiat eos, propter novitatem, mutationemq; illis insolitam verecundia quædam observandi liberè & palam ea, quæ in Novitiatu didicerunt, quæ verecundia quandoq; etiam dicteriis jocis nutibusq; censoriis antiquorum incutitur, quandoq, ex ipsis eorum mentibus teneris adhuc in virtute erumpit, nonnunquam etiam à studio placendi, vel à metu

C displicendi, negligentioribus, dissolutioribus in quos fortè incidunt, illa ipsa verecũdia promanat. Eam ob rem, oportet hac in parte novum Religiosum surdum & mutum & stultum esse, & pie impudentem, dominum in virtute & possessione recti, ac tenacitate disciplinæ rigorosæ haustæ in Tirocinio apparere, surda aure præterire risus & censuras aliquorum, & ostendere factis, quod non specietenus pietatem disciplinã

D que colat, sed quod eam in pectoris intimis radicatam gerat, nec sit arundo vento agitata, neq, erubescat Christum & Evangelium, sed sit in virtute, ejusq, cultu & possessione Dominus & hæres, sicut etiam Religiosa Domus est Regnum virtutis. Hoc si faciat & præferat novus Religiosus, subitò mutata vice in admiratione apud irrisores jocatoresque erit, simulq; sibi legem ponet ac necessitatem figet deinceps in cursu temporis sic se gerendi, atq, ita stabit firmus & inconcussus, ipsisq, incidentibus contrarietatibus, fiet robustior in virtute ejusq, cultu & possessione, & solidior ejus possessor, quod totum perdunt timidi, & virtutis cultum professionemq, erubescentes, hominibusq, magis quàm Deo placere & obedire cupientes.

Vide igitur ne sis ex horum numero, sed inter eos annumerari velis, qui potentes sunt in virtute & studium pulchritudinis habent, & audent pro Deo, pro disciplinæ cultu, pro regularum observantia, pro conscientiæ suæ teneritudine tuenda, pati aliquid & contemni, contemnereq; linguas, sic enim fiet, ut & ipse robustus evadas, & alios exemplô confirmes, inq; bono conserves, sicq; evadas columna in Domo Dei, etiam in teneris atq; primis Religiosæ tuæ vitæ annis. Tanti nimirum est, mores in Tirocinio haustos, disciplinatos, seriò profiteri & servare. Et revera ad hoc Tirociniorum institutio permittitur, ut mores in eis hausti, sint fundamenta morum, totius sequentis vitæ Religiosæ, qui si ab initio statim abjiciantur, quæ spes poterit esse bonitatis perfectionisq; in sequenti vita. Obfirma igitur animum ad omnia animosè & sine pudore servanda privatim publiceque, quibus informatus imbutus es, tam in homine interiori, quam exteriori, neq; facilè tuam ullam consuetudinem bonam, ob metum, vel pudorem, vel pigritiam, aliamquè frivolam causam in gratiam idoli: Quid dicent? deponas aut immutes, nisi fortè in meliorem.



CAPVT IV.

De causis internis, ob quas collabitur Spiritus in Novellis Religiosis.



Ausæ ob quas collabi solet spiritus Religiositasq; in Religiosis novis post Tirociniũ, quædam sunt internæ & in ipsis, quædam extra ipsos. Primum internæ considerandæ veniunt

Prima causa interna est Tirocinium segniùs absolutum, negligentiùsq; naturam locatam in mortificatione amoris proprij, item in compressione sensuum à pronitate ad sensualia, & ad Carnem & sanguinem: Item in observatione minimarum Regularum & Instructionum, Item in contrahenda cum Deo familiaritate per Meditationẽ, Orationem, usum Sacramentorum per Examina Conscientiæ sub Recollectionem, Resignationem &c. hæc enim qui non habet qui in Tirocinio non collegit, & quidẽ in abundantia, similis est Cicadæ, quæ totam æstatem in stridore, cantu, saltuq; consumpsit, veniente autem brumali frigore, omnia in arctum cogente, fructusq; omnes in horrea convehente, & concludente, cogitur tame mori, & frigore rigescere, instar stulti illius pigriq; qui propter frigus arare noluit, & deinde in angustiis anima ejus esse cogitur.

A Ejusmodi Novitio non esset pes extra Tirocinium proferendus, sed tamdiu inhærendũ quamdiu non meliùs armatus, instructus provisusq; prodire possit. Quodsi qua inadvertentia ad Collegium illum amandari contingет, huic Tirocinij damna per industriam Superioris, Spiritualisq; Patris, dextrè fideliterq; forent compensanda; Tirociniumq; extra Tirocinium clam omnibus alijs esset peragendum & spiritus exercitia reassumenda, donec meliori loco sit res taliter affecti Religiosi: id enim nisi fiat, absq; ruina spirituali vix possibile est ejus ædificiũ internum subsistere. In qua tamen necessitate sua, ne quis vel sui fiducia, vel pusillanimitate nimia decipiatur, & de se quam deberet oppositum statuat, suo minimè judicio stabit, sed Patrum Spiritualium à quibus abijt & quos transiit judicio innixus in hanc vel in illam partem inclinabit.

Secunda causa interna priori valde vicina est, Tirocinium non omninò quidem malè absolutum, non omnino tamen intimè ejus cultura admissa, nec ad medullam cordis recepta. ita ut Novitius quidẽ fuerit bonus, omnium sensu, cum quibus vixit, non tamen fundamentaliter, & ab intrinseco, sed magis ab externa vigilantia, & studio devitandi censuras, non offendendive oculos aliorum, ab occasionis procul remotæ defectu, quo fit, ut non tam sit bonus, quam videatur esse; nec tam sit bonus, quam non sit malus: non sit autem, quia timet esse & non habet occasionẽ ut possit esse. Fit

B item, ut iste, non sua virtute interna, sed domûs in qua vivit beneficio, abstineat à malis, contineaturq; in officio boni Religiosi, quod tamen sæpe nec ab aliis, nec ab illo ipso, nisi in mutatione quapiam ex occasione advertitur, tribuiturq; Personæ ipsius virtuti, quod revera & fuit & tribui debuit beneficio loci. Est hæc observatio S. Francisci Xaverij post S. P. Nostrum, cujus hæc verba sunt. *Hoc eò dico ut animum inducatis, & quod revera ita est vos, idcirco à gravioribus Flagitiis abstinere, quod istic (ubi scilicet manetis), occasiones Deum offendendi desint. nam qui nesciunt unde tantum boni proveniat, quod loci domesticorumq; beneficium est, virtuti tribuant suæ: proinde negligunt ea quæ parva videntur, cum tamen sint per se magna: qui autem ea temerè contemnũt, parvi ipsi sunt, ac meritò contemnendi.* Hi ubi aliò commigrant, ubi ab oculis quos revereantur abesse sibi videntur, ubi laxius se agere posse credunt, illico in deteriora labuntur, quia non habent frenum quô detineantur: ostenduntq; re ipsa, nuper non sua se virtute interna, sed loci domesticorumq; cura bonos fuisse, qua deficiente, ipsi ad ingenium pra-

C

D

væ suæ

væ suæ dispositionis internæ: protinus devolvantur, & ejus præscripto, discoli efficiantur. Atq; hæc est obscura occultaquè causa, quæ latens, multos trahit in admirationem, dum vident illum & illum, qui in Tirocinio solida jecisse fundamenta videbatur, uberemq; spem bonæ frugis promit- A tebat, in transversum valde abiisse, discolumq; & gravem disciplinæ domesticæ evasisse.

Remedium huic malo est; in se ipso non altero ponere gloriam suam; hoc est, ab intrinseca cordis virtute bonum & disciplinatum esse, secumq; semper & Patrem Spiritualem & domum circumferre, neq; pendere à Custodibus externis, sed sibi esse cum B Deo præ omnibus gratissimum, oculatissimum, rigidissimumq; censorem & disciplinæ exactorem. Talis enim est æqualis & idem semper, nec mutatur circumstantiis vel desertus à disciplina aliena, in se ipso eam habet, atq; possidens exhibet. Et te igitur talem esse cura. Sic te funda in virtute, ut in te ipsam habeas radicitus hærentem, & non extraneis, fluxis, mutandis adminiculis solùm nixam, & si non hæc quo- C què conferant, sine intimis tamen non diu stent.

Tertia causa est: virtutum in Tirocinio quæsitarum partim paucitas, partim teneritudo, partim ingratæ naturæ nondum virtuti satis assuetæ earundem asperitas, è contra vero vitiorum, pravorumq; habituum, antiquitùs contractorum, nec satis per Tirocinium expulsorum, tum multitudo, tum D in visceribus animæ potentiarumq; illius radicatorum seu radicum remansio, tum blandities, atq; cum natura corrupta consensio, quibus utrisq; causis, accedit naturæ pondus semper ad sua commoda tendentis, aspera virtutis abhorrentis, ad blandimenta vitiorum arridentis. Ergo funiculus iste difficile rumpitur à novo Religioso, ergo facilè diffluit, quasi prono amne ad originales miserias, malitiasq; suas, & sensim sine sensu, nisi valde cautus sit, & sibi invigilās, atq; etiam propensionibus repugnans, retrahitur ad pristina vitiorum corruptæq; naturæ servitia, non secus & ut equus de stabulo & manu sessoris elapsus, sed nec freno, nec loro solutus facilè comprehenditur, atquè ad consueta stabula præsepiaq; & bellulinos labores reducitur.

Ea propter, novum Religiosum oportet hoc de se ipso planè nosse. Primò, quod magna adhuc in eo sit naturæ veracitas, multa & profunda vitiorum pristinorum radicatio, paucarum verò virtutum teneritudo. Deinde oportet, ut bellum naturæ vitiisq; movere non desinat, sed tanquam ingruente bello hosteq; in acie armatus consistat, pro teneris & nondum satis firmatis, nec in usum & facilitatem adductis virtutibus, perpetuò actionum virtuosarum attētione depugnet. Unô verbô, non arbitretur se cōprehēdisse, non putet se iam extra periculū esse, sciat in sua natura hydram esse cujus capita & putata repullulant: mortua est una affectio, sed vivit altera. Non cesset ergo manus tua, non dormitet vigilātia sed quidquid potest operari instanter operare, nunc quidem tibi hac parte ad malum propendenti repugna nunc verò illā parte, virtutem inchoatam, & auxiliares manus poscentem sustenta. Cooporare gratiæ, teq; illi tractabilem exhibe, utere mediis Religioni consuetis; nec attende quid caro possit, sed quid Spiritus velit. Neq; quid alij dicant vel faciant, sed quid Deus tuus, status tuus, conscientiaq; tua requirat à te quicquid de aliis fit, quicquid ab aliis fit, omitte tu, non negligas temetipsum naturæ persecutor, vitiorum hostis, virtutum cultor, gratiæ filius, perfectionis studiosus, tui contemptor. Dei amator.



CAPVT V.

De causis externis, ob quas collabitur Spiritus in Religiosis Novellis.



Rima causa externa propterquam solet aut potest evacuari collabiq; Spiritus in Novellis Religiosis, est ab occupationibus absorbentibus, quas inveniunt sibi in Collegiis assignatas, v. g. Studiorum tractatio & quid simile.

Variis porrò modis absorbere solent occupationes ejusmodi. Primo quidem Novitate sui, cum post occupationes Tirocinij novæ accedunt in manus literarum curæ. 2do. Affectu vehementi & profuso, quo in literas ferri solent, qui ad eas applicantur qui affectus, aliquando & studio parendi & ex æstimatione necessitatis earundem homini Societatis promanant; optimis sanè ex fontibus, cæterum degravant in pravum quandoq; ex immoderatione. 3. Exactione diligentiaq; docentium, quæ item optima necessariaq; est, sed tamen dum plus æquo apprehenditur, valde solicitum reddit Novum Religiosum, proinde in studiorum occupationes profusum, temporis ordinati incurium &c. 4. Æmulatione aliorum; quæ item laudabilis est, sed tamen inordinata profusione carere, & ab invidia procul esse debet. 5. Accedit his Diaboli fraus qui in omnes occasiones intentus adest, & & æstuantem animum per se, incendio etiam immoderato inordinatoq; succendit, & literarias occupationes sub horam meditationis, alteriusq; piæ cum Deo occupationis (puta Examinis, lectionis, sacri,) memoriæ objicit, utq; interno mutato tantisper actionum ordine, labor scholasticus acceleretur, cum indubia spe, alio tempore divina explendi concitat, quod proprium est Diabolicæ imposturæ, ordinem non pati, cui si semel obtemperes, ita deinceps obtrudet alias actiones urgentes, ut tempus supplendæ Meditationi, Examini, alterivè dilatæ actioni desit, amittiq; illam necesse sit, vel certè valdè frivole, obiterquè transigi non absq; jactura spiritus & animæ, lucro autem inimici.

His malis omnibus, optimè Christi effa-
tum medetur: Hæc oportet facere, & illa
A non omittere. Item illa: Primum quærite
Regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vo-
bis. Item: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæ-
sari, quæ Dei Deo. Franciscus Soarez no-
tissimæ vir Sapientiæ, omnem Sapientiam
eruditionemq; perdere eligebat, quam se-
mel statum meditationis tempus negligere.
Sic sapere oportet omnes, qui Religiosam
Sapientiam eruditionemq; conquirunt, qui-
B que olim Deum opera sua uti volunt, atq;
laboribus suis benedicere, alioqui Religio-
sus, scientiam quærens cum neglectu offi-
ciorum Divinorum, similis erit homini sæ-
culari, propter lucra temporalia violanti
Præcepta Dei, atq; negligēti cultum festorū
dierum, auditionis Missæ, Concionis. Quid
enim interest, ubi facias, modò facias, im-
mo verò deterior est Religiosus, qui in hoc
C statu locoq; sacro facit, quod in sæculari,
intra mundum hærente, culpat.

Secunda causa externa ob quam Novelli
Religiosi spiritum in Collegijs deperdunt,
est quandoq; prava dictamina. Quæ spon-
te sua ipsi ad illudendum suæ conscientiæ
formant, vel certè ab aliis temere hauriunt,
hausta, tanquam oracula excipiunt, tanquā
scilicet ab antiquioribus, rerum peritiori-
bus, bene volētibus ignorātes discernere in-
D ter bonum & malum, arripientes, quod sen-
sui naturæ propriæq; voluntati gratum, re-
spuentes verò quod disciplinæ, spiritui
virtutiq; consonum.

Dictaminum hujusmodi bene longū Catalogū experiētia texit. Inter alia sunt hæc

Primum. Non est tanto rigore opus in Collegio quantus exigebatur in Tirocinio. Ingenium Novitiorum est servile, quod

quod ſcrupuloſè, ſuperſtitioſè, pueriliter, putidè, ad literam omnia metiatur, & explicet. At emergendum eſt aliquando ex iſta ſervilitate, & liberaliter, liberè, ingenuè, ad ſenſum potiùs & uſum accommodatè utendum ingeniô & regulis & diſciplina. Scilicet ſenſui litera adverſatur. Scilicet aliud ſonat litera quam ſenſus, ſcilicet in Rebus publicis unuſquiſquè ad libidinem cupiditatis ſuæ, leges trahere poteſt: neq; ſunt uſquam Principes, aut Majores ex quorum ore lex requiratur, ſenſuſq; legis in dubio cognoſcatur.

Secundum. Vitam communem eſſe ubiquè locorum tenendam, legibuſq; loci utendum; ad mores, non cum moribus veniendum eſſe, eſt autem turpis diſſonantia inter domeſticos, proinde ad aliorum mores ſe ut accommodet oportet, qui recenter venit. Dum fueris Romæ &c. Turpè eſt, ut juvénculus & hodie natus, reformet Religionem, Civitatem, domum; quaſi nemo ſapiat alius, quaſi errent omnes. &c. Sed hæc non audientur, reſpondebit intra ſe & dicet: Iuſtitiam quam cæpi tenere, non deſeram. Vita communis, non eſt illa, qua multi eunt, ire, ſed qua omnes debent. In Regulis iſta eſt, & Majorum, Superiorum regimine; non plurium abuſu, non reformare quèquam volo, nec deformari à quoquam patior: non ad exempla, ſed ad regulas vivendum eſt.

Tertium eſt. Utinam nulla, eſſent peccata majora, nullæq; tranſgreſſiones nocentiores his aut illis, camelum glutientes culicem excolantes: ô ſtupendam ſanctitatem! in iſtis ſcilicet, minutiis & quiſquiliis ſolida ſanctitas poſita: Actum eſt de vita Religioſa, immo æterna, niſi hæ Phariſaicæ ſuperſtitiones obſerventur:- In interioribus eſt ſanctitas ſita, in ſolidis virtutibus, non his externis coloribus. Hæc quid ſunt aliud quam viperinæ voces, factæ ad evertendas innocentes animas, quibus reſpondendum quod ſupra: hæc oportet facere illa nō omittere. Hæc alijs fortè non ſunt neceſſaria, qui ſolidiora habent; mihi qui infirmus adhuc ſum, & infirmæ virtutis, ſaltem his obſervationibus minimis incumbendū eſt, roburq; cordis tutandum.

Quartum. Non diuturni erunt iſti fervores, nec longævæ ſuperſtitiones, deſerēt illum brevi iſti ſcrupuli, ululabit cum lupis: ferrum ex igne recens calet & urit, refrigeſcet & par erit nobis. Ominationes iſtæ ab aquilone ſunt, & brumam invehunt cordis, meramq; glaciem & nivem ſperant.

Timebit ergo iſtos minaces Prophetas, & ut falſi reperiantur, conſtantia virtutis efficiet. Time ne unquam vera prædixiſſe gloriari poſſint, & facias, ut nunquam veraces inveniantur.

A Quintum jam tempus, è Novitiatu & deliramenta exuere, cùm eſſem parvulus, loquebar, ſapiebā ut parvulus: omne quod redolet Tirocinium ridiculum eſt, & erubeſcendum: recedendum eſt aliquando à nucibus & agenda ſeria. Seria ſcilicet, quæ conſcientiam lædunt, quæ enervant diſciplinæ vigorem, quæ ſpiritum extinguunt. Vere iſthæc ſeria mala ſunt, quæ primitiis ſpiritûs & gratiæ, uſq; adeò ſunt inimica. Atqui veteranorū perfectiſſimus erat qui dicebat: Geram me ſicut primi anni Novitiū.

B Sextum. Duri capitis eſt & ferrei oris non acquieſcere, nolle credere, ſuis primis conceptibus inhærere: In Novitiatu, non docetur ipſa intima, ſolidaq; perfectio, ſed tantùm diſpoſitiones ad illam, quas tandem abjicere oportet & ipſam perfectionem ædificare, oportet eſſe manſuetum & tractabilem, non cervicoſum, non obſtinatum. Si cum Superioribus, Magiſtris & Spiritualibus res ſit, verum eſt obediendum eſſe & tractabilem animum exhibendum, ſed ad omnem ventum arundinis inſtar flecti reflectiq;, quis hanc ſervitutem ferat? quis obedientiam voverit, & tractabilitatem exhibeat. Deo & Vicariis ejus obedire oportet, ſed oppugnatoribus virtutis obſiſtere, aut ſaltim obdureſcere primæ virtutis eſt.

C Septimum. Hoc vitæ genus ſeriū & ad normam Novitiatûs exactum, ſcrupuloſū, ſuperſtitioſumq; eſt, proprium ſimplicium & devotulorum, eſt ignavorum, eſt pro Religione, Societate ineptorum, facit melancholicos, tetricos, rigidos, ad tractandum cum proximis ineptos: Hic fuit S. Fundatoris de talibus ſenſus: *Si* omnes ſibi ſolis

D boni eſſent, qui facerent alios bonos? Societas ſtat converſatione, ad proximos eſt inſtituta, requirit ergò converſativos: maturè aſſueſcendum: poteſt eſſe in hilaritate morum collectio Spiritûs. *S*ed & his dicendum eſt. Omnia tempus habent: impleri Priùs opus eſt quod effundas, nec debemus eſſe canales, ſed conchæ: diſcat miles in otio, qualis eſſe debeat in prælio: ante

meſſem

messem efflorescere culpat Spiritus S. præcoces fructus & partus, non solent esse vitales: sat citò conversabimur, si sat bene; non simus ante Magistri quàm discipuli: In Societate sunt alij anni, quibus proficimus ipsi, alij quibus perficimus alios.

Octavum. In Societate plus prosunt docti, magnarum qualitatum, habentes talen- A tum concionandi, conversandi, quàm illi, qui Sancti sunt, modesti, ignoti: beata simplicitas sibi soli prodest, doctus in ore omnium est, illius ingenium omnes prædicant & mirantur, etiam Superiores, etiam Magni Patres. Falsò id asseritur, & cum injuria Societatis atq; virtutis: Nimis clarè præcipit S. Fundator, universaq; Societas, *ut omnes eius Filii, in solidarum perfectarumq;* B *virtutum studium incumbant, in iisq; maius momentum esse ducant, quam in ullis bonis externis, donisq; naturalibus, illa enim interiora sunt, ex quibus vim & efficaciam, ad hæc exteriora promanare oportet.*

Ergo Spiritus & virtus solidaq; sanctitas, anima est doctrinæ & talentorum, hæc autem corpus est, & sine illa cadaver. Bona est doctrina & necessaria talenta, sed prima virtus & sanctitas, hæc enim ait S. Pater, Instrumentum, scilicet hominem Societatis Deo coniungit, & idoneum facit, ut Deus eô utatur ad gloriam suam. Omnes ergo filij Societatis, conflari debent ex virtute solida & doctrina, sed illa corpus, hæc anima esse debet: qui autem ingeniosum sancto præferunt insaniunt, & pedes capiti imponunt. Proinde etiam magni viri in his laudibus admirationibusque cauti esse debent, ne dent errandi occasionem ignorantibus, qui putent præferri ab eis doctrinam sanctitati, & talenta gratiæ atq; solidæ virtuti, totiq; se conferant, sed jactanda & captanda naturæ bona neglectis virtutibus & contemptis: quod nihil aliud est, quàm evertere totum statum Societatis, impingereq; Deo & gratiæ alapam, nec non virtuti parare ruinam, sæcularitati autem & mundanismo aperire patentem januam.

Dictaminum perversorum finis non foret, tu hæc expendes ac ad animum demittes, diligenter fugies & ex horum similitudine vestigijsq, alia cognosces, cautusquè esse disces, ut ab eis præserveris libererisq,.

CAPVT VI.

De alijs causis externis, ob quas collabitur Spiritus in Novellis Religiosis.



Uarta causa Externa, ob quam Spiritus quandoq, perdunt Novi Religiosi in Collegijs, est Exempla non omninò ad legem, C veteremq, disciplinam ac Regularum normam exacta, in quibus contingit deficere aliquando antiquiores. Hæc autem multis modis solent innotescere junioribus, atque variè etiam cor perstringere. Aut enim vident audiuntq, parvi fieri ea, quæ ipsi magni facienda didicerant audierantq, in Tirocinio, aut vident aliqua fieri, quæ nunquam viderant ante hæc, quævè non sperabant evenire posse, quævè sciebant vel credebant prohibita esse: aut vident impune transire quædam facta, superioribus ignorantibus, vel conniventibus: aut vident facultates, dispensationes, permissiones, exemptiones, immunitates, impunitatesquè, aut vident abusus, licentiasq, & laxitates commoditates, superfluitatem redolentes, sive etiam non redolentes, sed necessitati aliquatenus indultas alicujus infirmi, laboribus annisq, fracti: aut vident modos agendi aliquorum in officijs commendatis, puta præcipitatas actiones, festinationes perfunctorias, & specie solatenus peractiones. Commissiones etiam, largitiones & acce-

acceptiones munerum: inter domesticos interq. Externos furtiva colloquia & eruptiones ad conversandum clam & invito superiore: aucupationes curiosarum, nitidarũ, comptarum, pretiosarum recularum, non absq; superfluitate, sæpè etiam fortè sine facultate.

Hæc dum vident novi apud antiquiores, cõmovẽtur, & scandalum patiũtur teneræ, & inassuetæ talibus eorum mentes, atq, conscientiæ scandalizantur,& vel ita ut contri- A stẽtur, reprehẽdant, cẽsurẽt, vel ita ut arrideant, imitentur, aut certè in eandẽ libertatis occasionem devenire gestiant, immineant, apud se statuant. Quæ utraq; scandali ratio pessima est: posterior tamen, in communẽ disciplinam nocendi vim habet majorem imitatur enim mala, prior enim utrumquè commendat. Utraq; tamen est Novis Religiosis fugienda, ut nec damnent facientes, nec protinus æmulentur, immò nec in futurum proponant æmulari, cupiant potiùs B in ejusmodi occasiones necessitatum non devenire. Sciant certissimè etiam non ideo meliores se esse ijs, quorum exempla minus commoda vident: sciant sæpè virtutem esse, vel ex virtute fieri, quod arbitrantur vitiosè factum: sciãt plùs prodesse publicæ & communi rei antiquiores, esto aliquibus videantur scatere imperfectionibus, quàm Novellorum teneras observantias: Sciant deniq; non omnia omnibus apta esse, & unum effectum speciè, veterano rerũ- C gnaro minùs nocere, quàm noceret tenero & Novitio in conversatione Religiosa. Sicut unus idemquè ventus, quasdam arbores robustiores fovet, qui teneris nocet & cibus unus idemq; ab unius ventriculo concoquitur commodè, alteriùs autem valetudinem vitiat valdè periculosè. Arma Saulis, Saulem protegebant, quæ Davidem & gravabant, & in incessu motuq; præpediebant. Artium professores & periti, etiã errores facilè vertunt in obsequium artis: rudes verò, etiam in bene agendo hærent, D neq; securi peragunt. Simile est & in peritis ignarisq; viarum: illi si errant, sciunt redire in viam, isti ex errore in errorem pergunt. Idem evenit veteranis & juvenibus Religiosis. Tu igitur sic in Collegiis novus advena vivito, ut judices neminem, optimum autem quemq; sequaris, potissimũ autem Regularum & Spiritûs ductum sequaris.

Quinta causa externa, qua fit ut Novi Religiosi, Spiritûs damna sentiant in Collegiis, est conversatione cum veteranis. Videri posset ex re atq; commodo novorum Religiosorum esse, ut à Tirocinio absoluto mox veteranis misceantur sine discrimine; à quibus praxim totius vitæ, omniumq; actionum & officiorum, facilè & prorsus ad oculum discant: attamen, oppositum placuit observantissimis quibusq; & Magistris Spiritûs & Religiosorum Ordinibus: quorum aliqui, juvenes post peractum Tirocinium, etiam ad quadriennium arcerent à veteranorum consortio, Societas biennio separationem hanc definivit, ita tamen ut brevior esse non possit, protractior esse possit, prout judicium erit Spiritualis. Observare autem est, in iis monitis quæ de separatione juniorum Societas condita habet, unum solumq; esse hunc monitorum sensum, nihil omninò habere commercij juniores cum veteranis, nullam colloquendi conversandiq; occasionem. Rationem adeò salubris consilij habent Religiosi Ordines, nec unam, nec tenuem. Ea quæ de dictaminibus, deq; exemplis supra considerata sunt, facilè evincunt & satisfaciunt.

Accedit quod novi Religiosi adhuc plerumq; habent intellectum, & ardens quidẽ sed tamen insipiens cor, ut nesciant separare pretiosum à vili, & eligere bonum reprobare autem malum. Huc facit illa cautio Domini, quâ rationem dedit cur discipulos novos voluerit esse separatos à legalibus ritibus Ecclesiæ: *Nemo* ajebat *mittit vinum novum in utres veteres*, sed novum in novos, nec pannum veterem assuit panno novo. Hanc igitur tibi pone legem in primo ad Collegium adventu, ut antiquioribus in Religione honorem exhibeas, eorumq, comparatione, te planè Novitium judices ac censeas, congressum tamen colloquiumq, omninò devites; multoq, minus familiaritates ac confidentias præsertim clandestinas, prohibitas, & cum ruinæ indiciis conjunctas esse scias, etiam tunc quando contingit ex more vel occasione veteranis commisceri, in scholis exhortationibus, Missis, Communionibus, obsequiis triclinij vel culinæ, sic te gerere, ut veteranis honorem exhibeas, sed colloquium, sed aurem, sed familiaritatem nequaquam præbeas, salva morum urbanitate, magis etiam salva Religiosi silentij, disciplinæquè de

de separatione integritate. Si hæc tibi separatio esse gravis & tædiosa cœperit, si anhelare, si ambitiosè occasiones captare, vel optare congressum colloquiumq, veteranorum cœperis, si furtivè nutibus & corridere & colloqui, habe hæc spiritus tui vacillantis tepescentisq; non levia, non dubia, vel indicia, vel initia &c.

Sexta insuper causa externa, ob quam collabi solet spiritus in Religiosis novis, est conversatio cum Externis, non eam intelligo, ad quam exponitur quis ab obedientia, quandoq; etiam mox à Tirocinio absoluto, quæ etiamsi ita quoq, prudens & circumspecta esse debeat, facilem tamen habet plerumq; à Deo benedictionem ex merito obedientiæ, & observatis medijs à Religione præscriptis: sed illam intelligo conversationem cum Externis, præsertim cum Discipulis atq; adolescentibus, ad quam nonnulli nonnunquam Religiosi, sicut temerariè prorumpunt, ita infelicissimè alliduntur atq, confringuntur, & tum virtutis, tum spiritus, tum disciplinæ, tum omnino fidei pudorisquè naufragium faciunt, sæpè vocatione, sæpè & mente ipsâ excidũt. Hoc malum à parvis, & vix notandis culpandisq, initium sumit. Sed nisi Religiosi adolescentis anima conscientiaq; cauta sit, & tuta etiam timeat, in arcta affectionum incompensabilium vincula se se induet sensim, ut nullæ diligentiæ, nullæ custodiæ, nulla consilia, nulla impedimenta, nullæ pœnæ coercituræ sint, dissoluturævé infelicem amicitiam, & viscerosi affectus amorisq; conglutinationem.

Cavebit ergo Novus Religiosus sibi à se ipso, à zelo suo, amore suo, ab oculis suis: Cavebit à munusculorum per se, vel alium oblatione: cavebit ab invitatione ad hunc illumvé locum colloquendi gratia: cavebit ab æmulatione aliorum, ab invidia conversantium: cavebit à laudibus & commendationibus: cavebit à castissimo quamvis affectu: cavebit ab omni occasione, provocatione, blanditiis, occursibus, à spontaneis suis ingestionibus: sciat certissimo inconstantissimos & illusorios tales esse amores ei dum is qui amat insanit effunditq; se maximè, tum, eum qui amatur capturvè illudere, & insultare amanti maximè. Noli ergo, ô simplex & imperitè rerum Religiose novelle dare te in gaudium inimicis tuis, noli ponere maculam in gloria tua, noli esse proditor pudoris tui, noli esse captivus tyrannici affectus tui. Si amorem & æstimationem vis omnium, præteri illos cum honore, meliores illos fac, silentiô, verecũdiâ, modestia, studio, Religioso exemplo, humilitate. Tales enim Religiosi semper sunt in admiratione, æstimatione, veneratione: His verò dissimiles contemptui sunt fabula sunt, illusioni expositi & prostituti tam domi quàm foris sunt, præsertim quod
A innumeris, ijsq; gravissimis molestijs, internis & externis, conscientiæ aut famæ, apud Superiores obnoxij sint. Faciant te cautum hæc considerata, malisq, ea consideratione discere, quam infelici experimento tuo aliis in exemplum esse.

Septima causa externa, ob quam collabi solet Spiritus in Novis Religiosis, est conversatio & excursio ad consanguineos Parentesvè. Ad hanc excursionem, ut plurimum inviti Novi Religiosi ab initio descé-
B dunt, extracti nempe, vel necessitate domesticorum negotiorum, vel importunitate flagitantium: unde ab initio, ut dixi, coacti ad suos discedunt, cum tædio apud eos morantur, repugnanter ad eos revertuntur, sensim tamen hæc repugnantia tollitur, animiq, ille rigor à Religiositate contractus, mollescit ac deponitur, dulcescit conversatio, & conspectus suorum, sensualis illorum amor, teneritudo, solicitudoq, pro eorum bonis successibus admittitur vel reviviscit, libenter adeuntur vel audiuntur,
C quomodo illis auxilium vel solatium excogitari possit cogitatur: ex proposito negotia trahuntur non finiunturquè, ut haberi possit justa occasio redeundi ad illos in tempore, trahiturq, res per annos plures, ut cõversandi semper sit necessarius prætextus. Interea impletur anima, mundo, carne, sanguine, tricis, curis solicitudinibus, intercessionibus, odiis & simultatibus: inciditur in antiqua vel in nova pericula lapsuum, libertatum peccatorum: accipiuntur
D clanculariè subsidia necessitatum cum injuria paupertatis & obedientiæ Religiosæ, datur occasio sermonibus, oblocutionibusq, domesticorum molestiæ, amaritudini & solicitudini, & suspicionibus superiorum: quandoq, Superiores ipsi spe lactantur commodorum temporalium: ostentatur etiam aliquis fructus spiritualis emendatioquè morum secuta in Parentibus, in Fratribus, affinibus, ex sublatis odiis insidiisq, intervici-

vicinos: sed interim ipse Religiosus spiritum amittit, disciplinæ impatiens evadit, aspirat ad vagandum morandumq; extra domum jacturam studiorum, qua spiritualium, qua literariorum subit; de bono nomine tam suo, quàm Religionis, non parum detrahit, quin etiam in tentationes de vocatione, de castitate incidit, & aut naufragium sui simpliciter facit aut ægerrimè, exspoliatus, sauciatusq; evadit. O quanti suo infelici experimento, isti didicerunt ipsi, docueruntq; alios.

Amator ergo sui spiritus, sui statûs, suæ integritatis virtutisq; Religiosus omnis, difficillimus erit & rarissimus, in adeundis Parentibus, consanguineisq; brevissimus & parcissimus in mora, in mansione, & collocutionibus cum eis. Erit inter eos tanquam peregrinus & alienus, testem sui, socium habebit semper & vel nolentem apud se retinebit, vel nec discretionis causâ abire patietur, citissimè ab eis avolabit, causas eos adeundi, vel cum sua temporali jacturâ præscindet: in se non in Superiores, (cur consanguineos adire vel nolit, vel non possit) devolvet; à superioribus autem invi- A diam amolietur. Nihil ab eis accipiet pro se privatim omninò; curas tutelas, patrocinia, negotiorũ tractationes nullas suscipiet, sed ex Christi Regula, ut mortui, mortuos suos sepeliant, sinet. Hæc bene considera & penetra, & in usum tuum converte, & conversationem cum carne sanguineq; omnimodè devita: Neque unquam crede te habere adeo firmum Religioso ri- B gore pectus, ut calore, sanguine molliri, naturaliumq; necessitudinibus & amorum familiaribus jaculis penetrari & impugnari non possit.

CAPUT VII.

De Industrijs quas servent ij, qui ex Tirocinio ad Collegia veniunt.

Colligi quidem possunt ex præmissis, potissimum ex prima & tertia, aliquæ industriæ, quas propter spiritum conservãdum, servent ij qui ex Tirocinio ad Collegia veniunt, sunt tamen aliquæ particulares, quæ plurimum juvent Novum Religiosum ad vitam in Collegiis degendam, quando ad ea veniunt post Tirocinium, licet etiam servire possint ijs simpliciter, qui ad Collegium aliquod de novo veniunt, esto non sint de Novis Religiosis.

Industria. 1. cum aliquis de novo ad Collegium venit, maximè si ex Tirocinio & Novus Religiosus est, sumptò aliquot dierum spatiò, quo partim respiret de via, partim domicilium ejusq; consuetudinem recognoscit, interea semetipsum aliquantulum recolliget, & qualiter in eo loco vitam suam Religiosam, attentá occupationis suæ futuræ naturá, nec non ejus Regulis, ductu-rus sit, apud se statuet, assignando quoad poterit, his piis Exercitiis consuetudinibusq; tempora certa, loca, occupationes, occasiones, in quibus ea conservare & exer- C cere velit, absquè censura & nota aliorum, absq; damno suo, absq; præjudicio aliorum, cum accommodatione ad communem Collegij hujus cursum receptumquè modum.

Industria 2. Contrahet notitiam competentem cum Superiore suo, Patreque Spirituali & Professore futuro. Et Superiori quidem ac Patri Spirituali, sive Confessario, statum suum interiorem necessitatemquè aperiat, ut ab eis tantò fidentiùs cer- D tiùsq; dirigi possit, tum etiam documenta & cautelas, secundùm quas eo loci vivere, officiumquè assignatum obire debeat, salvá disciplina Religiosa, salvá Conscientiæ spiritusq; sui integritate Professori verò seu Magistro suo: se quoq, quantùm ad studia literarum, quæ illo docente tractaturus est, submittet, ab eoquè similiter congru-

am directionem, & monita & modum studendi postulabit. Atq; hunc in Spiritualibus internisq; suis necessitatibus recursum ad Superiorem Confessariumq;, in literarijs verò ad Professorem servabit, cum simplicitate ac sinceritate Religiosa sine ullius noxa, statis, quoad vel ipsi commodum, vel illis placitum erit temporibûs.

Industria 3. Supellectilem suam spiritualem, quam ex Novitiatu sive in animo & corde memoriaquè, sive in libellis scriptam collectamq; extulit, secum recolet revisetq; ac proposita releget. Neq; unquam sinet sibi hanc Novitiaticam provisionem, haud dubiè divinitùs sibi in primitiis spiritûs communicatam vilescere, deq; manibus aliquomodo excuti, aut in contemptum desuetudinem, oblivionemq; venire. Hoc enim sine injuria Divinæ Providentiæ atq; gratiæ, itemq, sine multiplici & gravi animæ suæ detrimento non fieret, immo majus opinione, citiusq, spe malum & ruendi periculum ex hoc neglectu incurreretur. Sicut enim in naturalibus rebus, eadem sunt principia conservativa, quæ fuerunt constitutiva rei, ita & in spiritualibus ijsdem omninò exercitijs observationibusq, commodissimè status internus animæ conservatur, nutritur, fovetur, ad profectumquè & maturitatem deducitur in Collegiali vita, quibus ab initio est per Novitiatum constitutus & natus & formatus. Itaq; Novitiatica exercitia & subsidia, provisiones, supellectilisquè non possunt sine præstantissimi spiritûs jactura vel negligi, vel omitti, vel oblivioni tradi & semel amissa vix unquam satis revocari & recuperari poterunt. Repetenda ergo erunt vel relegenda, & sermone cum aliis in memoriam, in usum praximq; revocanda, quæ bene & salubriter in Tirocinio audivimus, observavimus, inchoavimus, proposuimus in adversaria, scripto retulimus. Neq; ab hac Industria ulli nos respectus revocabũt, si boni æmulatores zelatoresq; spiritus esse voluerimus.

Industria 4. Ab initio statim mansionis suæ in Collegio aliquod profitebitur virtutis & disciplinæ Religiosæ studium curamq; etiam in minimis & obviis rebus; profitebitur, inquam, opere magis quàm voce. Et quidem in rebus ordinarijs ordinariam, non autem eam, quæ singularitatem aliquã redoleat, & Novitatem sapiat, affectionem, odiosam notabilemq; insinuet. Hac libera virtutis & disciplinationis professione, & sibi ipsi imponet necessitatem, ita deinceps peragendi, nec stylum mutandi in moribus, & aliis ædificationi erit, & discolorum laxiorumq; mox à se familiaritatem arcebit.

A Quæ industria per multum facit ad pacem & constantiam consequentis temporis. Qui enim initio statim, ita liberum & dominum se in virtutis studio ostendit, liberum solidumq, passum facit, & fundamentum jacit, id est Dominium deinceps continuandum, sibiq; asservandum.

Industria 5. Cavebit curiositatem videndi, audiendi, sciendiq; inutilia, non necessaria, aliena. Cohibita enim hac curiositate ab innumeris se immunem servabit curis, cogitationibus, timoribus, consiliis, conjecturis, speciebus, censuris, scandalis, quodsi eam non cohibuerit, si spongia esse velit, & omnia ad se notitiamq; suam attrahere, sentiet malo suo sententiæ illius veritatem. *Qui addit scientiam, addit do-*

B *lorem.* Fugiet ergo inutiles notitias, ac ne ultro quidem se ingerentes admittet, sed gratis dimittet prout gratis venerunt; neq; pro brevi dulcedine curiositatis, longissimam, maximeq; variam emet pænitudinis pænam.

Industria 6. Amabit & incolet cubiculũ suum, neq; ab eo digredietur, neq; morabitur extra illud unquam sine necessitate, in ambulacris, publicisq; locis nunquam subsistet, neq; se alijs fortè subsistentibus un-

C quam adjunget, sed tanquam urgente necessitate, aliò vel ad cubiculum suum vocaretur, sic festinabit evolare è publico, multa per hanc industriam vitabit incommoda, congregabit commoda, non audiet inutilia, servabit silentium non perdet tempus, officio suo fungetur, pacem internam tuebitur, non incurret complicitatem aliorum defectuum, non superioribus, non disciplinæ gravis erit onerosusquè. In cubiculo autem semper utiliter se occupet, studendo, legendo, scribendo, orando juxta

D temporis ordinem & exigentiam, excludendo inutiles occupationes. Solent enim hæ esse tentatio Diaboli & illusio, ut imperata, occupationes ægrè, obiter, raptim, negligenter faciamus, voluntatis verò propriæ inutilet, impertinentes, cum tota effusione applicationeq; peragamus.

Industria 7. Inter præcipua studia instrumentaq; virtutis ac scientiæ reputabit ordinem temporum & pretium temporis. Omne

mnte punctum temporis habeat adnumeratum, ita ut cuilibet micæ temporis particulæq; habeat adnumeratam occupationem bonam, quæ scilicet vel doctrinam, vel pietatem redoleat. det operam, ut particula boni diei non eum prætereat, nec illi otiosè effluat, tantùm enim revera perfectionis in gratia, in merito, in virtute, in perfectione, in gloria æterna, in scientia, in vita deniq; perdit semper, quantum perdit de tempore, potissimum autem micas & reliquias temporum impendat ex proposito ejaculatoriis orationibus & reflexionibus, super

A

præteritas sequentesq; actiones, aut renovationi intentionis, aut invocationi Divini auxilii, aut præsentiæ Dei, aut exercitio virtutis menstruæ, Examinisq; particularis, aut aliis actibus piis, faciens id suaviter sine actuatione & nimia solicitudine. Tali namq; temporis observatione ditescit anima, pinguescit devotio, fervor conservatur & augetur, gratia Dei cumulatur, unio cum Deo familiaritasq; initur, & innumera alia bona acquiruntur, mala verò excluduntur, adeò ut ne otiosæ quidem cogitationi spatium relinquatur.

CAPVT VIII.

De Industrijs studendi literis atque scientijs.



Sciendum aliam rationem esse studendi Religiosi hominis, à ratione studendi hominis sæcularis. Sunt qui scire volunt, ait S. Bernardus: ut sciant, & curiositas est: sunt qui scire volunt ut sciantur, & uanitas est; sunt qui scire volunt ut scientiam vendant, & turpis quæstus est; sunt qui scire volunt, ut ædificentur, ac ædificent, & hæc Sapientia atque caritas est. Atq; hoc postremum debent spectare Religiosi omnes Societatis, sive dum literas alijs tradunt, sive dum ab aliis discunt, ut nimirum & ipsi ædificentur, & ædificent alios, promoveantq; ad salutem & perfectionem, Deum autem glorificent, ut inquam ritè in studendo se gerant, his industriis juvari poterunt.

B

Industria 1. Religiosus Societatis studeat juxta mentem, spiritum & intentionem Societatis, quod aliud nihil est, quam studere in ordine ad zelum gloriæ Divinæ, salutisq; & perfectionis, tam suæ propriæ, quàm proximorum, ut nimirum efficiatur idoneum Instrumentum Dei & Ecclesiæ & Societatis ad proximos Deo lucrandos, utq; securè non minus quantum ad virturis, quàm quantum ad Societatis absolutionem, aut

C

D

saltem sufficiẽtiam exponi à Societate possit, ad ministerium Evangelij, & ad eruditionem directionemq; animarum per viam salutis.

Industria 2. Religiosus Societatis studedeat secundum Regulas studentibus in Societate præscriptas, cum quo coincidit studere secundum directionem Præfectorum, Professorumq; suorum, sic enim studentibus solet Divina bonitas benedicere singulariter, tum ut proficiant notabiliter ac facilè, tum ut deinceps tempore suo scientiis eorũ utatur Deus atq; labores prosperet, ut sint & Dei gloriæ, & sibi ipsis & proximis proficui, secus autem accidit ijs, qui aut sinistrà intentione, aut præpostero modo præter mentem regularum, contradirectionem præceptorum, studiis operam dant, horum enim operà vel non utitur Deus, vel non benedicit, vel ad summum naturalibus tẽporalibusq; mercedibus compensat labores eorum, &c.

Industria 3. Religiosus Societatis studeat cum diligentia humili, cum humilitate diffidentiaq; sui diffidenti, laboriosa & constanti. Humilitatem in studendo colloco, in sui ingenij laborisq; diffidentia, in Divinæ autem opis & benedictionis imploratione atq; fiducia, quod sibi Regula expressè præci-

præcipiens Religiosis crebram Divinæ benedictionis efflagitationem, ad hoc ut in doctrina proficiant, quod etiam facit diligens, & seria spiritualium rerum tractatio, maximè orationis: facit hoc etiam cultus & amor æternæ sapientiæ specialiter, ejusq; Matris Sanctissimæ, deniq; Patris luminum, & totius SS Trinitatis veneratio. Huic porro invocandi opem Divinam studio suiq; diffidentiæ ex æquo debet labor conatusq; indefessus respondere. Cœlum enim laborantibus favet, otiosis adversatur nec meretur exaudiri ille qui quod in se est non facit Deoq; non cooperatur. Scire enim debet, omnis Societatis filius à Religione ad studendum applicatus, quod si id negligenter perfunctorieq; tractet, quod commissum habet, multis modis inveniatur reus. Nam & in Deum & in Ecclesiam Christi, & in Societatem & in Fundatores, Benefactoresq;, & in proximos, & in semetipsum injurius esse cognoscitur convinciturq; fallit etiam omnium spem, eludit, & fraudat eos fructu studiorum suorum debito; Deum justissimum Iudicem impune transire non possit, formidare certè deberet illam Domini comminationem: *succide illam, ut quid etiam terram occupat.*

Industria 4. Religiosus Societatis studeat ordinatè. Ad ordinem hunc multa spectant, sed potissimum, ut confusio vitetur, nec desultoria levitate, nunc hoc, nunc illud arripiatur abjiciaturq;: nec perturbentur tempora, nec discendorum series commutetur: habeat tempus suum, quælibet studiorum discendorumq; portio, nec quicquam anteponatur illis studiis quæ ab obedientia præcepta sunt. Sequi enim impetum naturæ & calorem phantasiæ irreligiosum est. Ubi satis feceris his quæ imperata sunt forsitan licebit indulgere ingenij æstui & privatæ cupiditati modò & illa sobria, utilisq; sit, nec ullô modô præjudicet obedientiæ, &c.

Industria 5. Religiosus Societatis studeat adæquatè ingenio capacitatiq; suæ. Non debet quisquam ex facilitate, felicitateque ingenij negligentior reddi. Sicut enim absurdè ageret lepus natura velocissimus, si ex eo quod testudinis asellivè cursum facilè æquare posset, non jam vellet uti velocitate sua in currendo, ita felix sortitus ingenium, nequaquam à culpa negligentiæ immunis est, si propterea à labore in studendo sibi adæquato cesset quod tardiorem minusq; capacem citò æquat. Cui plus datū est plus requiretur ab eo, à feraci gleba, plus exigitur quàm à sterilibus arenis, gaudet mercator, si modicis impensis ingentia lucra parare potest, neq; ideo cessat, quando videt alios majoribus impensis minora quærere: non propterea Deus ingenium felix providit largitusq; est tibi, ut inde deses

A evaderes, sed ut capaciore ingenio plura capere contenderes, facilitateq; profectus ad magnum profectum, & ad excellentem fructum messemq; doctrinæ evolares, hoc si non facis fraudas Deum fine suo & defodis talentum, sudario illud involvens, laborem sudoremq; fugiens. Quodsi contingat aliquantum ingenium non proinde felix sortiri, non propterea is abjicere manum debet sed felicitatem conatu laboreq, supplere. Meliores sunt plerumq, profe-

B ctus parti labore quam felicitate & facilitate, sicut diutiùs durat quod æri incisum quàm quod in terra & aqua est scriptū esto hoc sine labore, illud cum molestia etiam perfectum sit. Quare facilitas labore pensanda est, quia labor vicissim duratione ac soliditate pensabitur.

Est autem vitandus quidam scrupulus in quo non pauci impingant ostentatio atq, aucupatio felicitatis facilitatisq, & opinionis de eadem. Volunt enim aliqui videri sine multo labore, multum proficere, mul-

C ta facere, citò peragere, cum tamen sæpissimè in re aliter sit. Verum quicquid sit de hac veritate, hoc verum est, majorem esse laudem justioremq, ac prudentiorum commendationem, si perinde laboriosus ac ingeniosus sis, ut dubitent alij quod præstet in te, laborne ingenij facilitati, an ingenium labori? Sicut enim optimus est ager ille, qui & specie & re ipsa ferax est, ita illud ingenium optimum, quod facilitatem labore adæquat. Talem ergo ambitionem faciliùs ferendam crede, si te æquè facilem

D ac laboriosum probes in discendo.

Industria 6. Religiosus Societasis studeat jungendo literas cum pietate. Hæc enim oportet facere & illa non omittere, pietas ad omnia valet, & præcipuum instrumētum est sciendi, puritas cordis. Etenim *malevolam animam non intrabit sapientia.* Scientiæ Corpus sunt: virtus anima: nihil prodest corpus sine anima: nihil etiam facit anima sine corpore, præstat tamen longè anima

nima corpori. Ut sit homo integer, utroq; constare debet, ut homo Societatis sit integer & absolutus, doctum & probum esse oportet. Completa laus est non minùs esse solidè doctum, quàm solidè sanctum: Scientia sine caritate inflat, caritas sine scientia, se quidem, sed non proximum ædificat.

Industria 7. Religiosus Societatis studeat sine invidia & æmulatione caritati inimica, gaudeat alieno profectu perinde ac suô propriô, ad amandumq; invitetur ipsis talentis condiscipuli, ingenuæ mentis hoc est, quantò magis Religiosæ, quantò magis filij Societatis. Igitur neq; profectu, neq; gratia apud alios, sive pares sive superiores movebitur ad invidiam, ad obtrectationẽ ad sugillationem. Sicut etiam suo profectu, suo successu, suâ apud alios gratia, non ducetur ad contemnendum, ad deprimendum alios, sed potiùs dabit operam, ut omnes alios æstiment, ament, complectanturq; sicut & se, etenim caritas non æmulatur, non inflatur: immo si multitudinem aliorum peccatorum cooperit, quantò magis fratrum. Perinde sordidi animi est invidere quod alteri bene est, ac invidere si alteri tecum bene sit. Si amaris, velis etiam alios amari tecum: si amas, dilata amorem & ama plures, tantò melior es, quantò plures amas, si amantur alij, gaude & congra-
A tulare, ut sis & tu bonus amando sicut sunt alij &c.

Industria 8. Religiosus Societatis studeat solidè, fundatè, fundamentaliter, cum possessione scientiæ cui studet. Qui enim in Societate discunt, non tantùm suâ curâ
B student, sed ut Magistri sint doceantq; alios, cui ergo dubium, quod solidè ab eis opus sit, scientiam facultatemq; possideri, quàm sunt aliis tractaturi. Studeat etiam delectabiliter, ut eum delectet studere, sci-
C re, discere: hinc enim fiet, ut jucundè, ut libenter studeat, nec pigrescat in labore, nec molestè ferat, immo appetat docentiũ diligentiam. Hinc etiam fiet, ut sponte studeat, ut supra id, quod docetur, scire proficereq; contendat, ut studendi nunquã
D finem faciat. Hinc etiam fiet, ut se gratũ Præceptori in omni vita exhibeat, & doctrinæ simulq; labori eorum per se affectus sit. Alias Industrias petat Societatis filius, ex Vita B. Aloysij, Berchmans, Alvari, tu his Industriis utere, Deum in auxilium invocans &c.



VOTA RELIGIOSA SEU TRACTATUS DE VOTIS RELIGIOSIS in communi & particulari.

PARS I.

DE VOTIS in COMMUNI.

CAPUT I.

De Natura & Dignitate Votorum Religiosorum.



§ I. Sciendum, Naturam Voti in hoc esse, quod sit promissio quædam Deo facta: Voti autem Religiosi Natura est, quod sit Promissio Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ Deo facta in ordine ad hoc ut homo vovens, istius modi promissione, atq; ejusdem executione sive observatione, expediatse ab omni impedimẽto expeditè serviẽdi Deo, hoc est, ab omni amore, cura, possessione, proprietateq; rerum creatarum sicq; expeditus, tota libertate & plenitudine affectus sui feratur in Deum, adhæreat Deo, curratq; viam Mandatorum & voluntatis Divinæ juxta Vocationem suam.

Atq; ita Votorum Religiosorum Natura, finis, officium, effectus & fructus est absolvere & eliberare hominem voventem, ab omnibus impedimentis, & retrahentibus, & retardantibus eum in obsequio Divino, facere autem illi viam planam & rectam in consectanda perfectione Virtutum, & applicare eidem veluti quasdam alas, quib⁹ tam velociter quam faciliter, simulque feliciter elevetur, evoletq; ad conjunctionem cum Deo. A Ut proinde Vota Religiosa, ab ijs qui ea beneficio Dei emittunt vel emiserunt, tanti facienda æstimandaq; sint, quanti libertas ab impedimentis serviendi Deo, quanti facilitas currendi ad perfectionem, quanti commoditas velocitasq; evolandi ad unionem Dei. Omnia enim hæc à Votis habentur, sine Votis autem vel nullo modo, vel admodum difficulter & valde rarò habentur. B

§ II Ut prædicta melius explanentur, naturaq; & dignitas ac pretium Votorum Reli-

Religiosorum percipiatur, considera quod cum bonorum creatorum, circa eademquè solicitudinum, ac proprietatum tria sint genera, quæ nimirum animos hominum detinent impediuntq; quo minus liberi & toti in Deum tendant, ejusq; obsequijs vacent absq; divisione & remora & difficultate. Dona scilicet animi, ut sunt, Ingenium, Iudicium, Voluntas, Liberum arbitrium, Fama, Honor, Opinio, & similia. Dona quoq; Corporis & sensuum, ut sunt omnia carnis delectamenta tam licita & honesta, quàm illicita & dedecentia Bona demum externa: ut sunt, opes, possessiones, magistratus, dignitates, pecuniæ, famuli, familiares, amici. His omnibus homo renuntiat, & exsolvit se per vota Religiosa, Obedientiæ quidem à primis, Voto castitatis, à medijs, Voto paupertatis, ab extremis, totumq; & integrum affectum, & amorem, & studium qui in hæc bona variè divisus & dispersus fuit in unum & solum Deum transfert, in eoq; defigit. Liberrimusquè per omnia Divina obsequia occupatur & sine alia ulla solicitudine destinetur.

Ex quo conijce, quantum beneficium Deus homini præstat tunc, quando illum ad Religionem & ad vota Religiosa vocat & admittit, quantum item boni vota Religioso afferunt: quantum differat Religiosus his Votis Deo alligatus, tum ab omnibus hominibus sæcularibus, tum à semetipso, dum adhuc sine Votis fuit, quantum sublevatus sit ab omni creatura, & ad solum Creatorem obtinendum possidendumq; per immediatam unionem admissus: quantum facilitatis adipiscatur, non tantum ad qualemqualem salutem, sed etiam magnam, imò omnem perfectionem virtutis sanctitatisq; apprehendendam: quantum securitatis habeat in negotio salutis perfectionisq; certò adipiscendæ & conservandæ, indiesquè etiam augendæ, quantum deniq; pretij & dignitatis,, æstimationisq, recipiat, apud Deum simul & homines: non potest enim non esse Deo amabilis & pretiosus, qui propter Deum possidendum omnibus plenè simul æternaliter se spoliavit adeò ut ne seipsum sibi reservaverit Non potest etiam non esse admirabilis & venerabilis apud homines: ut qui totus Deus sit, Deoq; unitus, Deo dives, tamq, possideat Deum, quàm & ipse possideatur à Deo perfectè, quod utiq; homines tam reputant laude dignum & ad admirabile quàm in se ipsis experiuntur arduum & difficile. Dummodo is qui vovit, hoc quod Deo vovit corde & ore: servet etiam præstetq; constanti & fideli operatione: servando scilicet cor suum in reliquo vitæ progressu, re ipsâ immune & vacuum liberumq; ab omni amore, cura, possessione. proprietate bonorum tam terrenorum, quàm corporalium, quàm deniquè rationalium atq; adeò suimet ipsius totius.

A §. III. Cùm homo quilibet pro suæ naturæ, (mortalis præsertim) conditione sit ex se mutabilis & varius, potissimum uerò ad bonum arduum & heroicum arreptum continuandumq; mollis, deserendumq; pronus & facilis. Oportet autem & per magni interest eundem hominem in bene cœpto, maximè verò heroico, ad salutemq; & simul perfectionem assequendam suscepto & necessario (cujusmodi est Religiosæ vitæ negotium) firmitatem stabilem ac perpetuam

B habere, (quid enim prodest excelsæ turris fundamenta alta ponere, & post modum veluti alteram turrim Babel imperfectam ad hominum videntium ludibrium deserere. Ideo huic infirmitati mutabilitatiquè humanæ providens Sapientissimus Conditor hominis, Operatorq, & Rector salutis ejusdem Deus, & suggessit & consuluit homini Votorum obligationem assumere, & suam illam animosam rerum omnium etiam suiipsius abjectionem voto perpetuo firma-

C re, eoq; voluntatem suam alioqui liberam & ambulatoriam, stabilem, firmam immobilem immutabilemq; facere.

Ergo Vota faciens homo: efficitur non tantùm liber & solutus ab omnibus impedimentis divini obsequij, pleniq; amoris ejus, & arctæ cum ipso Unionis: sed etiam in hac libertate & immunitate redditur cōstans immobilis & immutabilis, quô nihil est ad bonum hominis verum in hac quidē vita quod addi possit optabiliùs simulq, eti-

D am majus. Quid enim tam optandum quod tam statui beatorum vicinum: quàm in eo statu Virtutis heroicæ locari in hac adhuc vita ex quo dimoveri nec si velis possis. nec si possis, velis: nec posse velis, nec velle possis? Secundùm B. Augustinum. *prima libertas* (hujus scilicet vitæ) *est posse peccare: altera autem est*, (futuræ nimirum vitæ) *non posse peccare*: ad hanc beatæ vitæ libertatem Votis suis accedit Religiosus homo: per illa enim ponit se in eo statu, ut

non possit moraliter seu licitè, propter novam obligationem peccare, non possit resilire ab unione cum Deo, non possit reassumere illa impedimenta unionis arctæ cum summâ Majestate & facilitatis expeditæ, ad obsequia ejusdem majestatis.

Atq; ita beneficio suorum Votorum non tantùm constituitur homo in statu quodam certo & fixo vitæ bonæ & innocētis, sed etiam collocatur in statu alto eminenti vitæ sublimis & perfectæ. In statu, inquam, quia redditur immobilis & immutabilis in cultu & obsequio Dei inq; modo & ordine in facilitate & carentia impedimētorum ad colendum obsequendûmq; Deo, uniendiq; sui cum ipso, & adhærendi ipsi pleno & soluto cordis affectu. Quam immobilitatem si non haberet, consequenter nec statum haberet, nec Religiosus dici posset.

Et quibus non est difficilè colligere, quātum boni sit in Votis Religiosis, & quàm pretiosa esse debeant omni Religioso: adeò sanè par est iis delectari gloriariq; Religiosum: quàm æquum est gloriari, ex eo quod sit immutabilis Dei servus, cultor, amicus, domesticus, amator, quodq; indivisibiliter ac inseparabiliter unitus alligatus & adglutinatus sit Deo. Hæc est vera & proxima, quoad fas huic vitæ, accessio ad beatitudinem sortemq; Beatorum. Hæc est corporalis & Spiritualis, corporis & animæ incorruptio quæ proximum facit Deo.

O utinam quam hæc vera sunt, tam re ipsâ probentur ab omnibus Vota facientibus, & per Votorum vincula Deo alligatis: quod sanè fieret, si quod votis ex animo factus promittunt, hoc post modum ex ejusdem animi plenitudine implerent, se se im- A maculatos & immunes servando ab omnibus, tum rebus extraneis, tum delicijs carnem, sensum, sanguinemquè redolentibus, tum ab inordinato amore suæ famæ, libertatisq;, à cura sui ipsorum regendorum, à cura sui honoris, à proprietate judicij. Quod ipsum nunc fieret, si naturam efficaciamq; Votorum suorum cognoscentes, eadem ut dignum æstimarent, atq; illa tanquam tutissimam, rectissimam, certissimam- B què ad cælum, ad omnis virtutis perfectionem, ad omnem in Dei obsequiis facilitatem, ad immediatissimam ordinatissimamquè cum Deo unionem, Deiq; possessionem, Methodum & viam, ambabus (ut ajūt) manibus tenerent amando, tenerentq; executioni mandando, & sic semper cum hilaritate cordis perseverando.

Tu igitur da nunc operam ut hasce veri- C tates intimè ponderes & penetres, earum ad lucem & normam, præteritam vitam tuam, Votorumq; amorem æstimationem & curam examines, futuram autem sequentemq; ordines & componas: desiderium effectuum fructuumq, istorum ex Votis manantium percipiendorum, simulq, eorundē Votorum perfectissimè observandorum studium, desiderium propositumq, in te maximum succendas.



CAPVT II.

De Natura & Dignitate Votorum: deq; triplici Sacrificio quo per Vota immolamur Deo.

§ I. IN Veteri lege fuit quoddam genus sacrificiorum, quod vocabatur *(pro peccato)*. Etenim volens quis suam pro suis peccatis pœnitentiam Deo testari, eorumq; veniam obtinere, atq; reatum culpæ & pœnæ ijs contractum expiare, offerebat Sacrificium, quod dicebatur pro peccato: quod erat vel hircus, vel quid simile à Deo ordinatum in lege.

In Novo Testamento & Ecclesia Christi, etsi omnia legalia sacrificia unico IESU Christi sacrificio, sicut expleta & suppleta, ita etiam abolita & abrogata sunt: *minimè tamen desunt alia Spiritualia sacrificia* omnis generis à Deo instituta, quæ in virtute meritorum Passionisq; Christi efficaciam habent indubitatam ad expianda & abolenda peccata: cujus modi est inter cætera status vitæ Religiosæ: qui & ipse generatim est status pœnitentiæ: & speciatim omnia genera operaq; pœnitentiæ Christianæ complectitur ac exercet: ita ut quod alij status partialiter sunt, vel habent pœnitendi expiandiq; peccata medium, hæc omnia & singula status Religiosus peculiari, proprio perfectioriq; ratione, consequenter autem & uberiori efficaciorīq; fructu in se continet, professoresq; suos exercere facit. In Religiosa siquidem vitâ locum ex professo habent Sacramenta tam Pœnitentiæ quàm Eucharistiæ: Sacrificia item Missæ, Actus Contritionis & charitatis opera, Jejunia, abstinentiæ, Orationes, flagellationes corporis, cilicia, asper vestitus & vilis, & simplex: vigiliæ, insomnia, labor assiduus corporis & animi, paupertas, obedientia, mortificatio sensuum & Passionum, pœnæ seu voluntariè assumptæ, seu à Regula, seu à Superiore injunctæ, aliaq; hujusmodi juxta institutum & fervorem cujusq; vel ordinis vel hominis.

A Inde fit ut quod jam supra dixi totus status Religiosus, omniaq; opera Religiosi hominis, & omnis vita ejus: sit natura sua jugis & perpetua quædam pœnitentia, exercitatioq; operum pœnalium pro peccatis & peccatorum pœnis. Ita ut nemo possit austeriorem excogitare pœnitendi pro peccatis rationem, quàm est ingredi Religionem: etiam alioqui non summè rigidam. Ad rigorem namq; pœnitentiæ sufficit expoliatio & nuditas tam affectu, quàm effectu suscepta, votisq; firmata, & statu inita, & totius

B vitæ sequentis decursu limitata. Huic enim tali pœnitentiæ, his solis circumstantiis absq; aliis peculiaribus asperitatibus, cinctæ, nulla pœnitentiæ agendæ in sæculo ratio æquivalere, multò minus prævalere potest.

Porrò autem si rectè attendimus totus hic pœnitentiæ in Religiosa vita vigor, à Votis potissimum desumitur: quæ faciunt

C Religiosi: ut manifestè apparet consideranti Paupertatem, Castitatem, & Obedientiã, in eo rigore in quo Votis vovetur Religiosorum.

Quare si quid est in Religiosâ vitâ, quod hominem facit Sacrificium Deo pro peccato, hoc potissima ratione emanat à Votis, & ijs tanquam radici, tanquam origini & fonti est omninò tribuendum. A Votis

D enim est, quod homo non ex parte aliqua tantùm sui pœnitentiam agat, sed totus omninò & integer in bonis externis & corporis & animi. A Votis est, quod omnibus operibus suis pœnitentiam agat, & non aliquibus solis tantùm. A Votis est, quod tota vita sua, omnibusq; & singulis momẽtis vitæ fit, & in statu, & in professione, & in actu pœnitentiæ. Adeò ut ipsa solatia si quæ aliquando habet Religiosus pœnitentia,

tia ſint illi, & pænitentiæ opera ſint. Nam in hoc ipſo quod recreatur alioquin aliquãtulum, quia illud ſuſcipit ex imperio Nutuq; obedientiæ: quia nunc, quia ita, quia tamdiu, & non aliter: ab alieno pendet arbitrio, quod ſine dubio pænale eſt, & in genere pænitentiæ valdè rigoroſum, quia voluntatis Iudicijque abnegationi conjunctum: ac proinde in Voto obedientiæ
A fundatum, ab ejuſq; pretio pretioſum, ab ejus difficultate pænale: ab ejus excellentiâ heroicum. Quin etiam in hac ipſâ ſolatiorum materia ordinariæ annexa eſt paupertas, atq; ſobrietas: habens & derivans valorem, pretium, meritumq; ſuum ab aliis duobus Votis Religioſis: quo fit ut ipſa Religioſorum ſolatia pænoſa ſint, & ad pænitentiæ fructum afferendum idonea.

Accedit quod eadem Religioſæ Vitæ opera omnia procedant ab imperio Virtutis, tum quæ Religio, tum quæ Devotio dici-
B tur: indeq; efficaciam ad ſatisfaciendum excellentem deſumunt.

Deniq; huc facit quod Religioſus ſtatus ejuſq; vitæ actiones: ſint holocauſtũ quoddam Deo exhibitum & actibus exercitum. qua de re in ſequentibus punctis. *Nunc ex conſideratione* horum omnium facilè eſt cõcludere, *tum quæ ſit* natura, excellẽtia, efficaciaq; Votorum Religioſorum, *tum quantũ commodi ex iis* manet in Religioſi hominis animam, ſtatum, & operationes, tum quantum pondus accedat ejus laboribus coram
C Deo ex Votis: tum deniq; quam obviamquamq; in magna licet difficultate facilem & expeditam habeat ſatisfaciendi pro peccatis & præteritæ & quotidianæ vitæ ſuæ facultatem. Ut Religioſus revera nonniſi ſuæ ignaviæ imputare debeat, quod ex hac vitâ cum reatu pænarum purgatorij ſaltem notabili, & diuturnius expiando decedat.

§ II. In eadem Veteri lege fuit aliud genus ſacrificij: quod Impetratorium vocabatur, quod nimirum offerebatur Deo pro Impetrandis gratiis boniſq; ſive Spirituali-
D bus, ſive temporalibus. Eſt enim Sacrificium ſpes orationis, & modus orandi, ſupplicandi, poſtulandiq; ac impetrandi à Deo, ſanè quàm efficaciſſimus: ſicuti & cultus Dei præſtãtiſſimus adeoq; ſoli Deo debitus. Hoc idẽ Sacrificium impetratorium etiam erat gratiarum actoriũ Deo pro beneficijs.

In Nova lege eſt etiam ſuum ſacrificium impetratorium, valdè præſtans & efficax: quod omnes alias Impetrationes ſanctificat & promovet, & conficitur ex Corpore & Sanguine Domini Noſtri IESU Chriſti: Meritò tamen inter Novæ Legis ſpecialia Sacrificia impetratoria computatur ſtatus & Homo Religioſus: quod & ex nomine Religioſi, & ex fine ejuſdem, & ex modo in finem tendendi, & deniq; ex effectu, conſideranti innoteſcit. Religioſi ſtatus ſeu hominis nomen, deducitur à Virtute Religionis cujus ſacrificium eſt ſpecies præſtantiſſima, qua Virtute homines ordinantur ad obſequium Dei, ſi qui autem ordinantur, potiſſimâ certè ratione ordinantur Religioſi homines. Votis ſuis & purificati innocenteſq; redditi, ac ijſdem mactati: ita ut immolent, imò ſint ipſi convertanturque in ſpirituales & Divinas hoſtias Deo: leventq; ſemper in Oratione, (quam ſine intermiſſione faciunt) puras manus effundántque corda ſua tãquam aquam in conſpectu Dei. Quod faciunt Religioſi, & ipſo vitæ ſtatu, & omnibus ſinguliſque actionibus, quas ex ſtatus ſui faciunt ſive imperio, ſive ingenio. Adeo ut totus homo Religioſus, totuſq; vitæ illius curſus quotidianis actionibus & paſſionibus diſtinctus ſimulq; collectus, aliud nihil eſſe videatur, quam Thymiama quoddam confectum incenſumq; in odore precationis & gratiarum actionis, & laudis Domino Deo ipſorum.

Peculiaris certè dignitas, ac ipſis Religioſis peculiari jure propria, Deo in id dicatos eſſe, ut aſſiduò poſtulationes ſuas innoteſcere faciant coram ipſo: omniq; hora adeant ad thronum Dei gratiæ cum fiducia: loquentes Domino ea quæ ad pacem ſunt, tum ſibi ipſis, tum fratribus ſuis, univerſæq; Eccleſiæ Dei: propter quod de uno quoq; eorum dici poteſt illud. *Hic eſt Fratrum amator, & populi Iſrael: hic eſt, qui multum orat pro populo: & universâ Sanctâ civitate Dei.* Agnoſce Religioſe tum dignitatem tuam, tum fructum effectumq; Votorum tuorum, tum officium tuum, naturamque ſtatus & Vocationis tuæ: tum ſpiritum quô omnes totius vitæ tuæ operationes operari debeas, tum deniq; modum, quô te, animamq; tuam, Cor tuum & omnia tua in orationis obſervationiſq; ſacrificium corã Deo impendere effundere, ipſaq; Oratio quadamtenus fieri debeas.

§ III. In eadem Veteri lege fuit quoddam tertium ſacrificij genus, quod holocauſtum vocabatur, quaſi dicas totum combuſtum & incenſum. *Huiuſmodi enim ſacrificiũ offerre-*

offerebatur Deo specialiter ad reverentiam Maiestatis ipsius, & amorem bonitatis eius: & conveniebat statui perfectionis in impletione consiliorum: & ideo totum comburebatur, ut sicut totum animal resolutum in vaporem sursum ascēdebat, ita etiam significaretur totum hominem, & omnia quæ ipsius sunt, Dei Dominio esse subiecta, & ei esse offerenda. S. Th: 1.2. q 10 2 3. ad 8. Quæ natura hujusce Sacrificij quàm probè & ad amussim conveniat statui, hominiq; Religioso per vota Deo dicato facilè est cuilibet dispicere: explicatq, id disertè S. Thomas 2.2. q 186 a. 7. inc. in hunc modum, docens statum Religiosum esse *Quoddam holocaustum per quod aliquis se suaq, totaliter offert Deo: habet autem homo triplex bonum, primò quidem exteriorum rerum, quas totaliter aliquis offert Deo per Votum Voluntariæ paupertatis. Secundò autem bonum proprii corporis quod aliquis præcipuè offert Deo pro votum continentiæ, quo abrenuntiat maximè delectationibus corporis. Tertium autem est bonum animæ, quod aliquis totaliter Deo offert per obedientiam, quâ aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo utitur omnibus potentiis & habitibus animæ.*

A

Atq; ita efficitur totus & totale sacrificium Deo in impletione consiliorum, ad reverentiam ipsius majestatis, & ob amorem ejus bonitatis, & ad imitationem perfectā Christi Domini in mundo conversationis.

Sacrificatur autem non quovis modo, sed per ignem charitatis totum hominem cum omnibus ejus attinentijs quasi coram Deo & in gustum ejus resolvendo, totaliterq; Dominio Dei subijciendo, & quidem non ad breve tempus, nec per transeuntem combustionem charitativam, sed cum perpetuitate quadam, per totam hominis vitā, durante ita, ut hac ratione fiat homo Sacrificium juge, holocaustumq; sempiternum, non solum quotidianum, sed etiam assiduum, & toto vitæ humanæ decursu continuum, nunquam, ne ad momentum quidem ex vi status Votorumq; interruptum.

Qua conditione vivendi in hoc mundo: non potest homo excogitare, sed nec desiderare tum sibi honoratiorem & eminentiorem, tum Deo gratiorem, & dignitati ejus, obligationiq; creaturæ erga Deum explendæ accommodatiorem ac abundantiorem. Et cum hæc conditio obveniat homini Religioso a Votis suis, quibus se Deo obligat æternaliter: utiq; habet irrefragabilem rationem appretiandi Vota sua, statumque suum sibi ex votis pullulantem. Habet quoq; maximam rationem Divinæ bonitati gratias juges agendi quod eum ad tam nobilem sublimemq, vivendi facultatem, ex infinita sua miseratione, nullo ipsius merito deduxerit, in eoq; collocarit, & immobiliter fundaverit.

B

Habet deniq, maximam, partim exstimulationem, partim simul commoditatem Nobilissimo & perfectissimo modo Deo serviendi, Deo se subdendi, Deo se uniendi, Deo se impendendi, Deum exaltandi, ad Deum accedendi, in Deum transeundi, in Deum se se transformandi. Dummodò esse velit, & accuratus status sui æstimator, & diligens exequutor, atq, exæquator.

C



CAPVT III.

De Natura & pretio Votorum: deq; Martyrio, quo per Vota Religiosi coronantur.

§ I. 

Ota Religiosa, statusq; ex eis consurgens, tum Vita quotidiana hominis Religiosi, est quoddam genus insigne Martyrij. Facere enim vota & Religiosum esse, ac religiosè in eo statu vivere, est perdere & mactare animam suam, omniaq; sui corporis bona & commoda & solatia, omnisq; mundi possessionem possidendiq; facultatem & spem, propter Christum. quod certè est mors quædam, & qui hoc faciunt, mortui censentur, interq; mortuos civiliter reputantur. Ad Martyrium sufficit causa & mors: quorum neutrum deest in Religioso: non causa, ut per se patet. propterea enim mortificamur tota die. Non etiam mors, ut ex effectibus conditionibusq, patet.

In morte enim separatio est animæ à corpore & privatio vitæ. In Votis Religiosis & Religiosa vita, separatur homo à mundo universo, deinde separatur, anima à cura carnis, à cura & usu omnis carnem & sanguinem redolentis voluptatis, succedente in ejus locum applicatione & inflictione usuq; omnigenæ corporalis mortificationis, sensuumq, internorum & externorũ afflictionis: deniq, separatur anima à semetipsâ, ab amore sui ipsius, ab amore & usu libertatis, judicij, rationis, honorum, & æstimationis & de se dispositionis.

Est in morte Martyrum cruciatus: isq, aliquando vehemens, aliquando non item, productus aliquando, brevis etiam interdũ, & in uno ictu gladij positus. In Vita quoquè seu morte Religiosi hominis & statûs, est cruciatus, etsi fortasse horrore modestior, at diuturnitate, varietate, continuitate, intimorum animæ affectuum appetituumquè pertentatione afflictioneq, molestior. In morte amittuntur omnia quæ possidebantur à mortuis, & per vota, statum, vitamq, Religiosam amittit homo omnia: efficiturquè incapax omnium, etiam sui ipsius possidendi, atq, gubernandi, estq, quasi non esset est veluti pupillus ac minorennis, est deniq, A veluti mortuus & sepultus, & in aliud sæculum, in alium mundum, in aliam vitam traductus & translatus: cujus nemo ex hujus mundi præsentis hominibus memor est amplius.

Morte Martyris non extinguuntur posteri ejus, sed manere possunt, esseq, heredes illius sicq, etsi moritur, quasi tamen non moritur. relinquit enim similem post se. At morte Religiosi hominis con- B ditioneq, status ac Votorum extinguitur posteritas omnis, transeunt enim Religiosi in statum quodammodo Resurrectionis futuræ, non nubunt neq, nubuntur, sed efficiuntur sicut Angeli Dei. Atq, ita pleniùs quo ad hoc perfectiùsq, moriuntur Religiosi statu suo, votisq. suis, quàm Martyres martyriô.

Mortis genus & instrumenta Martyrij non deligunt neq, designant sibi Martyres. C sed ad omnia passionum genera parati sunt, eaq, perferunt quæ infligere libet iis quorũ in potestate sunt. Et in Religioso Martyrio idem prorsus est: absq, discrimine mortificationi cuilibet sese offerunt Deo, Diabolo, Superioribus, paribus, inferioribus, domesticis, Externis, sibi ipsis, in anima, in corpore, in fama, in fortunis, omni tempore, & loco, & modo, prout libuerit potestatem habenti. Habet ergo Religiosus Mar- D tyrium suum, & potest statui eius accommodari veraciter illud Augustini ser. 4. de Martyribus. *Non Martyrium sola effusio sanguinis consummat: nec sola dat palmam exustio flammarum: pervenitur non solùm occasu, sed etiam contemptu carnis ad coronam.*

§ II. Paupertas Religiosa est Martyriũ: de qua re Sanctus Bernardus ait: *Verè Martyrii genus est voluntaria paupertas, quid enim mirabiliùs, aut quod Martyrium graviùs esse potest,*

potest, quàm inter epulas esurire, inter vestes multas & pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster appetitus? An non meritò coronabitur, qui sic certaverit? Certè non immeritò Salomon ait: *Quis est hic, & laudabimus eum: fecit enim mirabilia in vitâ suâ.* Est autem paupertas Religiosa Martyrium ideo.

Imprimis: quia aufert homini bona & commoditates, ex quibus non tantùm necessaria, sed etiam voluptuosa, etiam superflua,, etiam coram oculis hominum speciosa & honorifica, authoritatē, potestatem, timorem, reverentiamq, parientia, habere poterat.

2dò. quia non tantùm aufert ipsa hujusmodi bona, sed etiam aufert spem & popotestatem habendi ea.

3tiò. quia præter spem & facultatem, aufert etiam voluntatem & cupiditatem, alioqui innatam homini: quod est magis in intima hominis penetrare, eumq, veluti necare.

4tò. quia non tantùm aufert voluntatē & amorem aut cupiditatem bonorum istorum, sed etiam infert contemptum, fugam, odium, irrisionemq; eorum, ita ut Religiosus bona ista externa arbitretur mala, & detrimenta, & stercora.

5tò. quia insuper Religiosa isthæc paupertas adfert homini carentiam bonorum, adfert defectum & insufficientiam, diminuit etiam necessaria, resecat ex toto superflua, ipsa etiam purè necessaria ex alieno tantùm ministrat arbitrio, solumq, & purum usum eorum permittit, eumq, ipsum etiam plenum, sed limitatum ab aliena voluntate, pro cujus nutu, iis non uti, cedere, carereq, paratus est.

6tò. quia infert etiam cupiditatem egestatis, experimentalisq, defectûs, tum verò insuper & gaudium de indigentiâ necessariorum, de præsentia incommoditatum, de affluentia abundantiaq, penuriæ & miseriarum.

Quæ omnia simul præsertim accepta & in praxim experimentumq, deducta, revera morte graviora sunt: nam mors horum potiùs sensum aufert, quàm molestiam ex eorum præsentia infert: cujus oppositum status facit Religiosus: ut verè sit quoad hoc Martyrium majus difficilius illô Martyriô, quod mortem infert.

Itaq, ex hoc capite gloriosa est pretiosaquè paupertas Religiosa, summoq, in pretio habenda à suis professoribus: nec debēt ei injuriam facere facilè, aversatione, impatientia, fuga, erubescentia, aliisq, modis paupertati sanctæ repugnantibus, alioqui non tam Religiosos faciet Martyres sua paupertas, quàm ipsi potiùs eam facient Martyrem, vel certè, sic fient & ipsi quidē Martyres, sed non Christi, verum alicujus alterius: puta propriæ voluntatis ac sensualitatis: vel etiam maledicti dæmonis. Apprehende ergo diligenter & naturam pretiumq, paupertatis: & simul commodum ornamentumq, ex ea tuum: tum etiam obligationem tuam, quâ obligatus es ad amandam, & colendam, integreq, conservandā hanc adeò pretiosam status tui Religiosi gemmam &c.

§ III. Castitas Religiosa est Martyrium: de quo Hieronymus *Habet*, ait: *pudicitia servata Martyrium suum, Epist: ad Demetriadem.* Et rursum alloquens Eustochium Virginē ait: *Quo magis gaudeas, Mater tua longo Martyrio coronata est. Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoq; mentis servitus immaculata quotidianum Martyrium est. In Epitaph: Paulæ* propter quod etiam Sapientis judicio. Non est digna pōderatio (sive æstimatio, & appretiatio) continentis animæ, accipit enim à continentiâ inæstimabile pretium, accipit verò potissimum ex eo, quia per continentiam carnis & mentis transcendit statum mortalitatis hujus: evolatq, ad vitam Divinitati vicinam: sicut scriptum est: Incorruptio proximum facit Deo. Ergo castitas hominem sibi ipsi adimit: ut majus quiddam sit semet ipso: & inter Angelos connumeretur: quorum proprium est absq, concretione experimentoq, sensûs & carnis, vitam agere. Atquè ita castitate mactatur in homine homo, violentaturq, natura, ut in carne sit quasi absq, carne, certè non secundùm carnem. Quod sanè martyrium esse evidens est: Si non quid Martyriô etiam majus: quoniam in hoc plenior est mors carnis & hominis, quàm in ipso Martyrio ut in primo punctо consideratum est. Neq, id mirum esse debet: cum Voti castitatis beneficio evadant homines Angelis ipsis fortiores: utpote quorum castitas felicior quidē sit: hominum autem fortior: Nam quod Angeli sunt per naturam carnis expertem hoc

hoc continentes homines sunt virtutem carnis domitricem, victricem, & conculcatricem.

Sed ad Martyrium castitatis redeundo: castitatem esse Martyrio non tantùm vicinum quiddam & simile, verum etiam majus ac difficilius, evincere videtur illud: quod mortificatio, afflictio, dolor, cruciatus, Martyriumq, carnis: sit amicum quid castitati, & medium subsidiumq, castitatis contra pugnas & hostes illius: ad quas expugnandos, vel declinandos castitas martyrium præeligit, imò & subit, imò & sponte sua illud assumit. Ex quo apparet difficiliora esse durioraq, prælia castorum quam Martyrum: quia ad Martyrium, non est opus auxilio castitatis, ad castitatem autem opus adjutorio Martyrij: levius ergo quiddam est Martyrium, laboriosius autem quid est castitas: ob quod castitas minus horret Martyrium, quàm sua pericula, hostesq, & labores suos, atq, ita magis est Martyr homo castus à sua (votivâ præsertim) castitate, quàm Martyrio.

Quodsi quis ex hoc oppositum concludat: nimirum robustius quid esse Martyrium castitate, eo quod & suos & castitatis hostes superet: tamen ex hoc ipso castitatē esse Martyrium manifestum erit: utpote quæ ad sui defensionem integritatemq; egeat Martyrio: nec possit esse homo castus, nisi simul sit & Martyr: facit ergo castitas Martyrem priùs ut exhibeat castum. Quod qui considerat, facilè advertit, quanta sit Eminentia castitatis Religiosæ, quanta ejus arduitas & difficultas, qualis eius esse debeat æstimatio & quam sollicita & sumptuosa conservatio, utpote cui benè, prudenter, imò & necessariè impenditur vel quamlibet dura mortificatio, vel etiam ipsum Martyrium.

§. IV. Obedientia Religiosa est Martyrium: & quidem præcipuæ partis hominis, nempe animæ, propter quod etiam est hoc genus martyrij præcipuum & principale. Constat enim tantò præstare afflictiones dolores humiliationesq, animæ, afflictionibus & ærumnis corporis, quantò ipsa anima præstat corpori. Corpus quoq, non habet sensum nisi ab anima, ex cujus arbitrio sæpe pendet acrimoniæ in doloribus sentiendis mensura: at verò anima ipsa sibi est fons mensuraq, sentiendi & patiendi, & in medullis suis sentit quidquid sentit; Maximèq, id verum est, quando anima à seipsa & a proprio suo arbitrio afflictionis sumit materiam: estq, ipsa subjectum voluntarium & spontaneum suæ molestiæ: quod fit in obedientia Religiosa: cui sese anima sponte subdit, voluntatemq; suam, libertatem, amorem, rationem, judicium, propēsionem quamlibet, ad objectum quodlibet, alienæ Voluntatis arbitrio tanquam gladio mactat, victimamq; facit: non volens id A quod vult, sed quod alius non judicans id quod judicat, alieno sedet arbitrio, quod an non sit aliquando ipsius Martyrij gravitate gravius, & ad penetrandos animæ recessus efficaciùs acutiusq; vix asserere dubitem. Martyr certè suæ inhærēs per fidē & propter fidem voluntati & judicio, vicissimq; per judicium & voluntatem suam fidei sese adstringens: defendit suam cum fide voluntatem, cum voluntate fidem, at obediens, & voluntatem, & Iudicium suum quantumlibet firmum & vehemens pro- B pter nutum alienum, imò & per nutus alieni opinionem deserit, & alteri submittit, per eamq; submissionem medullas animæ, & viscera rationalis, id est supremæ suæ portionis essentiæq; trucidat. Martyr alienam voluntatem suæ fidei voluntatisquè & assensus firmitate debellat & expugnat: peridq; & propter id Martyr efficitur. Obediens autem suam voluntatem, libertatem, Rationem alienæ voluntatis nutu mactat. Martyr certat pro libertate ac C vitæ animæ suæ: obediens certat contra libertatem, judicium, vitamq; animæ suæ. Martyrio igitur anima non affligitur: obedientiæ autem Voto Martyrizatur. Atq; ita Martyr fit, Martyr veritatis quidem Divinæ, fidei autem & voluntatis suæ. Obediens autem fit Martyr voluntatis humanæ (vel in humanâ Divinæ, seu propter Divinam humnæ:) subiectionis autem, imò stultificationis suæ. Efficitur enim sibi & apud se stultus in prudentia sua, & sapit D voluntate aliena: efficitur jumentum arbitrij alieni, & expoliat se facitq; se mortuū sensui proprio.

Et in Martyrio quidē moritur anima corpori: vivit tamen sibi: at verò in obedientia, vivit licet corpori: moritur tamen sibi: an verò præstantior & præsentior fit mors animæ, qua sibi, quam qua corpori moritur: pronum est judicare. Certè sine dubitatione dicere possumus: quod Martyriū

sit



sit mors corporis, Obedientia sit mors animæ. Ob quam rem etiam obedientia ad exemplum mortui, cadaverisq; exigitur.

Martyrium affligit hominem in sensu, eumq; adimit. Obedientia cruciat hominem in ratione & voluntate, eamq; homini eripit. Insuper Martyrium occiso corpore sensuq; adempto, animam mox admittit beatorum solatiis fruituram: Obedientia verò longo multorum annorum supplicio animam servat & mactat: non per dies tantùm singulos, vel in horas omnes, & per vitæ cursum planè universum.

Habet ergo Vita Religiosa, habent ejus Vota Martyrium suum, consequenter martyrii fructum, pretium, & præmium. Imò non tam est cesenda Martyriū, quàm Martyria, unusq; Religiosus, non semel, sed pluries, multisq; generibus Martyr censeri debet. Religiosus qui servat Vota sua Martyrium subit à Votis: qui autē non servat ab eo Martyrium subeūt Vota. Amor tantùm æstimatio, observatio, perseverantia Religiosis necessaria est: ut ament statum su-
A um, ut sint quod profitentur, ut impleant quod voverunt, ut æstiment exultentq; esse quod sunt: ut perseverent usq; in finem, coronamq; perseverantiæ consequantur.

Propterea tu te hic examina: atq; quantum tibi desit ad eam Votorum tuorum statusq; tui excellentiam dispice. Pudeat te professione esse adeo sublimem, supraquè cæterorum etiam famulorum Dei sortem elevatum: operę autem inter abjecta, & a-
B ut proprio honori, libertati, amorivè, aut sensuum indulgentiæ, commoditatiq;, aut quod indignissimum statui Religioso est, cujuspiam extraneæ reculæ, servientia, subditaq; mancipia computari.

CAPVT IV.

De Amore & appretiatione observationeq; Votorum.



Vita Religiosa militia, actio ejus est prælium, luctus, conflictus, pugna. Hujus militiæ arma sunt Vota. Arma quidem tam levia, ut sint ipsa levitas, & alleviatio: tam nihilominus firma & valida & impenetrabilia, ut sint ipsi Deo, (multoq; magis inferno & diabolo, & peccato) potentia. Nec id mirum: quia sunt etiam non aliô, quàm Deô ipsômet potentia & roborata. Tam præterea sunt hæc arma tractabilia, seu ad usum tractationemq; idonea, ut sola illorum memoria, plerumq; sufficiat, certè ipsa sola æstimatio atq; amor eorum plusquam satis sit, gestatio verò & præsentia & exercitium longè maximè sufficiat in omni periculo & necessitate belli, quâ offensivi quâ defensivi spiritualis.

Ea propter, hæc arma, licet assiduò portari, neq; unquam deponi velint. tamen non solùm non gravant militem, sed etiam levem faciunt. Licet etiam hominem spolient, tamen quantò magis spoliant, tantò magis obarmant. Licet semper in mani-
C bus esse possent, hoc tamen ipsum illis ad integritatem atq; ad defensionem sufficit, esse in manibus, hoc est in observatione & praxi, alioqui si seponantur, rubiginem cōtrahunt, nitorem amittunt, neq; adversario terrori sunt, neq; gestantem tuentur. Ex his conclude: tam tibi esse amanda, familiariterq; tractanda Vota, quàm militi arma.

§ II. Religiosus ædificator est, sum-
D pt⁹ ædificii hujus quod ædificator molitur, in quo mansurus est, æternum in cœlis est à Votis, imò sunt Vota, qui caret Votis: (caret autem tam qui non fecit, quàm qui non amat nec servat, quæ fecit Vota) caret sumptu idoneo, frustrà molitur ædificium, Babylonem imò ruinam ædificat, illuditur ei à dicentibus: hic homo cæpit ædificare & non potuit consummare. Dura irrisio ab homi-

ab hominibus: durior à dæmonibus, durior ab Angelis & Sanctis, duriſſima à Chriſto & Deo. Evitabis illam: ſi vota diligendo ſervaveris, ſervando dilexeris.

§ III. Religioſus eſt Architectus ædificans domum non manufactam in cælis. Domum ſcilicet perfectionis, & imitationis. Fundamenta domûs hujus ſunt Vota, ſine his non ſtat perfectio: uſq; adeò ut etiam extra ſtatum Religionis, perfectio non ſtet, niſi fundata in Votorum Voto. Sæcularis enim perfectus & juſtus debet ſic amare mundum, quaſi mundo non utatur, quaſi non amet. Potiùs amorem curamq; hanc & uſum patiatur quam agat. Et quia effectu non poteſt, ſaltem affectu debet eſſe pauper, caſtus, obediens. Ergo ſæcularis ut ſit perfectus in Voto, Religioſus eſſe debet: quandoigitur hoc magis neceſſarium Religioſo, in actu Vota, in praxi, in obſervatione, in amore, in pretio debet habere tanquam fundamenta ſurrecturæ perfectionis moli & turri ſubſternere: eaq; in ſolo, inconcuſſo Chriſti imitationis locare & jacere: ac ſemper eadem omnibus modis integra intemerataq; ſervare, ad quod ſine dubio cura & amore ingenti ferventiq; opus eſt.

§ IV. Religioſus eſt operarius, merces ejus in illa quidem vita, eſt æterna beatitudo, in hac autem ſunt vota, ſeu Votorum perfectio atq; beatitudo. Inde nullam aliam homo, mundum, Chriſti causà deſerens, in hac vitâ mercedem habet à Deo, niſi vota ſua quæ facit, ſeu quibus Deo totus mancipatur, & in poſſeſſionem ſimilationemq; Dei perfectè tranſit. Cum igitur tantô ſumptu, (totius ſcilicet mundi jactura & ſuiipſius) emerit à Deo hanc mercedem & mercem, nonnè poſcit ratio, ut illam tanquam pretioſam Margaritam, tanquam agrum theſauro latente divitem ſummè æſtimet? Certè operario grata eſt non tantùm merces, ſed etiam dies ipſa mercedis ejus, quidni igitur & Religioſo grata ſint Vota ejus quæ ſunt & Merces, & merx, & beatitudo ejus?

§ V. Religioſus eſt Rex, ſervire enim Deo regnare eſt, regnat enim ſibi, carni ſenſui, libertati amori, honori, diabolo, mundo deniq; regnat Deo. Tantus Rex eſt Religioſus. Corona capitis ejus, opulentia & opes & ſubſtantia tota, inexhauſta ejus, ſunt A Vota ejus. Scio cui credidi, ait unus eorum: qui potens eſt ſervare depoſitum meum. Deus depoſitarius Pauli fuit. Paulus creditor & Rex fuit. Providentia, omnipotentia, voluntas, ſapientia, bonitas, veracitas, fidelitas Dei, ſunt regna tributaria Religioſi: quantò ergo magis ſæcularia, & alia creata omnia. Ius in hæc omnia ex Votis eſt: his ex fide, ex pacto, ex æquo & bono omnia promiſſa, omnia debetur. Quantus B ergo fructus, quantus honor, quantus decor Religioſo ex Votis? & non amabit Vota ſua Religioſus? Miramur Religioſum pannoſum pauperiemq; honori eſſe mundo, terrori diabolo, amori cælo? Majus his omnibûs eſt, quia regnat Deo, & poſſeſſione legitima hæreditariaq; gaudet Deo. Æſtimate Religioſi Vota veſtra. Tantum enim habetis, quantum Vota veſtra amatis & ſervatis.

C § VI. Religioſò ſic ſunt amanda Vota ſua, ut amet ſimul obſervationem eorum: amoremq; votorum teſtetur obſervatione. Nihil enim prodeſt Votis eſſe illigatum: in obſervatione autem eorum eſſe diſſolutum. Extremi periculi & probri eſt vovere & non reddere. Quorſum tanti ſumptus: ſi neglectu tota eorum perditio? Vota dicta ſunt: quod ex intenſo, intimo, cordialiq; D amoris affectu ſint nuncupata: hoc enim vovere dicimur, quod ſummè deſideramus, & deſiderare ſemper volumus: utq; velim⁹, ligamus voluntatem, Voti obligatione: adigimuſq; illam volentem ad volendum, quia vult ſemper velle, quod ſe jam gaudet velle. Ergo & natura & nomenclatura Voti amorem poſcit, obſervationẽq; ſui.



CA-

CAPVT V.

De pretio Votorum, & observationis amorisq; eorum felicitate.



§ I. VOta Religiosa sunt vinculorum & compedum mundi, diaboli & carnis, amorisq; proprij absoluta & vera diruptio atq; abjectio. Ita ut omnis qui votis est Religiosis illigatus: cum suavi gratiarũ actione possit debeatq; dicere Deo. *Dirupisti Domine vincula mea*: quibus irretitus tenebar quamdiu mei juris eram: & sæculi non libertate, sed revera captivitate detinebar: propterea *Tibi sacrificabo hostiam laudis*: nuncupãdo vota mea: & tibi me in holocaustum immolando. Adduc propriam experientiam tuam, adduc aliorum innumerabilium hominum: quanta sunt vincula sæcularium, quibus catenis constricti tenentur & gemunt, & merguntur in interitum æternum. Ab his omnibus vinculis & solvitur & absolutus est qui vovit Vota Religiosa: absolutus est in æternum quantum in ipso & ex vi votorum ejus est. *Quantum ergo sibi debet* complacere in Votis suis? quantas Deo pro eis agere grates? quãtum illis pretium habere apud se: tanquam instrumentis libertatis suæ, & dissipatoribus miseræ, immanis, inumeræ servitutis suæ?

§. II Vota sunt vinculorum Christi assumptio & induitio. Dum enim Vota nuncupantur, verè implet qui nuncupat, illud Domini IESU dictum. Tollite jugũ meum & onus meum super vos: jugum enim meum suave, & onus meum leve. Votis ergo homo liberatur à servitute peccati & diaboli: & efficitur servus Iustitiæ; quæ servitus est vera libertas: & ita efficitur servus libertatis: id est, efficitur libertinus. Induit ergo homo per Vota compedes libertatis veræ, aureæ, sanctæ, Divinæ. unde etiam invenit requiem animæ suæ.

Neq; id mirum esse debet: quandoquidẽ per Vota ipsummet Christum induit: Sicut enim per baptismum induit Christum quilibet quoniam ex mancipio infidelitatis factus, est servus fidei & veritatis & legis & gratiæ Christi, tanquam palmes viti, tanquam membrum capiti innectitur inseriturq; Christo: Ita per Baptismum hunc renuntiationis, per Vota factæ: tantò pleniùs A quilibet induit Christum, quantò pleniùs perfectiùs, perenniusq; ac irrevocabilius abrenuntiat omnis creaturæ, etiam suiipsius, (quod in Baptismo non fiebat) amori, dominio, proprietati, usui etiam ipsi arbitrio: efficitur autem unum quiddam cum Christo, quia sublatò omni medio creato, totus, immediatè, plenà, liberà, expeditaque Charitate unitur Christo, & transformatur in Christum, efficiturq; veluti alter, B imò ipse Christus. Nullam aliam habens possessionem præter solum unumq; Christũ propter quem lucrifaciendum, omnia, etiam semetipsum detrimentum fecit. Quod totum admirabile & inæstimabile negotium, atque simul beneficium conficitur naturali efficacià beneficioq; votorum religiosorum. His enim homo perfectè & absolutè moritur & perit mundo, sensui, ipsi C sibi, omniq; creaturæ propter Deum, absq; medio in solum incidit, recipitur, transformaturq; Deum.

His ijsdem Votis illigatur (seu religatur unde & Religiosus vocatur) Deo, alligatur Christo, & fit præcipuum præcipuoq; conjunctionis modo membrum ac palmes Christi, singulari atq; proprio quodam jure singularem specialemq; succum gratiæ ac meritorum participans & trahens de pleni- D tudine Christi Unde etiam magis efficitur pars vitalis, viva, sana, utpote fonti vitæ magis vicina, arctiùs pressiùsq; incorporata.

Utinam hoc beneficij, hôc inquam vinculi genus, vel potiùs, hoc Votorum beneficium

ficium, utinam Religioſi genuinè percipiant intellectu, intimèq; ſimul participent effectu. Longè utiq; alia eſſet vulgo Religioſorum in Spiritu & perfectione conditio, longè alius amor Votorũ,& longè alia æſtimatio, ac tandem longè & alia obſervatio,

§ III. Vota Religioſa ſunt annulus, & pignus ſponſale ſubarrhatoriumq;, quo Religioſus & Deus mutuò deſponſantur: fiuntq; duo in Spiritu uno: quoniam qui adhæret Deo unus ſpiritus eſt cum eo; adhæret autem omnis qui vota facit: quia per vota cui adhæreat non habet, utq; nec habeat, nec habere poſſit, per Vota id facit: propter quod relinquit homo & Patrem, & Matrem, & corpus & animam, & ſeipſum, & univerſa creata: & adhæret ſponſo ſuo Deo, cui ſponſatur in fide & fidelitate, & ſpe;& fiducia, & charitate, & devotione.

Atq; hujus deſponſationis pignus memoriale annulus pronubus, ſunt Vota, quemadmodum & ipſa deſponſatio peragitur per Vota.

Expende ô Religioſe hanc & tuam & Votorum tuorum dignitatem: ex mancipio mundi, ex jumento carnis, ex captivo diaboli, ex cloaca peccati, ex titione inferni, efficeris Sponſa Chriſti & Dei, & efficeris per Vota: & annulus ſponſalis ſunt tibi Vota & ſyngrapha tranſactionis tam æternæ prænobiliſq; ſunt Vota. Et dos conjugij hujus ſunt Vota: cogita quanti æſtimare, quo loco habere: quàm delicatè & tenerè ſervare debeas hæc tua Vota? Cujus frontis eſt pronubum annulũm, pignus ſponſalis amoris nexuſq; æterni cum Deo contemptui & neglectui habere? O agnoſce Religioſe dignitatem tuam, Votorumq; tuorum: & per Vota factus divinæ conſors deſponſationis: noli in degenerẽ per neglectum Votorum tuorum tranſire deinceps converſationem.

§ IV. Vota Religioſa ſunt Beatitudinis inchoatio: atq; in centuplum obligatio mercedem, ſtipulante atq; exhibente ſapientiſſimâ ſimul ac omnipotentiſſima Dei providentia. Qui Vota Religioſa emiſit: cõſcendit trium maximorum virtutum ſupremos gradus, & tantùm infra ſolius viſionis dilectioniſq; intuitivæ ac beatificæ gradum conſtitit, Vota Religioſa trifariam beatificant voventem. 1. Auferendo ab eo omnem miſeriæ materiam, quæ ex peccando, ex amiſſione & curâ bonorũ, ex errore ignorantiavè naſci ſolet. 2 Vovendo evehũtur in ſupremos gradus ſummarum virtutum Theologicarum & Moralium: præterquam quod ſint ipſa virtutes Heroicæ & ſtatus inſuper earum ſive in eis. 3. Dando Deum in poſſeſſionem hominis, hominemq; in Dei: ita ut ſpeciali jure ac modo ob vim Votorum & Deus ſit voventis & vovens Dei poſſeſſio, quomodo non eſt ullius creaturæ in ullo ſtatu, hujus vitæ etiam in Eccleſia Chriſti. In veritate enim neq; fides neq; ſpes, neq; charitas hujus vitæ altiùs promovere hominem poſſunt quam ad Votorum altitudinem, latitudinẽ, humilitudinem, ac profunditatem: Ab annihilatione enim & proditione ipſius hominis incipiendo, omnem creaturam complexa deſerunt & contemnunt, uniq; ſoli nudo ac ſimplici enti & bono ſummo Deo, in æternum irrevocabili promiſſo hominẽ Vota Religioſa immergunt, inſerunt, inviſcerant, indivinant. Ita ut ſolus Deus ſit tali homini omnia in omnibus in hac vita: & merces ejus non tantùm centupla, ſed prorſus magna nimis,non minus ipſa quoquè in æternum, quàm homo,Deo devotus, eſt in æternum. Quomodo ergo non beatitudinem jam inchoavit, qui ſe per Vota Deo addixit & ſacravit?

Hæc ergo natura Votorum eſt, hoc beneficium, hæc efficacia ſublimis & admirabilis, & quamvis omnibus quicunq; Vota faciunt in Religione, ſit veluti de jure communis: hoc tamen manna abſconditum eſt in praxi, & experimento, omnibus illis, qui eſto fecerint Vota profitendo, non ea tamẽ profitentur exequendo. Contingit enim illis quod filijs Iſrael, qui omnes quidem manna manducabant in deſerto: non omnes tamen omne delectamentum ſuavitatis deprehendebant in ipſo, ſed ij ſoli in quibus beneplacitum fuit Domino & quibus beneplacitum fuit in Deo. Ita Religioſi, omnes quidem Vota emittunt: ſed eorum efficacem virtutem atq; dulciſſimam ſublimationem nonniſi ij ſoli percipiunt deguſtantq; qui delectantur Votis ſuis, eaq; amant ut ſervent ut perficiant, perficiunt ut in eorum latitudine ſine offendiculo, ſine retinaculo, ſine adhæſione ad illius rei creatæ amorem in Deum currant, in Deum tranſeant: & ſicut ferrum in ignem, àër in lucem, gutta in immenſum vinum, plena & conſtanti amoris ſinceritate, cordis nudi

tate,

tate, Voluntatis resignatione atq; conformitate transmutentur. Ad quam beatitudinem nulla certior, planior, breviorq; viâ quàm Religiosorum Vota ex animo nuncupata atq; servata. Quam si plerisq; obtinere non contingit, hoc cæcitati suæ in cognoscendo æstimandoq; Votorum pretio & lentitudini studioq; perfunctorio in eorundem observatione adscribere debent.

In veritate namq; pleriq; Religiosorum ita in Religione vivunt: ut omnia alia potiùs negotia curent, quàm ut se Votornm suorum amori, æstimationi, peritioni, cognitioni, exactæq; ac insignius diligenti observationi impendant. Satis habent crassas & in omnium oculos incurrentes Votorum injurias devitasse: quotquot autem honesto aliquo prætextu obvelare possunt, hos inter minora, ne dicam inter nullam dispēdia connumerant. Inde Vota Religiosis sunt onera, inde laquei, inde lapsuũ & casuum seminaria, quod utiq; non Votorum
A ingenio ad libertatem serenitatem, suavitatemq, conscientiæ divinitus instituto, sed voventium, quæq; voverunt morosè & miserè observantium vitio evenire, quotidiana experientia manifestum facit.

CAPVT VI.

De proveniente Religioso ex Votis suis securitate atq; pretio.



§ I. Vota Religiosa (& vita iners fundata, secũdùm formam & naturam votorum directa) sunt veluti navigatio absq; omnibus periculis, scopulis, ventis adversis suscepta: perpetuis autem prosperitatibus, obsecundantibusq; ventis, procul omni metu, sub infallibili navarchorum siderumq; ductu instituta: ad portum planè securum, ad fortunatasq; regiones, ad Beatissimæ Patriæ sedes terminanda

In alijs quidem statibus ac Vitæ generibus miseri mortales, penè semper adversis obluctantur ventis, in periculosis scopulosis monstrorumq, & pyratarum plenis oceani plagis, inter assiduorum naufragiorum metus, & sub oculos positos conspectus navigantes: ita ut vix quisquam integris mercibus, rarus non naufragus in tabella enatet ad littus: Unus solusq; status Religiosus est is, qui omni procul metu securus suos portat per mare undequaq; pacificum & & prosperum. Quod à beneficio Votorũ totum manat. Qui enim paupertatis, castimoniæ ac obedientiæ navigio vehitur: nulla habet pericula à quibus metuat. Deum enim navarchum, Deum rectorem, Deum ventorum adspiratorem, Deum & ejus voluntatem sapientiamq; cynosuram
B & acum nauticam habet. Navigat ergo plenus securitatis in tantum, in quantum votorum suorum fiducia & sinceritate animatus fidit Deo: in quo nemo unquam speravit & confusus est: sed potiùs singulariter in spe constitutus, in pace inidipsum dormit & requiescit, sciens quoniam cui se & sua omnia credidit, Deus est Ama Religiose navigationis istius securitatem.
C securitatemq;, & cave intempestivis cupiditatum tuarum æstibus tempestates cōcitare, quibus Votorum & vitæ tuæ Religiosæ navicula in naufragos scopulos breviaquè impacta dissolvatur. Amor æstusq; propriarum voluntatum, sensualitatũ, & commoditatum ac superfluitatum: hi sunt invincibiles scopuli, hi furentes venti, hæc monstra profundi maris, hi pyratæ crudeles: Religiosarum navicularum mercium,
D quas nemo evadit neglector Votorum, nemo metuit servator Votorum.

§. II. Vota sunt mercium & bonorum omnium humanorum Spiritualium, corporalium,

ralium, demum etiam externorum, in securissimum, munitissimumq; locum depositio, atq; etiam in agrum centesimi millesimiq; fructus seminatio. Vota enim facere est aliud nihil, quàm fænerari Domino, est nihil aliud quàm seminare totam substantiam suam in fæcundissimæ liberalitatis ac feracissimæ Providentiæ Dei agro: ex quo 1000, & 1000, & æternum & immensum fructum redditum cum exultatione metere liceat: est nihil aliud, quàm tutissimo loco, quô scilicet neq, fur appropians, nec tinea demoliens, neq, erugo corrumpens accedat, universa bona & opes suas deponere ac recondere.

Bona quæ homines in hoc mundo mundani habent: quantis non sunt obnoxia casibûs. Satis fuit opulentus Iob, & paucas intra horas exutus omnibûs, solum illi sterquilinium in quo sederet, sola testa quâ saniem defluere tardantem raderet, residuum accepit. Homini autem Religioso quid in mundo perire, quid eripi potest? Omnia arbitratur ut stercora? quid lugeat? Ipse sibi perijt, & alienus totus est: cur tristetur? Unum nudum centum armati spoliare non possunt. Mortem non timet, qui jam totus magis mortuus est quàm vivus. Iacturam non metuit honoris: qui & se contemnit ipse, & gaudet quæritq; contemni: ac dolet non contemni. Et non est hoc super fortunã, super casũ, super mutationem omẽ esse? Adeo securo loco est omnis qui Vota novit & reddit Domino, adeò in tuto omnia deposita habet sua. Nec mirum, quoniam Deus est illi omnia in omnibus, & in Deo sunt omnia ejus, & Deus est omnia ejus, atque hoc Votorum est beneficium & observationis eorum.

§. III. Vota Religiosa sunt manuductio Dei quædam: omnes enim Votis Religiosis sibi obligatos, Dominus Deus, tanquam proprios suos eosq; tenellos filios perpetuò in omnibûs & singulis, non tantùm actibus verum etiam cogitatibus veluti manu tenens ducit & deducit secundùm beneplacitum voluntatis sapientiæq; suæ. Et quamvis hoc gubernationis Divinæ perpetuum obsequium omnibus non tantùm hominibus, sed etiam creaturis suô modô impendi à Deo fatemur: attamen speciali quodammodo & obligationis jure propensionisq; teneritudine hanc curam impendere partim dignatur, partim tenetur Religiosis Devotisq, suis Deus. Ita ut peculiariter appropriateq; dicatur de unoquoq, eorum à Deo illud: *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium.* Quoniam enim Religiosus quilibet per Vota sua, ad illum se se statum sciens volens deducit propter Deum, & in spem Dei, in quo sunt infantuli & lactentes respectu Parentum & nutritiorum suorum: omnem omninò curam suarum rerum, suique ipsorum, omnem judicij prudentiæq; industriam & libertatem à se abdicantes, & in Deum, plenè transfundentes: ac si omninò & nudi, & amentes, & libertate destituti, & mancipia jumentaq, & pueruli simplicissimi forent. Inde fit, ut speciali quodam respectu obligent sibi Deum ad sui gubernationem, perpetuamq, in omnibus & singulis manutentionem atq; directionẽ, quod sicut nulla creatura alia per Vota & ex vi status facit: nulli etiam alteri creaturæ Deus hanc peculiarem manuductionem impendere tenetur.

Viderit ergo Religiosus quantam consolationis & securitatis abundantiam ex Votis suis habeat: quâ vitam suam fiducia vallatam subnixamq; in Deum transigere possit, quam totus cura sui, rerumq; suarum omnium vacuus: quàm totus certus optimi Deoque placiti utpote Divini progressus successusq; esse semper debeat. Quam insipienter agat periculoseq; dum se angustijs pusilli, vel intemperijs cupidi cordis sui actus in sui curam rerumq; suarum solicitudinẽ, vel uno digito intromittit. Per hoc enim Deum omninò arcet à sui curâ, & ostendit se vel non egere, vel parùm contentum esse industria manuductioneq, Divinâ.

§. IV. Vota Religiosa sunt: pondus & pretium tum Religiosi ipsius, tùm omnium actionum ejus, & quidem maximum atque certissimum. Quidquid enim à Religioso Votis illigato fit, id totum peculiari ratione bonum, peculiari ratione gratum Deo, peculiari ratione meritorium, peculiari ratione mercedis majoris dignum, peculiari ratione præmij sui certũ securumq; est, quod peculiaritatis genus nulla opera hominum extra Religiosum factum, quantumcunq; bonũ, & insigne sit: caret semper eo virtutis bonitatis excellentiæq, gradu quem ex Votorũ & status Religiosi beneficio habere posset, quo nullum Religiosi hominis (dum modo malum non sit) opus destituitur: quia nullius status alterius homines ita Deo subjiciuntur

untur subdunturq;,neq; etiam ex tali subjectione operantur, cùm operatur: quomodo Religiosi vi status Votorumq; subditi sunt operanturque.

Et quamvis possit etiam secularis aliquis aliquid vovere Deo, ex Votoq, facere: tamē ne sic quidem adæquat excellentiam & valorem operum Religiosi hominis: sicut etiam dictò suò Votò non adæquat statum Religiosi hominis: neq; enim per suum Votum evadit ad statum perfectionis. A Quodsi opera sæcularis hominis licet ex Voto facta: non adæquant dignitate & valore operum Religiosi hominis pondus & excellentiam: quantò minus id facient opera facta non ex Voto? Opus sæcularis hominis bonum est velut vinum ex vase luteo vel ligneo manans:- Opus autem Religiosi bonum est velut vite vinum excrescens: aut velut ex auro gemmeoq; vase profluens. voluntas quippe sæcularis hominis etsi bona sit,quæ facit opus bonum: est tamen B veluti lutea & lignea bonitate bona, cui sit non naturale,nec proprium,vinum boni operis fundere: sed potest etiam indifferentia & mala proferre. At verò voluntas Religiosi, Votis Deo tradita, & tanquam vitis ad botros & vinum, connaturaliter ad hoc ordinata vi Votorum Deoq; tradita ut ex ea genuinum vinum botriq; naturales excrescendo procedant. Est tanquam vas aureum gemmeumq; traditione æterna per C votum totaliter Deo sacrata, sacraq; facta adeò, ut non tantum actus ejus primi, ipsa scilicet potentia ejus Dei sit, & æternaliter quidem ac inviolabilis Dei propter Vota. Itaq; sæcularis dat quidem vinum Deo, sed non vas, non vitem. Religiosus autem & vitem vasq, pridem dedit ac sacravit: & ex vite congenitum vinum operum bonorum fundit ac premit Opus sæcularis hominis, bonum à semel tantùm & transitorie tantum bona volontate procedit: & ideo etiam semel tantùm bonum est. Opus autem D Religiosi sicut est à voluntate multipliciter bona, (nam 1. est pridem Votis Deo sacrata, totaliterq, ac radicitus in ipsâ potentiâ devota donataq;: & 2. nunc quando actu bonum operatur pristinâ illam bonitatem ex devotione inditam, in effectum producit:)ita etiam opus ipsum erit multiplciter bonum, ac per hoc multipliciter meritorium,

Quod usq; adeò verum est: ut non sit opus Religiosum ad quodvis individuum suum opus intentionē voluntatis in Deum referre· (licet etiam hoc facere laudabile est meritoriumq; & Religiosis familiare sit) sed sufficiat facere ex vi & impulsione statûs Religiosi, Deoq; totaliter cum omni potētia & radice qualibet operandi pridem sacrati ac devoti: Ex tali enim operandi modo, origine, radice, & fundamento, atq; fonte non potest manans ipsa operatio non esse Dei, divini juris, Deoq; grata. Sicut enim longè alia est ratio fructuum in foro venalium, & alia ex horti Domini arboribus decerptorum: illi enim si Patrifamilias ad cibum offerantur: nonnisi emptionis jure ejus fiunt: at verò si decerpti ex hereditario horto porrigantur, sine emptione ex vi solius nativitatis suæ, quia scilicet ex arboribus quarum Paterfamilias est hæres nati decerptiq; sunt, & sine oblatione,juris tamen Domini fiunt. Ita opera sæcularis bona, quasi ex foro venalia ad Deum empta perveniunt: Religiosi verò ex hereditaria Domini arbore nata hoc ipso juris Domini sunt, quia nata sunt. Unde etiam speciali jure & ratione tum bona, tum Deo grata, tum eidem propria, tū meritoria,tum mercede majore digna, tum præmij securiora sunt.

Ex quo fonte eodem sequitur quoq; opera Religiosi sicut ad merendum ampliùs, ita etiam ad laudandum, exaltandum, adorandumq, seipsis Deum, ad impetrandum à Deo: ad satisfaciendum quoq; Deo esse efficaciora, quàm opera non à Religioso facta. Vide ergo mi Religiose quanta sit felicitas, quanta aurifodina recondita tibi in Votis tuis, & ex hoc collige quo tibi in pretio esse debeant, quàm in Deum ingratus, quàm in te ipsum injurius sis, dum Vota tua nec æstimas, nec servas prout debes.



CAPUT

CAPVT VII.

Qualis debeat esse in Religioso Votorum amor, & observatio.



§ I. Votorum omnẽ laudẽ pretiositatem, utilitatem potissimũ ab observatione, hâc potissimum ab amore, æstimationeq; pendere: vicissimq; amorem ac æstimationem præcipuè per observationem dilucescere. Igitur amor Votorum observationi eorundem innectitur, sicut arbor fructui, fructusquè arbori. fructus arboris bonitatem indolemq; indicat, arbor fructui totam ejus substantiam laudemq; communicat. Tunc ergo verè amantur ac æstimantur Vota à Religioso, quando strenuè sincereq; observantur. Frustra gloriatur de Votorum amore: si quis perfunctorius ac laxus convincitur esse in eorum observatione. Ut itaq; comproberis esse verus Votorum amator, sis observator; ut verò sis observator, esto amator.

§ II. Votorum veræ strenuæq; observationis conditiones sunt non paucæ, earum præcipuè sunt hæ.

1, Votorum observatio esse debet secundùm Exemplar Christi Domini in unoquoquè Voto. Qualem & quomodo Christus observavit in hac vita paupertatem, castitatem, obedientiamq;: talem & eodem modo Religiosus, qui amore & imitatione Christi Vota fecit, debet observare. Et semper quidem observatio hominis imperfectior erit quàm Christi fuit, quia tamen illi non æquare sed imitari Christum incumbit, tunc instar Christi observabit, quando amplius ampliusq; proximè ad similitudinem Christi accedere connitetur.

2. Votorum observatio esse debet secundùm spiritum & exemplar primorum Religionis fundatorum: quorum utrumq; ex doctrinis, & operibus illorum ad posteros transmissis cognoscere, est: ut enim in fonte purior est aqua, & in sole lux, quàm in aliis remotioribus derivationibus, ita cujuslibet Religionis puritas, atq; sinceritas, penes fundamenta, penes fundatores est attendenda, A ab iisq, desumenda, & ad paritatem illius in successoribus exploranda. Qualis ergo zelus fuit in primis Patribus ordinis pro omnibus & singulis Votis observandis: talem in se habere debent, qui successerunt post eos, si nolunt & ipsi degeneres esse, & Religionem à primævo spiritu degenerem facere. Interroga igitur Patres tuos, & dicent tibi: quomodo observare B Vota, quomodo pro eorum integritate zelare debeas? interroga vitas & exempla, interroga doctrinas & præcepta: & ijs observantiam tuam accommoda: tunc enim illa haud dubiè perfecta erit, quando primis ideis exẽplaribûsq, conformis erit. *Respicite* (monentur posteri à Propheta) *ad petrum unde excisi estis: respicite ad Abraham Patram vestrum: & ad Saram quæ peperit vos. Si enim filii Abrahæ estis: opera, quæ fecit Abraham facite.*

C § III 3. Votorum observatio debet esse *ad literam, ad literam, ad literam* eorum verborum quibûs concepta & emissa sunt Ita divinum præcepit responsum aliquando ijs qui de Regulæ *S.* Francisci rigore conqueri: & mitigationem ejus poscere ausi erant. Atq; hoc ipsum omnes Religionum, omnium filii sibi dictum credere debent. Non enim adinventione humana, sed spiri-D tu Dei inspirati regulas ordinesq; condiderunt Sancti Dei homines, proinde nulla Ordinis obsevantia propria interpretatione facienda & nutrienda est, sed ad literam, ad literam, ad literam servanda & tenenda est. Nec dandus subtilitatibus evasionibusquè locus: nec ingeniosè disquirendum definiendumq; quousq, progressus transgressor fies: usquequo autem non fias, quousq; Progressus graviter, quousq; verò leviuscu-

lè ac

lè ac venialiter pecces. Verus amor has nescit & odit interpretationes, satis est illi non convenire aliquid puritati, observantiæ, teneritudiniq; amoris Votorum. Quis enim ferat in Religioso, Deiq; obsequio & charitati dicato homine, inquisitionem, sitne hoc quidem opere mortaliter, hoc verò non nisi venialiter Deum offensurus? Ut amans aliquid facere non præsumat, satis est quod amato id factũ esse non placeat. *Si Deus ipse verba sua* usq; ad Iota, usq; ad apicem unum observat: potiusq, cœlum & terram transire & mutari sinit, quàm punctum unum de verbis suis, quales nos & quam literales esse Verborum suorum & literarum ejus observatores oportebit. Non certè vovit Deus observationem Votorum hoc est voluntatum, statutorumq, Divinorum.

§ IV. Votorum observatio debet esse tenera, & in arctitudinem Rigoremq; declinans. Quæ constanter cohærere volumus: clavis funibusve, temerè, & utcunq; ligari ea non sufficit: sed tam clavos quam funes ipsos bonos, tum rebus ligatis benè adstructos infixosq; profundè esse oportet: alioqui temerè ligata, temerè dissolventur: Sic votorum nostrorum quibus Deo alligamur & perfectionis Virtutisquè studio ligamina, quantò arctiùs nos strinxerint, quantò profundius clavi isti immissi nostris cordibus fuerint, tantò compages tota firmior erit. Tenera observatio est, quæ non quidem scrupulosa & perplexa & animum excarnificans, multoq, magis non ulla quæ *camelũ glutiens culicem percolons est*, sed quæ minimas quasq; injuriolas & transgressiunculas Votorum acutè notat simulq, fugit. Neque hoc ubiq; hominis ac neq, suæmet propriæ commoditati & gratiæ donat, ut Votum aliquod in minima re oblædat. Sed in observatione votorum suorum, in quacunquè occasione, libertatem suam servat: nec conscientiam suam in servitute ullius redigi sinit. Dico in observatione servari libertatem à tenera observatione: non in transgressione. Credunt enim aliqui libertatem spiritus esse in eo, ut non metuant delinquere ac transgredi aliquantulum seu Vota, seu Regulas, seu disciplinam omnẽ at hæc non est libertas, sed potiùs servitus respectuum humanorum, adoratioq; idoli vulgatissimi quod S. Xaverius (*Quid dicent*) appellitabat: vera libertas est in nullius (ut dixi Apostoli verbis) redigi potestate ad peccandum, deq; rectà virtutis viâ decedẽdum, sive id sit multum, sive parum. Hæc vera libertas est, hoc virtutis Dominium: hoc est esse potentem Virtute. Tali potentiâ & Dominio Religiosum præditum esse convenit: ita quidem manifestè & palam ut omnibus domesticis atq; externis etiam constet ejus conscientiam adeò tenerè robu-

A stam, adeò robustè teneram: adeò delicatã & obfirmatam esse in observatione Virtutis Votorum, ac disciplinæ suæ, ut nullius gratiâ transgressionem ullam daturus sit: sed absq, morositate quidem, attamen cum libertatis mansuetudine dicat semper: *Quomodo possum peccare in Dominum?*

§ V. Votorum observatio debet esse ingenua, cum amore, cum gustu, cum gaudio, cum oblectatione mentis atq; lubentiâ tam de Votis ipsis, quàm de vigore illorũ, quàm de comitibus & experimento illorũ,

B quàm de occasionibus servandi illa: quàm de difficultatibus in eis observãdis. Hunc gustum, amoremq, ingenuum qui habet, is in Religione habet vitam, & dies videt bonos atq, jucundos, gustatq, & videt quàm rectus & suavis, & dulcis est Dominus. E contrà eò qui caret: is semper habet amaritudinem super amaritudinem, inter spinas solicitudinum ex proprijs voluntatibus cupiditatibus passionibusq; enatarum hæret: ita ut quamcunq; se in partem commoverit, pungi & cruentari animo eum necesse sit.

C Et quamvis præ cæcitate cordis sui dolores inquietudinesq;, aliis potiùs ac inprimis superioribus & Religioni ipsi adscribit, quàm sibi: in veritate tamen à nemine alio læditur, nisi à semetipso. Etenim si animo esset bene compositus, si affectus suos edomitos, si adstrictas cupiditates, si voluntates subditas Deo, si amans verè Votorum statusq, sui esset, fieret illi continuò quasi meridies lux, & oreretur in corde ejus abundantia pacis: fieretq, illi dies ex die salutare Dei. At quia se malum & pas-

D sionatum relinquens sibi ac alijs alios omnes vult sibi bonos, blandos & consentientes, dum hoc non facit, quod in sua potestate atq; obligatione est, hoc verò requirit quod nec fieri potest, neq, etiam debet: fit ut perpetuis morbis doloribusq; animi vexetur: graves exososq; omnes habeat, vicissim se omnibus reddat. idq; tamdiu donec aut mores suos in statu mutet, aut ex statu cum moribus vitam morte Apostasiavé foras efferat.

§ IV.

§ VI. Votorum observatio debet esse projecta in Deum, seu fundata in fiducia erga Deum, directaq; in filialem imò sponsalem dilectionem Dei. Sicut enim Vota fiunt radicaliter & principaliter ex fiducia in Deum, & motivo amoris adhæsionisquè ad Deum quam arctissimè & liberrimè: ita & observatio eorum: omniumq; difficultatum, si quæ se in observando offerant animosa devoratio: in eadem fiduciâ atq; Deo adhærescendi adcrescendiq; cupiditate ac devotione fundari debent. Eadem enim sunt cujusq; rei principia conservativa, quæ fuerunt constitutiva, quare sicut Vota in gratiam fiduciæ charitatisq; in Deum fiunt: ita etiam per eandem fiduciam & charitatẽ servari & in suo vigore contineri poscunt ac debent.

Propterea universæ difficultates in observatione Votorum ex ijs fontibus duobus manant: quia Religiosus vel non fidit in omnibus, neq; se totum per omnia credit committitq; Deo in praxi: vel ad aliquam rem creatam ad volũtatem cupiditatemvè suam propriam pertinaciùs adhæsit, quàm ut ab eâ avelli propter charitatem Dei libenter, pacatè, patiẽter saltem sustineat. Hinc omnes Religiosorum malè conditionatorũ in statu suo lacrimæ, hinc tricæ, hinc tædia, hinc amaritudines, hinc querelæ, hinc ad sæculum respectationes, hinc infames & absurdæ resolutiones, [hinc deniq; (ut verbo concludam) omnes ruinæ, omnes corde, omnes etiam corpore apostatationes, & in Ægyptum pudendæ licet, tamen impudentes regressiones. Dum enim malum exuberat; artem medicam superat: ideò quòd sanari non potest aut verius non vult abscindi potiùs eligit, vel simul necessariò cogitur. Ab hoc malo in totum liber est Religiosus, qui se jactavit in Deum fiducialiter: cujus anima suspendium ex Deo elegit: quia omnia propter Christum detrimentum fecit, qui certus est, quod eum nulla creatura separabit à charitate Dei, ut pote quàm Votorum devotissimâ, plenissi-
A mâ, fidelissimâ nuncupatione fundavit, fundatum firmavit, firmatum castâ Deo despõsatione æternum copulavit.

Ad has conditiones exige, exploraq; observationem Votorum tuorum Religiose: Deum obnixè orans: ut te speciali, magnificaq; gratiâ suâ in intimã plenamq; observationem Votorum repleat, repletumquè confirmet, & observatio Votorum tuorum eosdem vel saltem suppares effectus in te
B producat, quos produxit prima eorum nuncupatio, cùm te per illa Deo sacrificiũ faciebas. Si enim primò Vota fecisse Deo tantos fructus producit, ut homo quasi novi Baptismi efficacitate omnium præteritorum delictorum suorum tam quoad culpã quam quoad pœnam relaxatione à Deo cõsequatur, quomodò fieri potest, ut quoties strenuè se in Votorum observatione & appretiatione, atq; etiam approbatione practica exercet, non etiam peculiari cum fru-
C ctu efficaciaq; spiritualium commodorũ id faciat? Ergo si magni interest fecisse, Vota obtulisse Deo: haud dubiè magni etiam intererit facta oblataq; strenuè & exactè, & constanter, & propter Dei dilectionem observâsse. Ad hoc itaq; adhibe tum omnem animi tui curam, tum intercessionem IESU Christi, *Dei Matris, Sanctorumq;* omnium.



CAPVT VIII.

Quantum malum sit Vota Deo facta, malè servare.



Uantum malum sit Vota Deo facta à Religioso transgredi, ex sequẽtibus Capitibus æstimari potest.

§ I. Si inter homines magnæ incivilitatis ignominiam incurrunt, qui fidem alicui datam, postmodũ violant & fallunt, quanto majus erit probrum homini coram Deo, & Angelis, & hominibus, & dæmonibus ipsis Vota facta Deo; & quidem Vota in rebus tanti momẽti. Vota cum tanta & tam longa præparatione præmeditatione prævia, facta, Vota tam sanctè, tam Religiosè, tam ex animo, cum tanta animi proprij interna suavitate, cum tanta Dei totiusq; cæli gloria, cum tanta aliorum exultatione atq; congratulatione, ædificationeq; nuncupata: Vota cum tam resoluto summoq; exactè observã di proposito emissa, Vota deniq; tam strictè cum Deo hominem conjugentia, tam magnificis Divinisq; donis hominem cumulãtia & exaltantia, tam hominem de communi hominum mortalium sorte in quendam altiorem alium statum transferentia: quanto inquam incomparabiliter majus probrum erit Vota talia, neglectui habere, male tractare, transgredi & non servare? Cum homine dubiæ fidei, homines alij nihil commercij habere volunt: eo quod ab illo decipi timeant: quomodo Deus Votifrago, & datæ sibi fidei violatore potest aliquid habere communicationis? quomodo ulla illi bona sua credere, quomodo illum familiaritate suà dignari potest? Est igitur magna ignominia & sordida labes, & vix eluenda macula fidem datam in Votis violasse.

§ II. Vota enim servare, est pactum cũ Deo initum rescindere, cujus rescissionis nulla justa subesse causa potest. Neq; enim ullus potest talis homini per Vota Deo obligato casus evenire: ut justè ac licitè Vota sua resolvere, pactumq; cum Deo factũ per illa, rescindere possit. Quare si quis
A Religiosus Vota non servat, is nonnisi injustissimam injuriam contumeliamq; Deo in ferendo id facit, quantum enim ex se est: Vota non servando, omnibus ostendit, edicitq; aut Deum infidelem esse, neq; pactis conventis satisfacere, aut certè eundem esse impotentem insipientemq; qui non possit & non sciat pactis stare, aut esse Deum tam vilem abjectamq; personam, cui fidem pactorum initorum non servare, cuilibet,
B quotieslibet, quacunq; etiam nulla, etiam sordida ex causalibet, etiam simul licet. Quò quid, detestabiliùs, quid injuriosiùs, quid probrosiùs, indigniusq; cogitari possit? pronum est judicare.

§ III. Vota non servare est adultera committere: Votis enim suis Religiosus desponsatur Deo, fitq; Sponsa Christi anima, cujuslibet Religiosi voventis. Si Vota servat exactè: sponsam se castam & fide-
C lem probat: si autem Vota violat quid aliud faciat quàm adulteros contempto Deo admittit? Adulteros inquam tot, quot desideriis quotq; creaturis, & creaturarum amoribus succumbens, ac indulgens Vota violat. Neq, in hoc crimine diminuitur injuriæ nequitia si in materia parva violetur Votum: sicut Sponsa non excusatur, si cum ignobili mæcho scelus adulteri patret: imò tantò magis probatur scelerata, quan-
D to contemptibilioris personæ amore victa Sponsum suum legitimum deseruit. Sic quanto vilior res est ob cujus amore Votum frangitur, tanto indignius tractatus esse à Religioso Deus convincitur. Cogita jam quo zelo doloreq; inter homines Sponsos sentitur vindicatutq; adulterium & intellige quanto acriore zelo uritur Deus Sponsus injuria affectus.

§ IV. Vota non servare, est Sacrilegiũ committere: Votis enim Religiosus Deo consecratur: resq, sacra efficitur: & non tantùm in Dominium, non tantum in proprietatem Dei transit peculiari quadam ratione per quam alioqui res omnes naturaliter Dei sunt propriæ: verùm Religiosa devotaq, oblatione in Divinum obsequium& cultũ dedicatur consecraturq, magis quàm hostiæ & sacrificiũ, magis quàm Calices & veste sacræ magis quàm templa: licet etiã harum omniũ rerũ instar Deo consecretur. Cõsecratur enim homo Religiosus Deo volũtariè,& ad actiones volũtarias in Dei honorem perpetuo charitatis incendio, Religiosaq, devotione in odorem Domino suavissimũ offerendas incendendasquè. Consecratur Deo: & vicissim etiam illi cõsecratur quodãmodo Deus: ita ut non tantùm homo efficiatur sacer Deo,sed etiam Deus hominẽ sacrum faciat, consecratorq, & consecratio hominis fiat. Si ergo rem sacram Deo temerare nefandum sacrilegium est: quantò magis seipsum Sacratum Deo, & quidem Votis adeò Religiosè firmis, firmiterque Religiosis immanissimum nefandissimumq, sacrilegium erit? Si sacrilegi flammis puniuntur: quibus flammis sacrilegus Religiosus non castigabitur?

§ V. Vota non servare est crimen læsæ Majestatis committere,contumeliosè namquè tractatur Rex supremæ Majestatis: atq, adeò Majestas ipsa Deus Deorum. Et sicut dum Votã fiunt Deo, summus supremusq, illi honor habetur,ita dum facta violantur, temeranturq, ultimus in enormitate contemptus eidem irrogatur. Cum aliqua nobilis persona in Regnum & Principatum Dominiumq, à quopiam sive populo, sive homine deligitur, fidelitasq, illi & obedientia ac subjectio ab eodem juratur: postmodum verò non servatur nequè exhibetur,sed ad alium temerè cum obsequijs subjectioneq, prosilitur: qui hoc audet reus est perduellionis, perjurij, proditionis læsæ Majestatis, quomodo ergo Religiosus qui se Dei subditum, Deum verò suum Regem absolutum constituit, Votoquè suam fidelitatem firmavit,post modum autem Voti sui contemptor in Dei simul contemptũ aliqua committit, quomodo inquam? non perduellionis,& læsæ Majestatis & perjurij, Votifragijq, ac proditionis reus erit?

§ VI. Vota non servare est Apostatam & transfugam, desertoremq; Dei & Religionis fieri: & esto retineatur mansio: retineatur vestitus,retineatur Vitæ regularis professio, atq, etiam aliqua superficialis observatio: revera tamen cum primum deseritur ac infringitur Votorum observatio, cõmittitur Apostatatio Religiosum enim Deoq, subditum Religiosè non constituit, A quidquam aliud, quàm Vota nuncupata: quæ si non servantur si neglectim contemptimq, tractantur: perinde habentur ac si aut facta non essent, aut ac si rescinderentur: tollitur ergo, quantum ex violatore Votorum est, status Religiosi omne fundamentum: ac proinde subducit se statui Religioso, ac per hoc & à Deo. Iura communia disponunt quod exire clam extra clausuram, vel deponere habitum sacræ Religionis animo deserendi: verè committatur apostasiæ scelus ab eo qui hoc audet: quo- B modo non fiet apostata corde & veritate, qui retento quidem habitu & clausura domus servatã, Vota ipsa, hoc est Essentiam substantiamq, Religiosi status perrumpit & transscendit, atq, deserit?

§ VII. Deniq, multa paucis complectẽdo: Vota non servare est charitatem Dei in se mactare, quomodo enim potest charitas Dei esse in eo qui promissiones Deo factas, pactaq; cum Deo vicissim inita, temerariè & cum Dei contemptu, propter vilissimas atq, conculcatas à se res creatas rescindit: amorìq, earum Deum,& fidem Deo C datam postponit? Vota non servare,est subvertere omne fundamentum perfectionis. Cum enim Vota sunt fundamenta perfectionis,qui hæc violat,hoc etiam subvertit. Est subnervare omnem pietatẽ,virtutẽ,Dei cultum, atq, venerationem. Est de cœlo in cænum, de claustro in sæculum, de paradiso in infernum ruere, Est volucrẽ per sublimia liberrimè volantem, ad fædum cadaver, vel viscum laqueumq, delabi & capi. Est canem esse impudentem, & vomi- D tum resorbentem, suemq, ad volutabrum luti redeuntem. Est restituere se mundo, carni, aut propriæ voluntati, dæmonis quoquoq, potestati, ac tandem æternæ damnationi, cujus possessor efficitur Votifragus, perinde sicut Votorum nuncupator & servator Dominus & hæres, & possessor est cœlestis beatitudinis. Est conculcatio atq, irrisio Divinæ providentiæ & fidelitatis. Est desertio Vexilli, Sacramenti, Thalamiq;

lamiq, Christi Ducis, Imperatoris, & Spõsi. Expende ista accuratè,& Votorum neglectui etiam minimo renuntia ex animo in totam vitam: sciens, quia Deus non irridetur,cui displicet infidelis hoc est,infideliter servata promissio, &c.

CAPVT IX.

De Causis & Vijs quibus Religiosi inducuntur ad non servanda Vota sua.

§ I. Ausa prima, ob quam solent quandoq; Religiosi Vota sua non servare, est Ignorantia pretij obligationisq; & consequenter parva æstimatio Votorum. Quod enim nihili æstimamus hoc etiam neglectim servamus,vel foras projicimus, hoc verò nihili æstimamus, cujus pretium ac necessitatem cõmodumquè vel ignoramus, vel nullum esse ducimus. Est igitur ad observationem accuratam Votorum maximo adjumento, eorũ pretij & utilitatis obligationisq; cognitio, consideratio & apprehensio.

Sicut è contra indubitata ad Violationẽ Votorum via est,parva, vel nulla eorũ æstimatio, cognitioquè Si enim nihil est volitum nisi cognitum, & ignoti nulla cupido, multò magis nihil est pretiosum æstimatũquè, nisi sit bene cognitum. Considerandă ergo sunt crebrò Vota ut æstimentur; æstimanda ut serventur, servanda ut servent ipsum voventem- Alioqui sicut læsæ alæ volucri impedimento sunt,non auxilio, faciuntq; illam citiùs capi quam ut subducãt aucupi: sic vota voventi, non servanti, nocent non prosunt: gravant non levant; prædam Dæmonis faciunt, non Dæmonem vincunt,

§ II. Causa secunda, non observationis Votorum est. Amor proprius, studiumquè commodorum propriorum, & cura sui immoderata inordinataquè. Radicalis &Universalis Causa est, latissimeq; patet, & in quolibet Votorum neglectu sive contemptu communissimè reperitur, Cur enim gravis est obedientia? cur durum est dependere ab alieno nutu nec propriæ, indulgere voluntati? Cur commoditatulæ & solatiola superflua, mollitiemq; redolentia exambiuntur? cur duriora & asperiora, in victu, vestitu, lecto, cæteraq; supellectili

A respuuntur, non absq; præjudicio obedientiæ, castimoniæ, paupertatisq;? nisi quia amor curaq; sui dominantur æquo ampliùs, in corde Religiosi. Tolle amorem proprium, propriam voluntatem, propriam æstimationem, propriorum commodorum, curam, & cessabit omne cum Votis bellum.

§ III Causa tertia non observationis

B Votorum est, *Immortificatio sensuum affectuumq;*. Quod malum præcedentis est effectus: unde non mirum quod impugnationi Votorum deserviat. Quia enim Vota ejus sunt naturæ, hocq; illorum est officium, ut sensibus totiq; sensualitati in effrenationem tendenti assiduè, pabulum subtrahant, quãdiu sensus blandè habentur, & dum morti-

C ficatio passionum, inferiorisq; hominis negligitur; fieri non potest, ut creberrimè in quotidianæ vitæ actionibus,Votis non contraveniatur. Quamobrem ordinariè Votorum neglectus, atq; transgressio militat alicui cupiditati nostræ effreni. Oportet ergo hominem Religiosum esse jugiter mortificationi addictum, tam sensuum, quàm Passionum, si vult Deo Votorum suorum plenam observationem illibatamq; integri-

D tatem repræsentare, id nisi fiat, necesse erit semper claudam esse observationem Votorum, fidemq; Religiosi Deo datam toties hallucinari, quoties sensibus passionibusq, ac desiderijs irreverentibus infrunitisq; collibuerit.

§ IV Quarta Causa non observationis Votorum est. Effusio in externas res, Curas, Occupationes, Conversationes, cupidita-

ditatemq; nimiam placendi & satisfaciendi Creaturis, præsertim Hominibus. Hæc est, vulgata janua, & lata porta, quà transgressiones injuriæq; Votorum & ad Religiosos ingredi solent. Dum enim placere volunt, displicere nolunt Religiosi sæcularibus; vel timoratiores negligentioribus, illico similes illis efficiuntur, assumuntq; mores eorũ & audent facere talia, quæ suæ quidem Professioni ac Vocationi & conscientiæ repugnant, aliorum tamen ad mentem futura creduntur. Cadit super hujuscemodi Religiosos, alienæ voluntatis servos, illa Prophetica maledictio, quam imprecatur cultoribus Idolorum dicens: *Similes illis fiant qui faciunt ea. & omnes qui confidunt eis.* Religiosi, præsertim Votis Deo initiati est, esse potentem & Dominum in virtute, sub nulliusq; redigi potestate discoli & sæcularis hominis: habere in potestate animam suam, & Spiritu libertatis obstrepentes cõtemnere, sibilantiumq; colubrorum capita, cum linguis censoriis sugillatorijsq; conterere. Certè si Religiosum Vota sua à servitute hominum non eliberant, non funguntur Religiosorum Votorum officio, quod est absolvere, expedire, eximereque hominem ab omni prorsus impedimento retinaculoq; servitij Divini; placendiq; & uniendi se se Deo, tam arctè, ut possit ex verò Religiosus dicere cum Apostolo: *Certus sum, quod nulla creatura nos poterit separare à caritate Dei quæ est in Christo IESV Domino nostro.*

§ V Quinta causa non observationis Votorum est, parva aut omninò nulla resignatio fiduciaq; in Deum. Quantò namquè resignatus & in Deum minus est confidens Religiosus, tantò plus est de se ipso, ipse solicitus, suæq, propriæ curæ, per se innexus. Hæc autem solicitudo atq; cura est unicus præcipuus, maximusq; Votorum hostis. Hæc cura solicitudoq; prorsus directà impugnatur per Vota Religiosa, omnemq; statum Regularem. Itaq; monẽtur Religiosi, præcipuè verbis Apostoli: *Omnem solicitudinem proiicientes in eum, cui cura est de Vobis.* Sicut infantulus jactat se totum in sinum & providentiam Matris, sicut infirmus jactat se in curam medici, sicut viator jactat se in scientiam Ductoris, sicut qui navigat, jactat se in curam navarchi; ita omnem solicitudinem, omnem curam, omnem de se suisq; rebus cogitationẽ jactare debet Religiosus in Deum. Hoc ni facit, si se in curam sui intromittit, eo ipso Deum ejusq; curam contumelia afficit à se repellit, & in sua Vota, in fidem Deo datam, à Deoq; vicissim acceptam injurius est. Sit ergo Religiosus fiduciâ & spe in Deum dives, totus securus de ejus infallibili circa se providentia. totus contentus ex A animo qualibet ejus circa se dispositione & nullam difficultatem in observatione Votorum experietur, sed dicet ipse quoq; proprio doctus experimento cum Davide, *Dominus regit me & nihil mihi deerit.*

§ VI. Sexta Causa non observationis Votorum est *Oblivio* eaq; multiplex *Oblivio* scilicet statûs & propositi sui vocationisquè Religiosæ. *Oblivio* obligationis suæ per Vota, contractæ *Oblivio* vitæ suæ præteritæ cujustædio & timore reliquerit seculum, & Religionem, nempe locum & statum pæni- B tentiæ ingressus sit & assumpserit. *Oblivio* quoq; mercedis Divinæ Religiosis veris, hoc est Votorum suorum exactis Observatoribus, tam in hac quam in altera promissæ. Qui enim neq; amplitudinem meritorum, neq; sublimitatem gloriæ cogitat quæ ex Votorum observatione consurgit, facilè ad neglectum Votorum suorum prosilit

Præterea *oblivio* suppliciorum quà incurruntur ob negligentem malamq, Votorum observationem. Denique oblivio IESU Christi: tum Præceptorum, tum consilio- C rum, tum exemplorum, tum laborum, tum Passionis, tum meritorum, tum gratiarum in se, (in Religiosum inquam) profusarum, sibiq; ad imitationem, ad incitamentum, ad dilectionem, ad usum, ad prædicationẽquè propositarum. Harum namq; rerum omniũ si viva esset in Religioso memoria, nequaquam vacaret illi Votorum suorum esse neglectorem, contemptorem, violatoremq;, retraheretur namq; nunc hoc, nunc illo, nunc uno, nunc altero retinaculo à transgressione, stimularetur porrò, & coge- D retur ad observationem.

Quas quidem obliviones debet Religiosus jugi consideratione, vivaq; commemoratione, ab animo suo procul excutere, atquè sibimet, si non assiduò, crebrò certè, & per diem sæpius inclamare, vel illa P. Iacobi, Laynez verba: *Quæ voui Domino rata habeo*, vel illa: *Placet quod promisi & servare volo* vel illa: Ecquid vovisti? ut quid te Deo Votis illigasti? *Displicet Deo infidelis*


stulta

stulta, & tepida promissio. Si quid vovisti, ne moreris reddere.

Hi sunt fermè præcipui universalioresq; fontes non observationis, aut negligentis observationis Votorum? Expende illos, ab animo tuo amove illos: aperi autem oppositos illis, è quibus diligens Votorum observatio promanet. Tales sunt, odium sui, contemptus sui, mortificatio externa internaq; fiducia & resignatio in Deum plena, amor Dei fervens. Studium conatusq; Christum quàm proximè imitandi præcipuè, A pauperem, passum, contemptum. Memoria & amor Vocationis, Professionis, obligationis, vita disciplinata.

CAPVT X.

De facilitate observandi Vota, quæ ab ipsis etiam Votis promanat.

§ I. Esi generosarum mentium sit difficilia aggredi, difficultatemq; strenuè superare, sitq; magni apud Deum meriti & compendiosum ad perfectionem iter, cum unus actus strenuus, heroicus intensusq; pro mille remissis & tepidis faciat, quia tamen hæc generositas & in paucis, & non citò reperiri ut plurimum solet, ideò dominus noster gnarus infirmitatis nostræ, & timiditatis ad aggredienda multoq; etiã magis ad perficiendã difficilia & ardua, providit Religiosis, ut & facerent propter obsequium suum difficilia & tamen haberent in istis difficilibus facilitatem, quod quidẽ adeò mirabiliter præstitit sapientissimus suorum filiorum fideliumq; servorum Pater, ut in quo maximè videbatur aggravasse jugum suum super Religiosos, in hoc ipsos facilitatem omnem collocaverit.

Vulgaris est hominum sensus, quod Religiosi Votis suis graventur: cujus tamen oppositum omninò, invenias: tantum enim abest ut gravamen difficultatemq; ex Votis referant sentiantq; ut potiùs summam facilitatem alleviationemq; reportent ac experiantur: ita ut verissimè nimis dictum sit à Christo Domino: *Tollite iugum meum super vos* addita ratione mirabiliter vera & veraciter mirabili: *Iugum meum enim suave est, & onus leve*, quia scilicet jugum Domini IESU, (quod potissimum in Votis elucet residetq;) & onus, non est ad affligendum & aggravandum institutum, sed ad facilitandum & suavitate demulcendum reficiendumq;, B cum sit ipsa suavitas, ipsaq; facilitas. Quod ut clariùs pateat, adverte.

§ II. Vota Religiosa tribus posse esse ex capitibus gravia & difficilia Religiosis. Primo quidem ex materia Votorum, scilicet ex paupertate rerum, ex privatione delectationum sensualium, & ex dependentia in omnibus ab alieno nutu. 2. Ex subjecto seu persona ipsa vovente. 3. deniquè ex ipsis Votis eorumq; obligatione. De C primis duobus Capitibus jam in superioribus consideratum est, de tertio in præsenti considerandum venit. Vota scilicet Religiosa ex sua natura, non tantùm non gravare, sed alleviare, atq; ad elevationem facilitationemq; obsequij Divini, viæquè perfectionis, inventa & instituta esse, adeò ut esto essent Vota onerosa ex materia subjectoq; suo, tamen ex natura sua, ex vi obligationis suæ mitigaretur, immo tolleretur omnis onerositas undecunq; promanans. D Quæ res, maximè sanè reddere debet Vota commendabilia, & ad observationem eorũ accendere quemlibet Religiosum, maximè cum ab observatione diligenti tota hæc res dependeat, quantum ad facilitatem, sicut à negligentia in observatione tota gravitas onerositas difficultasq, consurgit. Nulli enim Religioso Vota gravia sunt diligenter observanti, nulli non gravia negligenter

observanti. Id quod diligeneer adverten-dum est, & sciendum non solis Votis Religiosis proprium, sed omni virtutis perfectionisq, viæ ac spirituali vitæ commune esse, ut testatur experientia.

§ III. Quibus verò ex Capitibus Vota facilia sunt, & ad facilitatem instituta, adeòq, ipsamet facilitas totius obsequij Divini & studij perfectionis, ac deniq, suæ ipsorum observationis.

Primum Caput est, quia Vota tollunt impedimenta omnia Divini obsequij, quæcunq, à bonis externis seu fortunæ, à bonis corporis, à bonis animi, & à cupiditate, amore, cura, possessioneq; eorum enasci solent, aut possunt. Per Vota siquidem cōtemnūtur & abjiciuntur omnia genera istorum seu Bonorum, seu impedimentorum: abjiciuntur autem cum spe & possibilitate redeundi ad illa tum recipienda, tum etiam volenda in æternum. Ex hoc autem primo Capite, resultat.

Secundum Caput, quod est, quia Vota admovent omnia adjumenta Divini obsequij, certè præcipua: quæ unico nomine comprehendere licet Perfectæ Caritatis in Deum. Excisis enim omnigenis Cupiditatibus ad Creaturam quamcumq, ab animo, quod per Vota fit, continuò excrescit perfecta Caritas in Deum? juxta illud S. Augustini. *Augmentum Caritatis diminutio est Cupiditatis, consummata Caritas, nulla Cupiditas.* Si ergo per vota excinditur omnis Cupiditas, per Vota introducetur omnis & consumata Caritas, cujus evidens & in promptu est ratio. Est enim impossibile, Animam vovere sine amore alicujus Boni, perinde ac corpus vivere sine anima nullū porrò bonum est, nisi vel increatum, vel creatum: ergo si anima desinit amare bonum omne creatum, necessariò debet amare bonum increatum, totumq; amorem suū ad illud transferre: atq, hæc est caritas cōsummata, plena scilicet amoris animæ, in Deum conversio. Quoniam igitur Vota omnem creaturarum amorem extinguunt, hoc ipso omnem amorem in Deum transferunt, & defigunt consummatamq; caritatem in anima generant. Quando autem est in anima consūmatio caritatis, tunc est absoluta plenitudo perfectionis, & in perfectione sectanda assequendaq; facilitas.

§ IV. Tertium Cput ex quo in Votis Religiosis facilitas resultat, est augmentum libertatis in voluntate. Ad quod paradoxum intelligendum, advertere oportet: vulgò quidem credi, Votis, adimi libertatem Religiosis voventibus, sed hic est error vulgi vulgaria sapientis, natus ex eo, quia credunt libertatem esse eximiam in eo, quod possit homo flecti in bonum & in malum oppositum. Quæ libertas, tantum abest ut sit libertas, ut potiùs sit defectus libertatis atq; adeò vera servitus, sicut est vera infirmitas & defectuositas, peccare enim est A deficere, unde etiam posse peccare est posse deficere, posse autem deficere, indubitatus est etiam defectus, immo fons & radix defectionis à nihilo & non ente promanans. E contra: non peccare est perfectio, non posse, longè major: Non posse velle peccare, vel est eadem, vel etiam hac ipsâ major perfectio, id est, summa perfectio. Igitur quantò aliquis magis accedit ad hoc ut possit peccare, tantò est miserior, servitq; miseriæ majori.

B E contra quantò aliquis magis accedit ad hoc ut non possit peccare, nec possit peccare, nec possit velle peccare, tantò est perfectior, felicior, & à servitute miseriæ, miseriaq; servitutis remotior ac liberior. Atqui manifestum est, quod qui fecit Vota is est propior impotentiæ peccandi volendiq; peccare, quàm is qui nulla Vota facit igitur manifestum est hunc esse liberiorem, verèq; ac magis liberum, qui fecit Vota, quàm qui non fecit, aucta ergo est Votis C libertas voventi, relicta autem sua servitus misera ei, qui non vovit.

Itaq; Religiosus qui Vota fecit, à Votis suis hoc habet, quod sit factus liber à posse peccare, à potentiaq; peccandi impotensq; peccare, si autem potens & plenè liber ad agendum benè: plenè dico (quantum hæc vita patitur, sic enim ista ratiocinatio intelligenda est) quia scilicet habet à Votis incommutabilem, inconvertibilemq, (moraliter ut supra dictum est) ad malum à bono, voluntatem. Ad eum planè modum, D quò is qui mori non potest, est liberior à morte, quàm is, qui mori potest, esto uterquè vivat: similiter qui sanus est, & non potest ægrotare longè sanior est eo, qui licet modo sit sanus, potest tamen ægrotare ille enim est liber, non tantùm à morbo, sed etiam à possibilitate morbi, iste autem sit licet liber à morbo, subjacet tamen & servit possibilitati ægrotandi,

Itaq́, evidens est, quod Vota cum augeant libertatem serviendi Deo consequenter augeant & facilitatem. Quodsi quis velit omninò evincere, Votis inferri necessitatem serviendi Deo, non est contendendum verbis cum illo, sed sufficiat, quod Vota, sive libertatem sive necessitatem conferant, simul tamen cum libertate vel cum necessitate adferant facilitatem. Nihil enim facilius fit, quàm cum necessario fit, necessitate præsertim voluntariâ & voluntariè assumptâ, ut hic fit; *Nam ibi non durâ necessitate servitur, ubi diligitur quod iubetur*, & ubi ipsa necessitas amatur, atq, adeò etiam assumitur.

§ V. Quartum Caput, ex quo in Votis Religiosis facilitas ad observandum pullulat, est illud: quia qui vovet supponit sibi & adesse jam & ad fore deinceps cum divino adjutorio tantum roboris in voluntate, tantùmq; Dominij in eandem voluntatem, ut convenienter, possit Votis se obligare, iisq; satisfacere: quod dominium, roburq, non supponit in se, qui non vovet, & vovere timet, quia nimirum agnoscit in se majorem servitutem ad oppositum Voto, quã efficaciam ad servandum votum. Minus ergo liber est, & magis infirmus qui non vovet, quam ille qui vovet, proinde major est facilitas ad servandum in vovente quàm non vovente. Propter quod etiam magis peccat, dum quis contra Votum peccat, quàm cum quis sine Voto delinquit: quia ille facilius servare & non peccare potuit, iste autem difficiliùs servare, faciliùs verò peccare valuit: auget enim delictum facilitas non peccandi, difficultasq; peccandi: diminuit verò de eodem facilitas peccandi, A difficultasq; abstinendi.

Est igitur manifestum ex Votis non augeri difficultatem sed facilitatem obsequij Divini observationisq; eorum. Sine Votis autem remanenti, remanere etiam difficultatem obsequij Divini, & facilitatem peccãdi. Id quod experientia docet cum ratione. Constat enim experimẽto quod faciliùs inducitur à tentatione, vel occasione, vel affectione ad peccandum qui non vovit, quàm B qui vovit, sui enim Voti reverentiâ, iste tẽtationi resistit, occasionem eludit, affectionem frangit. Atq; ita Votum est illi robur, est firmitudo, est etiam coactio & cõsequenter facilitatio.

Cujus rei ulterior etiam est ratio atq; radix: Quia Vota faciunt immutabilem voluntatem. De essentia quippe Voti est immutabilitas, & ad hoc fit Votum, ut volun C tas efficiatur immutabilis: quia ergo volũtas immutabilis per Vota redditur, eo ipso illi facilitas ad explendum confertur. Maneat ergo in animo tuo firmum & certum, à Votis facilitatem observandi provenire, & ad facilitandam Dei servitutem, suiquè observationem instituti esse, provisaq; hominibus à Deo, & nuncupari ab hominibus Deo. Ex quo ulterius conclude nonnisi summæ ignaviæ esse, Vota negligenter ac male servare.



CAPUT

CAPVT XI.

De ampla Votorum Religiosorum amplitudine, seu de ijs quæ intra illa continentur.

§ I. N Religiosis Votis primò & principaliter continetur abjectio omnium rerum creatarũ, tam affectu, quàm effectu; solo duntaxat usu aliquarum, & quidem necessariarum tantùm, ac pro alieno nutu, non verò pro libitu proprio retento: propter amorem, cultum, ob sequiumq; Dei liberiùs & pleniùs, imò sine ullo impedimento peragendum. firmando hanc abjectionem assumptione voluntariæ paupertatis, & castimoniæ, & obedientiæ: assumptionem verò istam roborando æternâ, pia, deliberataq; promissione Deo facta, tandemq; promissionem hanc re ipsà exequendo, quod est, Vota facta servare, religioseq; vivere, Religiosumq; esse. Atquè hæc est substantia & essentia tum status, tũ hominis Religiosi.

§ II. In Religiosis Votis, continentur quædam alia quasi secũdario & consequenter, quæ etsi simpliciter non voventur Votis tamen annexa sunt, & ex vi Votorum Religiosorum emanant, inq; voventem obligationem ad observandum cum omni diligentia inducunt. Horum primum est Abrenuntiatio seu egressus à sæculo sæculariq; statu, & trãsitus in aliud longè diversum vivendi genus, inq; statum Antisæcularem & mundo per omnia contrarium, quem statum Religiosum vocamus: qui status est mundus inversus. Ab hoc ergo tẽpore, quo quis Vota nuncupat Deo in Religione, desinit homo esse sæcularis, profiteriq; sæcularismum, incipit autem esse, profiteri sectariq; statum Religiosum, sed ita ut quod est professione, sit etiam re & vita & actione Monstrosum enim est valdè Religiosum esse statu, sæcularem vitã: Religiosum esse nomine, mundanum affectione, studijs moribus & actione.

Sciat ergo Religiosus, vi suorum Votorũ Professionisq; illico obligari ad hoc, ut trãseat tam statu, quàm corpore, quàm animo, moribusq; ac vita, totus omninò de mun- A do: ut non tantùm non remaneat corde in Ægypto, sed nec ungula residua sit ejus in mundo valedicatq; mundo, & mundus illi. *Eam ob renuntiationem* Religiosi mortuis accensentur, mortuiq, civiliter reputantur, juxta illud Apostoli præceptum, nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus Nec aliud voluit Dominus, quando cuidam, à se vocato, ad se sequendum, moramq; osculandi ac sepeliendi Parentes tã- B tillam postulanti: *Sine, ait, mortui mortuos suos* sepeliant, tu autem sequere me. Et alteri in simili negotio etiam graviùs dixit: *Nemo mittens manum ad aratrum* Perfectionis Evangelicæ, *& respiciens retro ad actus seculares, aptus est regno Dei.* Hoc igitur Religiosus benè ponderet atq; penetret, tum ingrediens Religionem, tum verò emittens Professionem. ut se mortuum esse sciat, de- C beretq; pro tali se gerere ac si verè (etiam physicè) mortuus esset respectu totius sæculi, omniumq; earum rerum quæ in sæculo sunt, sive sint caro & sanguis, sive sint bona & opes, sive sint curæ & mores, sive sint nomina & honores. *Mortui estis & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo,* ait Apostolus.

§ III In Votis Religiosis continetur studium & cura perfectionis, profectusquè spiritualis, & omnis omninò statui suo cõ- D gruentis virtutis. Cum enim tres sint ordines Christianorum: Unus qui præcepta Dominica observat, si vis ad vitam ingredi serva mandata: Alius sectantium consilia Domini: Si vis perfectus esse vade, vẽde omnia, & da pauperibus & sequere me: Qui potest capere capiat &c. Deniq; Perfectorum, quorum est complecti ordinem utrumq; priorem in gradu perfecto, quibus dicitur: Attendite vobis & univer-

so gregi, in quo vos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam Dei, & à Domino: Si diligis me plus his, pasce oves meas. Primus ordo est sæcularium, postremus Prælatorum & Rectorum Ecclesiæ atq; pastorum, medius est Religiosorum, quorum est propriũ Dominica sectari vestigia per consilia paupertatis, castitatis & obedientiæ, perq; heroicas virtutes humilitatis, mansuetudinis, patientiæ, caritatis Dei, dilectionis etiam inimicorum per omnes beatitudines hujus vitæ, per regiam viam Crucis, per portationem jugem mortificationis Christi in corporibus suis, deniq, per assiduum proficiendi conatum, studium, desideriumquè.

Hoc si non faciunt Religiosi, non sunt, nec possunt esse quod profitentur, sed inter tepidos ac sæculares præceptis tantum attendentes reputantur. Si verò faciunt, si, inquam renovantur spiritu mentis suæ, si eorum quæ retro sunt obliti, ad ea quæ sũt priora extendunt semetipsos, si se nunquam arbitrantur comprehendisse, funguntur officio suo & Religiosi sunt, currunt & non deficiunt. Quam unam ob causam tantos faciunt sumptus in abjectione totius mundi & suimet ipsorum, per pauperiem, castimoniam, & subjectionem, ut supra hæc fundamenta, parietes turris Evangelicæ inædificent ex auro, argento, lapidibusq; preciosis, videlicet ex omnimodis virtutibus usq; ad culmen perfectæ caritatis cum Deoquè arctæ unionis. Quos parietes si non ædificent, ridiculi fiunt dicentibus & insultantibus amara illa sugillatione: Hi homines cæperunt ædificare, & non potuerunt (quia nec curaverunt in spiritu fervoris) consummare.

Sciat ergo Religiosus vi Professionis Votorumq; suorum, ac tanti sumptus, quem vovendo fecit, exigentia cogente, teneri ad assiduum proficiendi ampliùs ampliùsque conatum & studium. Sciat se graviter periculoseq; decipi, si in studio perfectionis inq; cursu virtutis lassescens remittat & subsistat. Si enim ridiculus esset ille, qui cum strenuè laborasset, neq; sumptibus ullis pepercisset, in comparandis omnibus ad viam quampiam necessarijs, in ipsius viæ asperitatibus, periculis difficultatibusq; à moliendis, postmodum tamen testudineo gradu incedat, moras nectat, consulto subsistat, interdumq, etiam retrorepat, ac spõte sua impedimenta cursus expediti resumat talis prorsus est Religiosus omnis tepidus deq, profectu suo in via Dei non solicitus.

§ IV. In Votis Religiosis continetur observatio Regularum suo instituto propriarum, ac sive omnibus in commune personis, sive cuicunq; officio, munerique, Religioso præscriptarum. Etsi enim non vovet Religiosi observationem Regularũ inquan-
A tum Regulæ sunt, tamen ex vi naturaq, earum obligantur ad eam. Dimanat enim hæc observatio ex Votis, quia necessaria est observatio Regularum observandis Votis: non servatis namq, Regulis, observatio Votorum aut nulla, aut valdè manca cogitur esse. Eam ob rem nonnullæ Religiones expresè Votum obedientiæ ita faciunt, ut voveant obedientiam juxta Regulã quàm utique servare non possunt, nisi servent Regulam seu Regulas. Et quamvis hoc non addatur in Votis Societatis IESU
B tamen in idem hoc recidit, quando obedientia simpliciter & quidem perpetua vovetur. Imò verò latiùs hoc in Societate patet quam in illis Religionibus quæ juxta Regulam vovent. In illis enim non tenetur Religiosus obedire Prælato suo, nisi quod secundùm expressam Regulam præcipit, si verò præcipit aliquid quod in Regula non est, vel præter Regulam est, in hoc obedire Voto suo non stringitur: at verò in Societate hæc restrictio obediendi non est, sed potiùs Regula præcipit obediendum esse in omnibus quæ Prælatus jubet, *dummodo ma-*
C *nifestè peccatum non sit hoc, quod iubet.* Proinde in Societate tunc secundùm Regulam obeditur, quando in omnibus absolute, solo peccatô exceptô obeditur. Observatiô itaq; Regularũ pertinet ad observationẽ Votorũ, & potissimum ab obedientiæ Voto dimanat sub quo etiam reliqua Vota duo cum sui observatione continentur. Ac revera difficile est intellectu, quod Religiosus teneatur facere præcepta Superioris voce exposita, non teneatur autem imperia totius Re-
D ligionis atq; ordinis scripto & lege sancita.

Accedit quod Regulæ sint Voluntas Dei proposita Religioso ad observandum, nec tantùm ad observandum, sed etiam ad dirigendum illum, unde Regulæ à Regendo, quod scilicet regant dirigantq, eum cui latæ sunt, dicuntur. Sunt præterea Regulæ prudentia quædam præcipiens Religioso eumq; informans de unaquaq; ejus actione, ut eam benè, sanctè, Deo placitè, meritoriè-

què peragat: in qua re nullum habet Religiosus dubium, modò ad literam & mentem Regulæ obsequatur.

Insuper Regularum observatio, habet quandam connexionem gratiarum Divinarum actualium, directionumq; & auxiliorum, quæ negligentibus non observantibus regulas negatur à Deo: indeq; fit, ut seduli custodes Regularum, citò & notabiliter proficiant in Virtute ac sanctitate, benedictionemq; Dei habeant in omnibus, usq; ad aliorum admirationem, & quandoquè invidiâ etiam, cum interim neglectores regularum nihil proficiant, immò deficiant in dies in pejus fiantq; oneri Superioribus, & communitati: scandalo tam domesticis, quàm externis, tandemq, in gravia labantur, aut etiam ex toto deficiant. Cujus rei manifesta est elegansq; ratio illa, quia Regulæ sunt veluti antemurale Præceptorum Dei, substantialiumq; ac Votorum Religionis: Qui ergo Regulas non servat, is dissipat antemurale murorum, & dat accessum liberum diabolo, ut in tali Religioso expugnet etiam ipsum murum præceptorum, aliorumq; substantialium punctorum: quod dæmoni minimè pronum fuisset, si eum Religiosus observando Regulas, antemuraleq, propugnando, in ejus oppugnatione detinuisset, ab essentialium autem, & graviorum Præceptorum Votorumq; procul habuisset & submovisset. Ita v.g. qui servat silentium, non expugnatur à detractione vel censura aliorum morum: qui verò antemurale silentij disjecit, facile in Præceptum de non detrahendo alijs peccat & impingit. Par de aliis ratio est.

Evidens ergo & fixum esse debet apud Religiosum, intra latitudinem Votorum suorum contineri observationem omnium Ordinis sui Regularum.

§ V. In Observatione Votorum continetur consectatio Vitæ communis in Religione, fuga verò omnis particularitatis & singularitatis, nisi ad eam evidens necessitas, cum Superioris concessione imperiovè conjuncta cogat. Magnum est impedimentum ad Vota & ad Religionem, si quis ita sit, vel animo, vel corpore constitutus, ut vitam communem omnibus, vivere in communitate non possit: sed singularibus exceptionibus immunitatibus dispensationibusq; opus habeat. Huic alia potiùs quàm Religiosa vita est suscipienda. Quàm ob rem antequam quis ad Vota emittenda accedat admittaturquè benè secum ipse perpendere, & ab aliis de ipso perpendi debet, num sit idoneus, & par, & etiam paratus Vitam communem alijs, vivere. Quod in Societate jubentur præstare Novitiorum Magistri, qui Novitiis toto biennio probationis in communi Vita A benè institutis, hoc etiam in fine biennij ante Vota proponere interrogatorium debent: *An Vota facturus, contentus sit futurus eodem quo álii modo in Collegio agere, nullisq; privilegiis ac prærogativis, minimum omnium qui in eo fuerit anteire? omnem sui curam Superiori relinquendo.*

Est verò sciendum & diligenter notandũ quod nomine vitæ communis non intelligatur, vivere prout multi in aliqua Domo vivunt, sed prout omnes vivere debent, esto non omnes, esto non multi, esto vel B pauci tantùm, atq, adeo unus etiam, vivat vivatq; Hæc enim vera & verè communis vita, quæ est toti Ordini Instituoq; cõmunis, esto eam aliquanti, (qui respectu totius Ordinis pauci erunt, licet respectu alicujus Domûs multi videri possent) negligant, proinde illa tenenda est omni illi, qui Religiosus bonus ac verus esse vult.

Hoc præceptum apud Cassianum S. Pinuphius cuidam Tironi inculcavit Religiosam vitam cum alijs ingressuro: *Considera te de paucis & electis effectum, & ne tepore ac* C *exemplo multitudinis refrigescas, sed vive ut pauci, & cum paucis inveniri merearis in Regno Dei. Cass. l. 4. Instit: c. 38.* Et rursum *Idem c. 40 Exempla tibi sint imitationis ac vitæ perfectæ in Congregatione commoranti à paucis, immo ab uno non à pluribus expetenda.* Religiosus ergo sciat, post Vota emissa teneri se vivere communem vitam: eam scilicet quam omnes vivere debent, quidquid sit interi, multinè, an pauci eam vivant, &c.

§. VI. In observatione Votorum continetur etiam retentio vestitus, Religiosi: D nefas est enim à Religioso semel sumptam vestitum, sive Habitum Religionis susceptæ proprium abjicere & exuere. Dico abjicere, quia non quælibet depositio & exutio vestitus illicita est, sed ea tantum quæ sit abjectitia, cum animo vel ex animo deserendi, vel dissimulandi illicito fine statũ suum. Quamquam in quibusdam Religionibus cavetur lege, ut ad somnum capiendum

endum noctu deponat Religiosus habitum, immo, ut præcinctus cingulô dormiat. Prohibentur etiam Religiosi ad Episcopatū assumpti, habitum suæ Religionis deponere. Deniq; Religiosi etiam mortui in suo habitu, sepeliuntur. Sciat ergo Religiosus & amare & revereri vestitum suum, neque temere deponere ac sine causa justa mutare.

§ VII. In observatione Votorum continetur quoq; custodia clausuræ cujus etsi non idem est in omnibus Religionibus rigor, substantia tamen illius, eadem est ubique: quod non liceat Religioso, neq; palā, neq; clam pro arbitrio & voluntate propria maximo pravo aliquo fine aut animo apostatandi extra septa Religiosa Domus prodire aut morari. Quamobrem summè curant Superiores Domûs Religiosæ, ut ostia ejus semper clausa sint, & aliquis ostio semper attendat qui ingredientes & egredientes videat, admittat, dimittatque. Quam diligentiam jura etiam præcipiunt Superioribus, non tantum privata cujusq; ordinis, sed etiam communia Ecclesiæ.

Exigit hanc in Religiosis tum Ordinibus tum Domibus clausuræ custodiam, curam, amoremq; tum natura Religiosi status, à sæculo seperati, tum honestas gravitasquè Religiosa, tum securitas Virtutis atq, integritas, à periculisq, lapsuum, & aliarum inordinationum immunitas & præservatio, tum ædificatio debita proximis, tam his qui domi, quàm foris sunt. Et revera est magnum indisciplinatæ sive domus, sive personæ Religiosæ signum, clausuræ neglectus imò est quædam Apostasiæ inchoatio. Proinde magni æstimanda est Religioso, & nullatenus committenda, sed pro Votorum suorum, statusq; reverentia, tenaciter religioseq, custodienda.

§ VIII. In observatione Votorum continetur etiam stabilitas loci: sed hæc cum discrimine est intelligenda quoad Societatem, & quoad alias Religiones. Nam in aliis Religionibus, vovetur non tantum stabilitas ordinis, sed etiam Conventûs, sive domi in qua quis Religionem complexus est, & quidem ita, ut ab ea domo discedere ad aliam licet ordinis ejusdem non possit. Alicubi autem ita fit, ut, etsi Religiosus à Domo ingressûs sui recedat, semper tamen filius illius Domûs Monasteriivè censeatur, & sive jus, sive obligationem ad illud redeundi habeat.

In Societate hæc localis stabilitas locum non habet: immo nostræ vocationis est diversa loca peragrare & vitam agere in quavis mundi plaga, ubi majus Dei obsequiū, lucrum animarum, & nutus S. obedientiæ mansionem assignarunt. Cæterum stabilitas Ordinis & Religionis in Societate locum habet, quàm maximè, in cujus formu-
A la Votorum hoc expresse additur, quod Vota emittantur in Societate IESU, ut vita in ea perpetuo degatur.

Atq; hæc stabilitas Ordinis, semel per emissionem Votorum assumpti initiq; ex natura Professionis seu Votorum emissionis est immutabilis ac inviolabilis, excluditurquè per eam temeraria levitas de ordine ad ordinem transeundi, esto attentetur specioso prætextu austerioris vitæ, vel vividioris disciplinæ, vel majoris perfectionis. Nam imprimis, cum quis Vota in aliqua Religione facit, hoc ipso vovet perfectio-
B nem illius Religionis, non potest ergo sine temeritate aspirare ad perfectionē alterius Religionis. Accedit, quod perfectio quantum ad virtutem attinet, ferme eadem est in omnibus Religionibus, licet diversis viis, mediis, actibusq; ad eam tendatur. Perfectio enim Humilitatis, Patientiæ, eadem & ejusdem speciei est in omni Religione, immò ubiq;, esto in dissimilibus occasionibus, materiis, mediisq; exercenda veniat pro cujusq; instituto Religionis ac status.
C Præterea valde difficile est reperire Religionem totaliter acceptam, in qua ex toto etiam disciplina collapsa dici possit. Si collapsa est in uno Domicilio & Provincia, at non collapsa ubiquè & floret alicubi, at viget in multis Domibusq; Personisq,, proinde ex hoc capite Ordo deseri, nō facilè justè, rationabiliterq; poterit, curandum potius veniret, ut sicut alibi, ita hic, sicut in aliquibus personis, ita & in te floreat, exemploq; tuæ quà vitæ, quà doctrinæ, quà etiā Orationum ad Deum instantia, etiam in a-
D lijs reflorescat.

Quodsi commutatio Religionis cum alia etiam prætextu majoris boni spiritualis tam est inconveniens, facilè judicabit quisquè quantò absurdior est commutatio, vel de commutatione tenuis etiam cogitatio status Religiosi cum regressu ad sæculare. verba sanè desunt, quæ ad hanc absurdissimam impietatem enarrandam sint satis. Turpè est & honesto homine indignum, si

quod homo homini bona fide simplici etiã verbo appromittat, nec præstet, aut retractet, & non erit turpissimum Deo sanctissime Voto fidem obligatam, in æternumquè datam infringere? Si sæcularis homo voveat jejunium aut eleemosynam, aut quodpiam pium opus Deo, obligatissimum se credit, & fallere fidem sacrilegio simile putat. Religiosus qui obsequium suum æternum plena mente vovit Deo, attestante tota cælesti curiâ, inq; testimonium datæ & acceptæ fidei advocata, audebit tamen cogitare de nullitate aut rescisione sui Voti, audebit revocare, indagare per fas nefasquè modos, quibus rescindat Vota? quæ obsecro erit impietas in Deum, si hæc non est? Si calicem argenteum aut quidpiam etiam viliùs offerat quis templo, destinetq; usui sacro, postmodum repetat & usui profano destinet, sacrilegus & læsæ fidei irrisiq; Dei reus censetur: qui se ipsum quantus quantus est totum Deo in honorẽ, in servum, in Religiosum, in holocaustum, Votis Religiosis immolavit pro omni æternitate consecravitq;, non erit iste omni sacrilego, omni impio, omni perjuro, omni irrisore, blasphematore, conculcatoreque Divini honoris magis Reus, si tam sacris, tamq; arctis vinculis Votorum, se se non dico eripuerit malitiosè, sed vel tenuiter eripere cogitaverit? Quid quæso erit in humanis Divinisq; rebus vel sacrum, vel ligatum, vel indissolubile inviolatumq;, si Vota Religiosa Deo nùncupata talia non erunt? quid erit impium & detestandum, & supra omnes impietates abhorrescendum, si Votorum Religiosorum, tam sanctè, tam maturè, tam Religiosè, tam devotè, tam liberaliter, tam amabiliter, spontaneèq; cum tantis præparamentis, cum tantis deliberationibus, circumspectionibusquè, coram tot cæli terræq; testibus inducta vincula, temerare & abrumpere, & abijcere, impium extremaq; detestatione abhorrendum erit.

A Et adulterium quidem omnium gentium consensus abhorret, tamdiuq, abhorretur, quamdiu ad integritatem obligatæ fidei non reducitur. Religiosa persona, Deo Sponso sacratissimè copulata per Vota, existimat se à sacrilegi adulterij scelere immunem securamq; ubi quibuscunq; aut effictis ementitisq;, aut per improbitatem vitæ datis ex causis Votorum rescissionem obtinuerit.

B Scilicet nusquam alibi Deum irrideri contemptuiq; haberi licet, in sola duntaxat Religiosorum Votorum sacratissima obligatione rescindenda militabit jus, & fas, & honestas, & securitas Deum derisisse, atq, contempsisse. Damnata inferorum Capita, tantam in Deum impietatem nescio an parturire sciant, quæ tamen in Religiosis domicilijs monstra, quandoq; subnasci novimus.

C Hæc sunt septem, quæ in amplitudine Votorum Religiosorum suo modo continentur, quæq; omni Religioso Votis illigato cordi esse debent, & pænè pari cum ipsis Votis passu, in observationis diligentia procedere. Talia enim hæc sunt, ut nisi serventur, de Votorum quoq; integritate actum sit.



CA-

CAPVT XII.

De præparatione ad Votorum Religionis emisſionem.



§ I. ADverte præparationem ad Vota esse triplicem, remotam A unam, eãq; longã, durantem tototempore Novitiatûs: sicut enim per Novitiatum homo disponitur ad ingressum, incorporationemq; in Religionem, ita simul & ad Votorum emissionem: per Vota quippè ingressus iste perficitur & incorporatio. Præparatio ista diuturnitate sui, exercitiorumq, ac probationum varietate, ostendere sufficienter debet Religioso futuro, quanti momenti negotium sit, Religiosum fieri, Votaq, facere. Non enim potest esse res levis, ad quam tanto tamq, diuturno apparatu homo disponitur, & elaboratur, simulq, tanquam aurum verum excoquitur ac probatur. *Quare etsi per totũ probationis suæ* tempus homo debet probationem omnem, tanquam ad Vota emittenda dispositionem acceptare: maximè tamen id præstare debet, quando jam videt tempus probationis suæ in decursu esse. Tum certè debet præteritas omnes jacturas, negligentia vel aliter in Tirocinio contractas, damnaq, spiritus & perfectionis & apparationis ad Votorum nuncupationem incursa, idoneis aliquibus rationibus supplere ac sarcire. *Ex quibus rationibus* una erit illa, ut re cum Deo suoq, spirituali Magistro collatã, reliquum tempus quod adhuc superesse viderit Tirocinij, totum Deo & sibi, suiq, ad Vota præparationi consignet: ex tunc quasi planè de novã radice Tirocinium suum, Vitamq, Religiosam aggrediatur: in compendium redigat omnes suas necessitates, damnaq, & bona inchoata, neq, tamen satis adhuc perfecta, maximè ea, quorum est major in Vitam omnem reliquam Religiosam vis efficaciaq, consequenter necessitas. Cujusmodi sunt usus Meditationis & Examinum, Sacramẽtorumq, Pœnitentiæ & Eucharistiæ, recollectæ vitæ, intentionis puræ, præsentis Dei memoriæ: Dominij in Virtute, Regularũq, A ac disciplinæ observatione, mortificationis, passionum, silentij, resignationis, fiduciæ cum Magistro Spirituali: declinationis à distractionibus, ab otio, temporis jactura, familiaritatibus. Hæc similiaq, assumat, omnemq, industriam ad ea in se quàm maximè perficiẽda, radicãda, stabiliẽda, usq; què perfecto roborãda cõvertat & conferat, indefessoq, studio continuet. Hac enim ratione fiet, ut damna præterita, si non ex B toto, ex parte certè maxima suppleat atquè compenset, idoneèq, dispositus ad Vota sua accedat, quam ad rem juvabunt solidandã ea, quæ in propiori præparatione fiunt, de quibus jam erit,

§ II. Adverte secundo præparationem ad Vota secundam, esse propiorem simulq, breviorem priore: ut plurimum enim secũdùm usum Religionum, octo vel 10 diebus C perfici solet: quos dies Religio indulget, ut is qui Vota facturus finita probatione præparatur; specialiter huic negotio recogitando, sibiq, ad illud disponendo sedula diligentia incumbet adjutus etiam ad id Spiritualium Magisterio Doctorum. Vocamus hoc recepto nomine, collectionem: licet hoc nomine nõ paucæ res satis diversæ comprehendantur.

Ac primò quidem comprehenditur ipsa collectio: quã se homo revocat ad seipsum, & D ad Deum solum, liber interea ab omnibus occupationibus, sibiq, vacat & Deo per longiores ac crebriores congressus cum Divina majestate: seq, in Dei lumine intuetur ac omnia sua interiora & exteriora recognoscit, discutit, inq, meliorem statum & ordinem disponit: ad ea se adsuefacit perfectiùs deinceps peragẽda: in igne quoq; Divino inflammat affectus suos, purgat cor, amovet impedimenta cursûs expediti ad Deum & coram Deo.

2dò. *comprehenditur* generalis confeſſionis ſaltem de toto probationis tempore inſtituto: in qua omnes ſimul defectus collecti, inſpecti, odioq; habiti, tantò largiùs efficaciùſq, defleantur, efficaciùſq, & conſtantius de ijs fugiendis propoſitum concipiatur.

3 *Expoſitio* quoq, totius conſcientiæ ſuæ interioriſq; animi ſtatûs apud Spiritualem Ducem comprehenditur eadem collectione: in qua de toto ſtatu Vitæ non minus præteritæ præſentiſvè, quam etiam futuræ poſt facta Vota cum Patre Magiſtroq; Spiritus conferatur: documēta de Votis faciendis, præmonitiones quoq; ex præterito vitæ inter probationem decurſu ſumptæ, vel ab alijs experientijs petitæ ſalubriter ſuggeſtæ accipiantur.

4 *Comprehenditur* etiam ſub Collectione hac in Tirocinio poſtrema Votorum conſideratio: quæ tantò magis debebit eſſe exacta, quantò magis in propinquo & planè in procinctu poſita: conſideranda autem erunt Vota, ſive in communi, ſive in particulari, tum ſecundùm naturam ſuam, tum ſecundum dignitatem, tum ſecundùm utilitatem, tum ſecundùm obligationem, tum ſecundùm praxim obſervationis in Religione receptam. Ne poſt modum Religioſum novum contingat impingendo diſcere, & ex vulneribus lapſibuſq; ſapientiorem reddi, quæ eſt miſerrima diſcendi Virtutem ſapientiamq, ratio. Servient autem huic propoſito Meditationes præſentes de Votis in genere & ſpecie: nec non alij libri Spirituales, hoc genus argumenti tractantes.

5. *Comprehenditur* ſub hac collectione uſus variarum & in Religione jam inde ab initio antiquitus receptarum humiliationum pœnitentiarumq; tam privatarum, quàm publicarum. Publicæ ſunt Mendicatio oſtiatim per urbem triduo facta: Publica quoq, in triclinio ſuper menſam propriorum defectuum detectio, atq; de ijs reprehenſio. Flagellatio etiam ſui in eodem triclinio in pervigilio Votorum de more, alijs etiam diebus procedentibus, pro fervoris & obedientiæ arbitrio ſuſcepta. His accedere poſſunt aliæ in eodem triclinio ſpontaneæ pœnitendi, humiliandiq; ſui rationes vulgo uſitatæ. Quæ omnia etſi ſemper ab interna humilitate cordis, ſuiq; deſpiciendi ſtudio obeunda ſunt: hac tamen occaſione Votorum Deo faciendorum, ſpecialiter ab hoc ſpiritu humiliationis, fervoris, Divinæq; opis ad Vota facienda implorationis proficiſci debebunt. *Iam verò Privatæ pænitentiæ* interiores exterioreſq; à fervore interno, à magnitudine operis faciendi, ab indigentia benedictionis cœleſtis, à viribus cujuſq, à diſcretione ſanctæ obedientiæ meliùs præſcribentur, quan- A quam & in tertio ſequenti puncto aliquis de eis conſiderandi locus recurret.

6. *Comprehenditur* ſub hac collectione ſuffragium ſubſidiumq, communis domeſticorum pro Vota facturo orationis ad Deum, quod etſi à charitate Religioſa & à providentia ſolicitudineq, Superiorum ultrò omnibus domeſticis indici mos habet: tamē ſpontanea, ſimplex, humilis, ſedulo & fiducialis precum fraternarum, pro ſe ſuoq; actu ad Deum emendicatio non poteſt carere utilitate, proinde negligenda non erit. B Sicut etiam à fratribus non exſpectata poſtulatione ulla monitionevè, ex ſpontaneâ liberali ſolicitaq; de bono fraterno charitate, ejuſmodi ſubſidia ſacrificiorum, orationum, pænitentiarumq; eroganda eruāt coram Divina majeſtate fratri Vota facturo. Si enim in corporibus naturæ membra invicem pro incolumitate atq; ſolatio ſunt ſolicita naturaliter: quantò id magis fieri par eſt in corporibus myſticis & gratiæ, quæ non carne pelle & nervis oſſibusvè cōpuginantur, ſed Virtutibus, ſed charitate, C ſed Spiritu Chriſti, ſed Divina unione?

§ III, Tertia ad Vota præparatio eſt, quæ licet ſparſa eſſe debeat, fuſaq; tam per primam, quàm per ſecundam præparationem jam expoſitam, tamen potiſſimum locum habet ingruente jam Votorum faciendorum tempore ob quam cauſam poterit vocari proxima: ſicut quia maximè ad interiorem & privatam mentis culturam ſpectat, ideò poterit intima & privata ſpecialiſq; etiam nuncupari quàm quilibet pro arbitratu Spiritualiſquè Magiſtri doctrina D conſtituet in ijs, in quibus maximè ſibi, ſuæq; conſolationi, ac tanti actûs, (qui eſt, Vota facere Deo) dignitati, perfectioniq; indulgere, ſatiſq; facere ſe poſſe indicabit, recolens verba illa, vel potiùs imitatus cæleſtem illam Sponſam Agni, de qua S. Ioannes in Apocalypſi protulit Verba illa: *Venerunt nuptiæ Agni, & uxor eius præparabit ſe*. Itemq, illa: *Vidi Civitatem Sanctam Ieruſalem deſcendentem à Deo paratam, ſicut ſpon-*

Sponsam ornatam viro suo. Paradigma verò hujus ornatûs atq; præparationis, etsi prout dixi arbitrariæ, poterit tamen his ac similibus actibus comprehendi, hisq; exercitiis mentis acquiri.

1. *Vota facturus exerceat se* in reali explicito, expresso contemptu, irrisione, odio totius mundi, omniumq; ejus rerum, sive ad honores, sive ad voluptates, sive ad opes, sive ad potestates, sive ad authoritates pertinentium, earum molestias, vanitates, elapsus, extremitates, fructus, ridiculas ceremonias, sordidissima obsequia, nullos usus- aliaq; ejusmodi adjuncta cōmemorando, ob oculos ponendo, repetendo, despiciendo, irridendo, conculcando, mentē supra hæc attollendo, ex corde ista exturbando &c.

2. *Vota facturus exerceat se* in excisione & eradicatione omnis spei ad mundum, & ad mundana sensualia, & vana omnia: cuia insertione & radicatione horroris ad talia, exultationis verò ad opposita, gaudendo quod tandem aliquando venerit in horam hanc, in qua perfectè mundo & carni, & sibi non tantum valedicere, sed etiam planè mori possit, totusq; in Deum, & in rem possessionem peculiumq; Dei transire, arbitrando omnia propter Christum detrimenta & stercora quæcunq; mundus amat, & amplectitur: abhorrescendo, detestandoq; ea tanquam omnis nequitiæ incentiva, tanquam perditionis seminariū, tanquam inferni pabula-

3. *Vota facturus exerceat se in Amore* positivo, ardenti, tenero, filiali, Vocationis, *in Exultatione* de illa, in exaltatione & cordiali osculatione illius, in appretiatione ipsius tanquam pretiosæ margaritæ, tanquam thesauri mundo quidem absconditi, & sibi ex Divina voluntate revelati & dati. In hilari & generosa & libenti omnium pro hac gemma, pro hac tessera salutis profusione expensioneque. In desiderio, in Voto, in proposito, in postulatione ac emendicatione à Deo, ejusq; Sanctis, perseverantiæ æternæ, & quidem non in vita qualiquali, sed sancta, & incessabili.

4. *Vota facturus exerceat se* in desiderio, in proposito, in gaudio soluti & liberi cordis, affectusq; sui ab omni creatura, ut possit jam sine impedimento, sine medio, sine mora, ad unionem possessionemq; Dei pervenire, tendere, festinare, eiq; adhærere, ac in eum transire transformariq; post abjectionem omnium creaturarum etiam sui ipsius à se. Sicut sagitta ad scopum, sicut molaris ad centrum, sicut oculus ad lucem, sicut avis de cavea, sicut fera de laqueo, sicut piscis ex reti evolat festinādo, festinatq; evolando in suam libertatem: sic festinet, sic exultet, sic evolet toto sui affectu, im-
A petu in Deum suum, recogitans se jam jam Vota facturum, Votisq; factis libertatem in Deum immigrandi involandiq; habiturum. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, &c. Laqueus contritus est, &c. Paratum cor meum Deus, &c. Beatum dixerunt populum cui hæc (creata) sunt: Beatus populus, cuius Dominus Deus eius, &c. In exitu Israel de Ægypto, &c.*

5. *Vota facturus exercebit se* in amore, desiderio, sensu, gustu, experimento, experiendi Voto, assimilandi, imitandi, expri-
B mendi, affectandi studio Christi IESU exinaniti, pauperis, contempti, stulti, crucifixi, passi, vermis & non hominis. In gaudio etiam quod eum talem induturus est factis Votis, cū omnibus & insignibus & dotibus ejus cum obedientia usq; ad mortem Crucis: cum odio omnium gratuito &c. *Quis nos separabit, &c. Certus sum quia neq; mors, &c. Mihi absit gloriari, &c.*

6. *Vota facturus exercebit se* in Oratione & emendicatione opis Divinæ, in confessione indignitatis, insufficientiæ, incon-
C stantiæ, infirmitatisq; suæ ad dignè, ad perfectè, ad constanter vovenda, servanda, perficiendaq; Vota. Invocabit ergo Sanctorū, præcipuè Pretiosissimæ Dei Matris, & S. Angeli custodis, Sanctorum ordinis, Sanctorum Patronorum suorum, merita, preces, suffragia, *petens ut se iuvent*, ornent pro se fide jubeant, suorum Votorum Patroni sint, sed eorum observatione jugiter in omni vita & occasione adjuvent, stimulent, manuducant.

7. *Vota facturus exercebit se* in sapore gu-
D stu, æstimatione, desiderio, fameq; in Providentiæ Divinæ manus, curam, sinum, tutelam se se tradendi, projiciendi, abscondēdi, demergendi, sepeliendi. Atq; reipsa desideriis Votisq; hoc faciet: facturus idipsū plenè per Votorum nuncupationem: de quo impensè & immensè gaudeat, glorietur, prædicet, triumphet, quod sit habiturus providentiam Dei suavissimam, lacteam, sapientissimam, potentissimam sollicitissi-

tissimam, amantissimam, sibi obligatam & obstrictam ex pacto mutuo, ex fide convẽta &c. *Qui habitat in adiutorio altissimi, &c. In pace in idipsum, dormiam &c. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. &c. Iacta cogitatum tuum, &c. Omnem solicitudinem proiicientes in eum cui cura est de vobis &c.*

8. *Vota facturus exercebit se* in apparatu, & actibus immolandi, offerendi, donandi, dedicandi, conservandi, holocaustrificandique sui Dei in plenum æternum, assiduum, continuumq; sacrificium: non solum cum tota substantia Mundi, Corporis, Animæ, personæ naturæq; suæ: sed etiam cum & in omnibus potentiarum suarum actibus, cũ omnibus & singulis circumstantiis, capacitatibus, atomis, momentisq; vitæ & existẽtiæ suæ: Exercendo, exerendo, exasperãdo, in se famem ac sitim assiduam, & increscentem assiduè, & æternam, continuè se faciẽdi holocaustum Deo, incessabili Seraphicæ Marianæ Theandricæ charitatis igne: per omnia secuturæ vitæ momenta: imo per omnem vitæ huic successuram æternitatem.

9. *Vota facturus exercebit se* in persuasione, in penetrationeq; illa, quod ex hora, nuncupatorum Votorum Deo: jam non sit ullatenus futurus suus, sed totus alienus, totus & ex toto Dei, propter Deum Religionis suæ: ita planè sicut est fructus arboris, ita sicut possessio possessoris, sicut donum donatarij sicut mancipium Domini, sicut filius Patris, sicut Sponsa Sponsi. *Magis erit Dei* quam creatura est Creatoris, & figmentum figuli &c. Etenim jus quod vovens confert in se Deo, cui vovet: est quoddam novum, specialeq; quod Deus in nullam etiam creaturam habeat, nisi in eã, quæ Vota Religiosa facit Sicut etiam jus quod Deus in Sacerdotio initiatos acquirit est peculiare & accessorium ac Novum ex vi Sacerdotij enascens. Certè etsi per impossibile Deus non esset Creator hominis, si homo tamen Vota Religiosa, illi faceret, ex votis factis, evaderet Deus homo plenus & absolutus possessor Dominus hæresq; hominis, tanquam jumenti, servi, mancipij, doni consecratiq; sibi, *Incumbit ergo* homini nosse ac scire, ac semper in memoriâ tenere hoc jus à se collatum, (conferẽdum) Deo per Vota, incumbit illi congaudere in hoc jure dato à se Deo, incumbit illi ex hoc jure, ex hujus juris motivo omnia & singula semper agere, patiq; corpore & anima *Incumbit illi*: se non ut suum, sed ut alienum, ut Dei scilicet, ut Religionis propter Deum, tractare, servare, habere, gerere, æstimare, omniaq; agere, omnes actus ut Deo debitos, proinde ut Deo dignos facere. *Incumbit illi* in nullo uti se ipso, ullaq; potentia sua ullo actu suo contra, vel præter, vel sine voluntate Dei, non ictu oculi, non motu digiti, non aspirare, non respirare, non humanos, non hominis actus agere, non mutari, non pati quidquam aut quovis modo. Non estis vestri, de cætero nemo iam sibi vivat: sed in omnibus, & per omnia in rem Dei: quoniam Religiosus ex hora Votorum quidquid est, alienũ est, quidquid acquirit, alteri acquirit, quidquid agit, alteri agit & quidquid de ipso, cum ipso, ex ipso, circa ipsum agitur, ordinatur, mutatur, non tanquam de ejus, sed tanquam de proprio mutatur, ordinatur, agiturquè.

Hoc Religiosus qui Vota facit, sciat: qui facturus est, discat, & melius quàm digitos suos, quàm nomen suum norit: tamq; assiduè in praxi exercitationeq; voluntariâ habeat, quàm assiduè vel non advertens spirat, respiratq; & motibus arteriarum movetur.

Hoc Religiosus tanti æstimet, ut se ex hoc etiam æstimet atq; efferat cum humili lætitia coram Deo, in Domino enim de hoc gloriando nequaquam erit insipiens, sed sciet quæ à Deo donata sint sibi. Revera enim post sortem beatitudinis æternæ, non videtur posse excogitari beatior sors creaturæ: quàm hæc sit Religiosorum Deo Votis suis initiatorũ, consecratorũ, donatorumquè. Quoniam in nulla conditione creatura tam est, efficiturq; juris Divini, Deusq; vicissim juris creaturæ: quàm in conditione Religiosi status per Vota contractæ. O felices Religiosos sua si bona norint, si æstiment, si servent, si gaudeant de eis &c. sed hæc à plerisq; abscondita cum sint, ideò etiam fructu eorum carent.

10. *Deniq; Vota facturus exerceat se* in ijs exercitijs affectibusq;, quibus se posse proficere plus, probari Deo plus, ad Vota nuncupanda disponi plus, iudicaverit. Cogitet se à Religione Matre sua, velut Samuelem ablactatum deduci ad tẽplum Domini in farinæ satis tribus, in vitulis duobus & vini amphora, commodariq; se Domino ad obsequium omnibus diebus. Cogitet

se cum Salomone templum Domino ædificatū dedicare cum lætitia magnâ &c. *Cogitet* se cum Viduâ Evangelica paupere, duo minuta in Gazophylacium mittere debere: omnem scilicet victum suum. *Cogitet se* cum Simone Cyreneo, sed tamen non angariatum, verum summè desiderātem Crucem tollere post IESUM, Cruci affigi cum IESU, inq; Cruce ad mortem usq; tribus clavis confixum pendere debere. *Cogitet se* velut modò genitum infantem baptismo Religiosi status baptisandum esse, remissioneq; omnium peccatorum ex vi actus huius donandum. *Cogitet se* Martyrio afficiendum esse. *Cogitet se* moriturū & eradicandum de mundo, & transplantādum in aliam terram, in hortum deliciarum Dei, in Paradisum. *Cogitet se* deducēdum velut Sponsām Sponso Christo, spōnsore Deo Patre & Religione Matre, testibus Universæ curiæ cælestis incolis. *Cogitet se* contractum donationis æternæ mutuæq; cum Deo facturum conscripturumq; singrapham & accepturum à Deo vicissim obligatam fidem providentiamq; ejus, tum promissionem Vitæ æternæ, fidejussore pro utraq; parte contrahentium, Deo & cælo, & Religione.

A His similibusq; cogitationibus, affectibus considerationibus impleat, infarciat, saginet animam suam Religiosus Vota facturus per omnes dies illos, qui erunt proximi Votis ejus, cum omni humilitate & diffidentia sui, cum omni simplicitate & fiduciali tendentia propensioneq; in Deum, cum charitate & interna pace mentisquè hilaritate cum suavi exspectatione, pacificoq; tædio, & fame ad Deum evolandi, à se descīscendi, sibi pereundi ac moriendi

B ac in Dei jus, manus, possessionem, unionemq; transeundi. Invocando semper ac jugiter auxilium Dei: intercessionemquè ac suffragium meritorum IESU Christi, Pretiosissimæq; Parentis, ac Sanctorum omnium &c.

CAPVT XIII.

De Actibus exercendis in Sacro, in quo Vota emittenda aut renovanda erunt: cum accommodatione ad partes Sacri.



PRodeunte ad celebrādam Missam Sacerdote, in quā Vota facturus es: prodibis & tu corpore simulq; spiritu ad altare tanquam in theatrum, in quo spectante Deo majestatis totaq; cælesti ejus curia exhibiturus es spectaculum, obsequium, cultum, sacrificium, Deo tale, pro quo nullum hactenus majus Divinæ ejus Majestati exhibuisti. Proditurus autem & prodiens, adjunges tibi comites pro arbitratu ac devotione tua Sanctos: à quibus deducaris in theatrum hoc: &c.

Prima Pars Missæ. Confessio, Introitus, Kyrieeleison, Gloria in excelsis,

Sub hâc parte exercebis sequentes vel similes actus.

1. Exercebis te in cognitione tui & Dei.
2. In collatione comparationeq; tui & Dei.
3. In abjectione tui coram Deo, infra omne id quod Deus non est, demergendo te in abyssos nihili, vilitatis, peccaminositatis.
4. Ex his profundis abyssis vilitatis nihiliq; tui inclamabis misericordiam & miserationem Dei.
5. Recitabis cum Sacerdote Hymnum: Gloria in excelsis: exaltabisq; Deum super omnes Deos, super omne universum, adjiciens super omnes laudationes ejus.

C

2da. pars Missæ. Orationes, Epistola, Evangelium, Credo.

1. Exercebis te in postulatione & mendicatione gratiarum omnium, quibus gratus evadas in conspectu Domini, potissimumq; Vota tua exornentur, & benedictionibus Patris, & Filij, & Spiritus S. repleantur, in eisq; confirmentur, per Dominũ nostrum Iesum Christum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto, &c.

2. Confiteberis Fidem, Spem, Charitatemq; tuam, coram Sanctissimâ Trinitate, creaturarumq; universitate.

3. Protestaberis etiam quod desiderio explendæ Voluntatis Divinæ, explendorumq; consiliorum IESU Christi, nec non affectandæ perfectionis Evangelicæ, Christiq; pauperis, contempti, crucifixi, Virginis, & ad mortem usq; obedientis imitandi studio Vota facere cupias & gaudeas.

3tia. pars Missæ. Offertorium, Ablutio manuum, Orate fratres.

1. Offeres te cum hostijs altaris, per manus Sacerdotis, majestati Divinæ: petens ut imminens oblatio tua ad Deum in odorẽ suavitatis ascendat, &c.

2. Ablues te spiritualiter aquâ lacrymarũ & doloris de peccatis, aquâ spei in divinâ miseratione, & in suffragiis omnium Electorum Dei: aquâ deniq; gaudii de accelerante oblatione tuâ per Vota.

3. Exposces ardentissima cum humilitate Vota pro te ad Deum utriusq; Ecclesiæ, tam scilicet triumphantis, quàm militantis, in specie autem Sanctorum Religionis tuæ.

4ta. pars Missæ. Secretæ orationes, Præfatio, Canon, Memento &c.

1. Postulabis à Deo intimam & secretam, Deoq; soli notam & placitam, atquè destinatam, eoq; dignam, tui totiùs dispositionem ad Vota, & ad Divini gustus conformationem.

2. Affectum Ecclesiæ triumphantis & militãtis indues, eumq; toto te effundes ac impendes in Laudes, & Gratiarum actiones majestati Dei, voce cordis validissimâ clamans Sanctus, Sanctus, &c.

3. Effundes quoq; ac prodiges te in omne precum observationum, postulationũ, gemituũ, aspirationum, adorationum, invocationum genus, adsciscendo tibi totum mundum in Socium adjutoremq; ad exaltandum exorandumq, Deum.

5ta. pars Missæ. Consecratio, Elevatio, Cruces, Memento mortuorum, &c.

1. Consecrabis & consecrari te quoquè petes efficacia Sacratissimi Sacrificij mediantibus Votis quæ facturus es: ita ut transformeris ex te tuo, in non tuum, sed Divinum, ita ut possis ex veritate dicere Domino, Domine ex hac horâ, corpus meum non est jam meum, hic sanguis meus jam non est meus, hæc anima mea libertas ratio, vita mea, jam non est mea, mundus meus jam non est meus: ego totus jam non sum meus, jam non sum ego, sed totus ex toto tuus, sed totus tu &c.

2. Postulabis te atq; gaudebis, totaliter ex mundi laqueis, ex tui ipsius Viscosi amoris vinculis extrahi, absolvi, & ad Deũ usq; elevari: per Vota tua quidem, sed corpori, sangnini, meritis, Divinitatiq, Christi unito.

3. Signabis te ac sigillabis Cruce Christi: poscens ac statuens Votis crucifigi: quoniam Votis ligari & cruci affigi, id est: quoniam Vota fieri & servari sine Crucis sensu & experimento non possunt.

4. Vovere est mori: mortem ergo per Vota te subiturum ac subire te gaude: postulans & exultans annumerari te mortuis sempiternis, quorum vita abscondita est cũ Christo in Deo.

6ta. pars Missæ. Pater noster, Pax Domini, Agnus, Communio; Absolutio Vota facturi.

1. Recitabis cum Sacerdote Orationem Dominicam, continet enim omnia.

2. Recitabis etiam cum Sacerdote Pax Domini: & te in Calicem Sanguinemquè Christi abluendum exornandum absorbendumq; demerges petens ultimæ instantiæ & efficaciæ dispositiones ornamentaq; ad Vota dignè facienda.

3. Intimabis Patri æterno immolationẽ Agni sui: seq; & tuam immolationem ejus immolationi unies.

4. Confiteberis peccata & indignitatem tuam exspectabis, postulabis, excipiesq; plenariam absolutionem peccatorum tuorum: quæ Vota facienti confertur à Deo: infusionem quoq; gratiæ, quàm plenissimæ tam sanctificantis, quàm adjuvantis: quàm ad rem communicabis spiritualiter.

Voto-

Votorum ex Formulâ nuncupatio.

ACTUS,	VERBA FORMULÆ.
Invocatio SS. Trinitatis cum fide & reverẽtiâ	Omnipotens sempiterne Deus,
Vilificatio sui infra omnes nihili abyssos.	Ego NN. licet undequaq; Divino tuo conspectu indignissimus
Fiducia in misericordiâ Dei, & gratiâ vocationis	Fretus tamen pietate, ac misericordia tua infinitâ,
Excitatio, sensus, protestatio ncẽsi, & perpetui desiderii Deo serviẽdi.	Et impulsus tibi serviendi desiderio.
Promissio, Sponsio, Votum actuale, actusq; explicitus vovendi toto & sincero corde.	Voveo.
Cum invocatione auxilii, cumq; cõtestatione pro stabili fide promissi Voti Dei Matris, totiusq; cœli.	Coram Sanctissimâ Virgine Maria, & curia tua cœlesti universa:
Appellatio, & protestatio summæ Dei Maiestatis, quod ei voveas.	Divinæ Majestati tuæ.
Explicatio particularium Votorũ: abiiciendo & calcando mundũ, carnẽ, animã, cum suo amore, honore, libertate, iudicioq; propter amorem, & imitationẽ IESU Christi.	Paupertatem, Castitatem, Obedientiam perpetuã, in Societate IESU.
Votum indifferentiæ ad omnem gradũ in Societ:	Et promitto eandem Societatem me ingressurum
Propositũ de perpetuo studio assectãdæ perfectionis, iuxta institutum.	Ut vitam in eâ perpetuò degam, omnia intelligendo juxta ipsius Societatis constitutiones.
Clausula cum postulatione gratiæ uberis, auxiliiq; efficacis ad expletionem observationẽq; Votorum: cum æstimatione & obtestatione Dei per immensam eius bonitatem, & IESU Christi pretiosum saguinẽ.	A tuâ ergo immensâ bonitate, & clemẽtia: per IESU Christi sanguinẽ, peto suppliciter: ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris, & ut largitus es ad hoc desiderandum & offerendum: sic etiam ad explendum gratiam uberem largiaris.

A

7ma. pars Missæ. Communio voventis, Orationes, Benedictio, Evangelium S. Ioannis.

1 Trades per manus sive Angeli Custodis, sive Sanctorum comitum, sive Pretiosissimæ Parentis SS. Trinitati Vota tua, ad pedes ejus deponenda

B 2. Sanctissimum Sacramentum recipies & in eo Deum se vicissim tibi devoventem in Patrem, Sponsum, Deum, Provisorem, possessionem, mercedem tradentem: suamquè tibi suavissimam providentiam obligantem, atq; te in curam suam accipientem: cujus obligationis & fidei pignus sit Sanctissimum Sacramentum.

3. Prosternes te in terram quidem genibus, in abyssos autem nihili corde: & de profundis abyssi toto te clamabis hæc vel

C similia: O Domine ecce jam ego servus tuus, & filius Ancillæ tuæ, minimæ Societatis IESU. O Domine tuus sum ego, tuus sum. In me sunt Deus, in me Vota tua tibi à me facta, quæ reddam: te adjuvante, reddam constanter, reddam perfectè, reddam perseveranter, laudationes tibi. Dominus universorum meorum, hæres mei totius es o Domine: Tu autem es Pater meus, Rex meus, merces mea magna nimis, multa nimis, &c.

4. Benedictionem petes Votis tuis pa-

D ctisq; conventis cum Deo: accipiesq; de manibus Sacerdotis à Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto, præsentibus adhuc in te realiter cum humanitate IESU Christi, in Sãctissimo Sacramento.

Finito Sacro: ante altare vel alio loco commodo reassumes actus in præcedentis meditationis puncto 3 toto, immutatis duntaxat temporibus, futuri in præsens. Votorum faciendorum in Vota jam facta. Con-

Concludesq; negotium totum Hymno *Te Deum laudamus.*

Totus reliquus dies, quo Vota facta sunt consumendus erit in occupatione cum Deo, & Sanctis: in exultatione Spirituali: in gratiarum actione Deo, in gratulatione sibi ipsi, in admiratione beneficentiæ Dei, efficacis & suavis, in postulatione gratiæ ad observandum & perseverandum. In proposito constanter ferventerq; Deo juxta latitudinem Votorum, animiq; sui præsentis serviendi. Eam ob rem continebit se maxima parte in cubiculo, vel templo, sive loco in quo Vota sunt nuncupata, in silentio, & recollectione Spiritus, cum usu orationum ejaculatoriarum convenientium cum memoria jugi Actus facti, quantum sine fatigatione virium corporis, capitisq; licebit: cum suavitate Spiritus, animi-
A què pace. Id ipsum etiam aliquibus sequentibus diebus, quoad per occupationes obedientiamq; licebit, factitandum erit pro commoditate.



PARS

PARS II.
DE VOTIS
In particulari.

CAPVT I.

De Conditionibus bonorum externorum, quæ paupertas Religiosa excludit.



T tantò meliùs paupertatis Religiosæ naturam, bonum, pretiūq; cognoscatur, amoreq; concipiatur, consideranda est natura bonorum (ut vocāt) terrenorum, quæ in præsenti Divitias vocabimus, cognita enim istarum Divitiarū, tali, qualis verè est naturā, elucescet maxima Paupertatis Religiosæ, Votiq; illius, quô divitiæ abdicari à Religiosis solent, dignitas, utilitas, pretiositas, quin etiam necessitas. Ut verò divitiarum indoles cognoscatur: aliquot earum de plurimis miseris conditionibus expendendæ sunt in sequentibus punctis.

Prima Conditio. Divitiæ non sunt bonæ ex se: nullam enim rationem bonitatis habent: non honestam, non jucundam, non utilem: ab humano tantùm utendi modo sunt bonæ: quâ ratione etiam stercora bona sunt: ut merito Apostolus dicat: *Quæ mihi fuerunt lucra: arbitratus sum detrimenta verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam IESV Christi Domini: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora.* Equidem si divitiæ naturā suâ bonæ essent: communicarent hanc bonitatem possessoribus amatoribusquè suis: cuius tamen oppositum est, potiùs enim malos faciunt eos quàm bonos à quibus conseruantur appetunturvè unde etiam vocata sunt irritamenta malorum & scelerum instrumenta.

A *Secunda Conditio.* Divitiæ ut sint aliquomodo bonæ: non sunt tamen nostræ, nec sunt nostra bona, tum quia nos ad alia bonorum genera habenda quærendavè nati sumus, tum quia sine his boni, & quidem faciliùs quàm cum eis esse possumus, imò ab eis impedimur à nostris præcipuis, propriisq; bonis: incitamur autem ad vera mala nostra, tum deniq; quia divitias ab aliis rebus abiectis abiectè emendicare cogimur dum illas habere volumus: sumusq; veluti Poeticæ corniculæ plumis alienarum volucrum vestitæ gloriantesquè.

B *Tertia Conditio.* Divitiæ sunt bona fallacia: nec mirum quia & falsa: unde qui illas habet vel amat: falsa bona habet & amat: quid ergo mirum, si fallatur: mirum potius esset, si non falleretur, sicut mirum etiā esset si divitiæ non fallerent. Hoc certè nomine Christus Dominus ipse eas appellavit: quando fallaces divitias dixit. Et revera experimento constat fallaces esse falsasq; naturā, & quo plures habentur: eo minus satisfaciunt satiantq; hominem: imò tantò magis famem sui acuunt: cruciātq; animum

animum amatorem & possessorem sui quo nullum certiùs exploratiusq; est indicium fallaciæ alicuius rei: Si enim hominem certò asserimus fallacem, qui quod promisit non exhibet: quomodo non etiam divitias fallaces dicamus, quæ satietatem, cuius causâ appetuntur, non tantùm non præstāt, sed etiam impediunt & tollunt Denique ad fallacitatē bonitatis divitiarum hoc satis est demonstrandam: quod magis satiant contemptæ quam amatæ, melioresq; sunt & meliorem faciunt abjectæ quàm habitæ.

Quarta Conditio. Divitiæ sunt fugitiva bona, assiduò dominos mutant: & non prius ad unum veniunt, quin statim alium possessorem quærant. Duplices sunt divitiæ: quædam immobiles, quædam mobiles, utræq; fugitivæ, etsi modo diverso: mobiles enim fugiunt ad alios Dominos: Immobiles autem fugiuntur & relinquuntur à Dominis & possessoribus suis, & aliis relinquuntur; sunt ergo fugitivæ, quia nobiscum diu permanere non possunt.

Quinta Conditio. Divitiæ sunt laqueus, sagena, & hamus diaboli, quò illaqueat animas hominum, & perdit. Pro, quanti laquei sunt in divitiis! pro quanti sunt cōprehensi omni sæculo ab his laqueis. Et quod est miserabiliùs: laquei isti non censentur laquei: sed veluti essent libertatis vindices & instrumenta conquiruntur, quibus laqueis sunt irretiti, felices se credunt ipsi, & ab aliis creduntur, suntq; in admiratione, timore, invidentiâ, æmulatione, ambitione. Quæ cæcitas humana nullis lachrymis satis deplorari potest: etsi eluatur demum æternis. Non potest iniri exemplorum & experimentorum numerus eorum qui his laqueis implicati, & in interitum mersi sunt: Neq; tamen sapere didicit aut discit humana cæcitas: seu potiùs contemptores diuitiarum insanos, indigos, miseros credit.

Sexta Conditio, Divitiæ sunt impedimenta salutis. Testis ipsa veritas dicens: Quā difficilè hi, qui pecunias habent, intrabunt in Regnum cælorum. *Faciliùs est camelum ingredi per foramen acûs, quàm divitem intrare in Regnum cælorum* Quid adhuc desideramus testimonium, quod ex ore veritatis ipsius tam exaggeratum habemus?

Septima Conditio. Divitiæ sunt pondera & onera animæ: quibus illa ad amorem Superiorum, ad virtutis studium, ad montem perfectionis, ad libertatem, levitatemquè filiorum Dei evolare non sinitur Adolescens Evangelicus mandata servare poterat: ad perfectionis viam aspirare non poterat: sed audito Domini verbo illo *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, abiit tristis,* erat enim habens possessiones multas. Ergo hæsit in terra depressus divitiarum suarum pondere, & qui inter Petros & Andreas, & Ioannes connumerari poterat: à possessionibus suis opprimi elegit, in interitumq; demergi.

Octava Conditio. Divitiæ sunt fæces mundi, quibus corda velut porci saginantur, & veluti siliquis explentur Amore divitiarū inquinatus redditur animus, non secus ac sus volutabro luti immersa, nec tam sordidus est in suo luto porcus, quàm in suis quibuslibet possessionibus delectatus involutusq; animus. Porcum enim suæ sordes decent: & ad ingenium ejus innatamq; indolem sunt: sed cor humanum animusquè ad maiora natus est, quam ut fiat fæcium istarum, scrutorumq, & quisquiliarum ac siliquarum mancipium atq, receptaculum.

Nona conditio. Divitiæ sunt Somnium, vel res in somnis visa: & divites sunt planè somniantes dormientesq,: quô etiam modò appellantur in Scriptura dicente: *Viri divitiarum dormierunt somnum suum & nihil invenerunt in manibus suis.* Quemadmodum qui se somniat comedere aut bibere, ubi evigilaverit, invenit vacuam & aridam animam suam, ut dicitur in Isaia: ita viri divitiarū (hoc est, mancipia & servi divitiarum quiquè à divititiis magis habentur ac possidētur, quàm eas possident) qui in hac vita mortali existimant se diuites, ubi in immortalem illam vitam evigilant, nihil inveniunt ex divitiis illis in manibus suis: quoniam sicut nihil nascendo huc intulerunt secum, sed nudi prodierunt: ita etiam & hinc exeundo nihil efferunt, sed nudi abeunt. Ubi advertendum est quod notat Chrysostomus? Dormientes ea videre quæ non sunt: non videre autem quæ sunt, ita plane divites & divitiarum amatores, eas quæ verè opes non sunt, sed potiùs miseriæ, onera, & scruta inutilia, illi vident, indagant, coacervant, at verò bona spiritualia æterna, Dei, quæ sunt veræ cordis divitiæ: hæc illi non vident: non æstimant, non curant, non habent.

Decima Conditio, Divitiæ sunt dos reproborum

borum. Ut enim parentes qui filios ac filias habent, filiis quidem hæreditatem suam servant: filiabus verò, assignata pro libitu dote, eas nubere, ac in alienam familiam transire, hæreditatiq; renuntiare faciunt. ita Deus filiis quidem electis ac prædestinatis hæreditatem suam cælestem & æternam, nempè seipsum servat & tradit: filiabus verò, id est reprobis, bona terrena & hujus vitæ, tanquam dotem consignat, eum qua, & pro qua illi nubunt diabolo, & renuntiant cælo.

Vndecima Conditio. Divitiæ non tam se ipsis quàm amore sui nocent: Non enim substantia hujus mundi, sed cupiditas nocet. Nec culpatur census sed affectus. Unde quantælibet eæ sint: imò etiamsi aliquãdo nullæ, aut perexiguæ sint tamen pro mensura affectionis qua vel appetuntur, vel habentur, eatenus nocent. Adeò ut divitiæ non sint revera divitiæ vocandæ, quia multæ sunt & variæ & magnæ: sed quia multum & magno affectu appetuntur. Igitur quidquid valde amatur ex terrenis reculis: illud sunt divitiæ amatori suo, idq; sive habenti, sive etiam non habenti. Non ergo interest, habeasne aliquid, vel nihil: habeasnè multa vulgo pretiosa, an vile quidpiam minutumq; sed interest habeasnè ordinatè an secus, moderato an immoderato affectu: sine detrimento boni spiritualis & obsequij Divini, an cum alligatione cordis vel ut ait David cum appositione. Quẽadmodum nihil interest, sitne oculus tuus grandi aliqua mole & massa opertus, an verò qualiquali folio, dummodo impediatur visus tuus, aut monsne integer obruerit oculum? an pulvisculus levis eundem premat, dummodo cæcutias, aut decemne catenis ferreis ligatus sis, an unô aliquô vinculo, captivus tamen vinctusq; tenearis? Ad lædendam pupillam sufficit punctura tenuissimæ aciculæ, ad opprimendum cor sufficit gutta. Pupillam oculi totus mundus remotus non gravat, imò ab eâ capitur aspectu, acumen acûs si applices, eandem excæcat. Tanti interest non quid aut quãtum habeas: sed quo affectu, & quo mentis pondere, cordisq; adhæsione. Quæ in Religioso homine nulla esse debet omninò ad nullam creaturam: magnam, parvam: multiplicem unam, pretiosam vilem.

Duodecima Conditio. Divitiarum est quod faciliùs sit, nihil penitus earum possidere, quam aliquid earum, etiam minimum habere salva mentis innocentia, & cordis libertate. Unica res habita, & si videatur sine affectu cordis obtenta: tamen sensim affectum ad se alligat attractum. Moxq; per illam unam irritatur animus ad aliam desiderandam: præsertim quando commoditas A unius iam habitæ, commoditatem alterius habendæ licet adhuc commendat: subdoleq; velut experimento quodam docet perinde posse absq; impedimento paupertatẽ amantis animi, aliam rem acquiri & haberi, sicut habetur prior. Disponitur etiam animus unius rei obtentione ad aliam possidendam: Maximè quando defectus habẽdæ rei apparet molestior onerosiorq;: habitæ verò commoditas suavior & major speratur. Sic enim simul cum necessitatibus commoditates, cupiditatesq; ardentes nectuntur.

B Ex his Conditionibus Divitiarum terrenarum expensis collige quid animi ad eas habere unumquemq; hominum, potissimũ autem Religiosum, conveniat: quove apud illum loco esse debeant. Collige quoquè feliciorem esse animi aspernantis omnia, & nihil, Evangelico more Apostolicoq; possidentis sortem: quam divitum & divitias amantium hominum omnium. Collige tertiò. Quantum boni, Paupertas Religiosa, quæ præsertim Voto firmata, afferat suis sectatoribus & professoribus. Collige C quartò, qua absolutione cordis esse deceat eos qui Religiosam paupertatem profitentur, ab omnibus omninò reculis creatis: quamq; cavere debeant, ne specie minutæ alicujus rei temerè concupitæ, & inordinatè habitæ in eosdem laqueos diaboli aut etiam perniciosiores incidant, in quos incidunt ij, qui in sæculo volunt divites fieri. Extra statum animi tui & an alicui creaturæ adhæserit: amoreq; inordinato implicatus D sit: quem protinus coram Deo erubesce & radicitus cum fibris excute ac evelle. Pudeat (sicut revera incredibiliter pudenda res est) post totius mundi amorem calcatum & perruptum, amore vilissimæ cujuspiam rei ita occupari ac teneri: ut vincto affectu captivus diaboli efficiaris, non absque totius cæli & inferni subsannatione &c.

CAPUT

CAPVT II.

De prærogativis paupertatis Religiosæ.



Rima Prærogativa paupertatis Religiosæ est, esse eradicationem cupiditatis, quæ teste Apostolo, *est radix malorum omnium*, & consequenter paupertas sit extirpatio malorum A omnium. Nec mirum, nam si Divitiæ sunt seminarium cupiditatum, cupiditates autem vitiorum, sequitur, ut dum paupertas abjicit divitias, ejiciat etiam eradicetq; cupiditates, ac per hoc excidat quoq; universa vitia. Magnum certè privilegium paupertatis, quod solus ille novit, qui vitia probè novit & odit.

Secunda Prærogativa. Peupertas est ordi- B ne prima virtus ac beatitudo, Mater & nutrix, generatio & educatio virtutum. Quemadmodum enim terra probe exculta, & purgata à sentibus radicibusq; malis, copiosam simulq; mundam germinat messem frugum bonarum, ita animus pauper, purgatus ab omni amore, proprietate, possessione, caducorum bonorum, ad æterna spiritualia facundissimus efficitur. Deo, nullibi fæcundiùs, copiosiùs, solidiùsq, prove- C nit, omnigenarum virtutum messis, quàm in Domo, & agro & regno paupertatis. Hoc experimento quotidiano discitur, oculis cernitur, digito monstratur.

Tertia Prærogativa. Paupertas Religiosa est æmulatio Paupertatis Angelicæ. Pauperrimi enim sunt Angeli, & ab omnibus possessionibus creatis omninò nudissimi, immò etiam proprietatis earum, Dominijquè fortè incapaces, certè, sine dubio, nullatenus indigentes. Hanc nuditatis An- D gelicæ vestem, Religiosi Voto Paupertatis induunt. Nihil enim vi illius habent, nihil habere possunt, nihil habere volũt proprium: imò tantò, & ex hoc, etiam Angelis paupertate suá feliciores, quòd, cùm natura suá aliquibus indigeant, voluntate tamen sua omnibus careant, & nullam velint: ipsi invincibili necessitati dominantes per hoc, quod solum juri ipsius indulgeant.

Quarta prærogativa. Paupertas Religiosa est expeditio ad viam, ad luctam, ad mortem. Nemo enim ad hæc omnia expeditus magis quàm qui nihil habet. Non habet quippè quo gravetur, ne celeriter currat, quo teneatur, dum in lucta cum dæmone pugnat: quod relinquere doleat, cum moriens in alteram vitam migrat.

Quinta prærogativa. Paupertas Religiosa est mercatura æternæ vitæ: Qui enim reliquerit omnia, & sequatur Christum, vitam æternam possidebit, imò, non possidebit, sed jam statim possidet: quia Beati pauperes spiritu, affectu scilicet & effectu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Nondum est pauper in cælo, & jam habet cælũ; & si nondum adiit possessionem, habet tamen jam possessionem æternæ vitæ, jam habet jus ad Rem: & si nondum in Re. Et evidens ratio est. Venale cælum invenit, deditq; pro eo tantùm quanti æstimatum est, scilicet, omnia quæ habuit, cum haben di desiderijs dereliquit. Iuri etiam renuntiavit, illudq; resignavit: igitur pro sua parte, jam venditori Deo satis fecit, atq; ideò jus plenum & omne, ad cælum habet & ejus est.

Sexta prærogativa. Paupertas Religiosa est feneratio cum Deo, si enim qni miseretur, & partim carptimq; de suis bonis largitur, feneratur is Domino, quantò magis qui omnia relinquit, contemnit pro Deo largiturq; Deo, feneratur eidem. Et feneratores quidem hujus mundi, à suis debitoribus exigunt decem à centum, pauperes autem dum fenerãtur Deo, recipiunt ab eo, pro uno centum, habentq; cautionem ejus hanc: Qui reliquistis omnia, centuplum accipietis. Sciendum autem, quod minimum fenoris expressit Dominus. Nã in veritate, non centuplum, sed centies cẽtuplum solvit pauperibus suis. Dat enim illis se ipsum. & sua omnia secum.

Septima prærogativa. Paupertas Religiosa

est

eſt exceptio & immunitas à foro judicioq; Divino. Quando enim IESUS Chriſtus Filius Hominis ad judicandum orbem terrarum in æquitate venerit, congregabuntur ad eum omnes gentes, & ſeperabit malos de medio juſtorum & ſtatuet hædos à ſiniſtris ſuis, agnos autem à dextris ſuis, & cũ utriſq; rationem ponet, dicens malis: *Ite maledicti in ignem æternum, &c. Eſurivi & non dediſtis mihi manducare, &c.* Bonis verò *Venite Benedicti poſſidete regnum &c. Eſurivi enim & dediſtis mihi &c.* Ad hoc judiciũ Religioſi pauperes non pertinent, nec cum eis Chriſtus rationem eam inibit, quia nec poterit; jam enim illi, in hac adhuc vitâ expunxerunt hoc debitum ſatiſq, fecerunt Deo per omnia ad noviſſimum quadrantem quia reliquerunt omnia, & ſecuti ſunt nudi nudum Dominum. Non ergo erit unde rationem teneantur reddere in iudicio illo, quia hic iam perſolverunt omnia in mundo iſto. Quocirca illi in iudicio non ſtabunt iudicandi, quia nec rei, ſed aſſidebunt Iudici, quia ſecuri, & quo ad nuditatem omnium paupertatemq, ſimiles Iudici. Sicut ergo Iudex, iudicabit non iudicabitur, & ſedebit ſententiamq; feret, ita illi ſedebunt, & iudicabunt cum illo Tribus terræ.

Quocirca quadruplici minimum iure pauperes Religioſi immunes, tunc erunt à iudicio. 1. Quia pauperes erunt, ſicut ipſe Dominus iudicans. 2. Quia pauperes etiam ſunt ſicut Angeli Sancti, qui illi quoquè non iudicabuntur. 3. Quia iam debita omnia perſolverunt creditori Deo, relinquentes omnia propter ipſum, unde non poterit ratio, ab eis exigi quare non paverint, vel paverint Chriſtum. Siquidem omnia reliquerunt propter Chriſtum, factiq, erant minimi, in quibus paſceretur Chriſtus. 4. Quia iam pridem ſolutô pretiô, obtinuerunt & emerunt cælum, unde non habent opus, ut illis adiudicetur tunc, quãdo iam habent conſignatum ex nunc, Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

Octava prærogativa, Paupertas Religioſa eſt ſchola fiduciæ in Deo, atq, obligatio in rem ſuam, Providentiæ Divinæ, Rara virtus inter homines, propter eorum imbecillitatem, & puſillitatem cordis, anguſtiaſq, animi, cæterum non magna, ut pote cuius ad probrum pudoremq, noſtrum, capaces ſunt omnes aliæ creaturæ ratione, ſenſuq, carentes, adeò ut ab his Dominus, nos eam virtutem diſcere iuſſerit. *Reſpicite*, ait, *volatilia cœli, quoniam neq; ſerunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt: non laborant, neq; nent. dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex illis, ſi autem fœnum quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quantò magis vos puſillæ fidei?* Pudere ergo debet hominem, minùs Dei providentiæ confidere, quàm confidit paſſer aut lilium.

Sed maximè pauperes Religioſi ſuo ſtatui faciunt iniuriam, ſi in Deo non collocant fiduciam. nam hi maximè ſtatus ſui peculiari iure ac beneficio obligatam habent Divinam Providentiam. Aliæ enim creaturæ, ob ſolam creationem, qua acceperunt eſſe à Deo, exigunt etiam conſervationem ſui ab ipſo, ſine quâ permanere in accepto eſſe non poſſunt; at Religioſi præter hoc, alio graviori obſtrictum habent Deum iure, Iure ſcilicet pacti, & contractus atquè fidei. Reliquerunt enim omnia bona propter Deum, & omnem ſibi viam ad ea præcluſerunt, incapaceſq; ſe eorum reddiderunt. tantùm de Divina circa ſe cura & ſolicitudine, quam etiam propter hoc Deus illis obligavit, centuplumq; etiam, ſeu centies tantum, eis adpromiſit confiſi. Non poteſt ergo Deus ſalva fidelitate ſua, & quæ à creatura vinci non ſinit, non gerere curam Religioſorum.

Quare ſi Religioſi habentes Deum ita ſibi obligatum, in ſtatu ſuo, Magiſtra paupertate, fiduciam non diſcunt in Deum, nequè providentia illius totâ & plenâ ſecuritate inniruntur, indigni ſunt ſua ſorte, & fortunæ ſuæ non tantum ingrati, ſed etiam ignari, aut certè tam ingrati quàm ignari ſunt. Neq; alia eſſe cenſenda eſt cauſa, ob quam Religioſi minus propitiam ſolicitamq; ſui providentiam Dei experiuntur, præter hanc quia illi minus fidentes & innitentes, in ſui ſe curam ingerunt. & ſoliciti rerum ſuarum temporalium, neceſſitatumq; externarum ſunt. Etenim tantùm à ſe Dei curam repellunt, quantam ſui curam ipſi gerunt, abſolvuntq; Deum à ſervanda fide, quando ipſi non ſervant datam Deo fidem.

Nona prærogativa, Paupertas eſt naturalis hereditas Regni cæleſtis. Cum enim

non sint in mundo, nisi tria, Deus, anima, & homo pauper, hoc ipso quod quis voluntariè fit pauper, à creaturisq; nudus nullam sibi hereditatem relinquit præter Deum, quod tantò magis verum & necessarium fit, quanto paupertatem spontaneam propter Deum amore, inquam, solius Dei obtinendi amplectitur. Atq; si Deus, olim Levitas (quãquam minus sponte sua id cogitantes volentesvè) noluit inter fratres suos filiosuè Israel, habere possessionem in terra promissionis, ob id se unum & solum eorum hereditatem fecit, quantò certiùs id facit Deus seq; in hereditatem naturali ac velut necessario jure cõsignat Religiosis, qui sponte sua propter Deum pauperes esse, omnibusq; creaturis carere deligunt.

Accedit quod cum non minus Auctor naturæ, quàm natura fugiat vacuum, ubi primum aliquod cor invenerit vacuum à possessione amoreq; omnis creaturæ, illico illud se ipso implet, eiq; se in possessionem connaturaliter tradit. Advertendum tamen hoc loco est, Deum, non se ulli cordi dare in hereditatem, nisi priùs, illud sit planè ab omni re creata exinanitum. Non dignatur enim, nec potest Deus esse hereditas cordis simul cum amore alicujus creatæ possessionis. Sive ergo parva, sive magnã re vacuus sit necesse is animus, qui Deum hereditare desiderat.

Decima prærogativa, Paupertas Religiosa est fæcunditas & efficacia tum Orationis ad Deum, tum prædicationis ad populum. Nemo habet copiosiorem causam, tum postulandi, tum impetrandi à Deo, quàm pau per verus, nemo habet commodiorem facultatem contemplandi divina quam pau-
A per & ab omni re creata nudatus. Nullius in ore facundiùs, quàm in pauperis prædicatoris est verbum. Paupertas facit liberam prædicationem, reddit etiam securam & de fide non suspectam. Ideo paupertas, fundavit, dilatavit, immò & ditavit Ecclesiam. Ecclesia ut perseveret in veritate, in incremento, paupertas facit. Condimentum ergo Orationis paupertas: Confirmatio & persuasio prædicationis est paupertas. Nam si Apostoli centum mortu-
B os suscitassent, tamen nunquam fidem in Christum persuasissent. nisi pauperes fuissent, & omnia mundi bona, pecunias, honoresq; contempsissent.

Vndecima prærogativa. Paupertas Religiosa non est virtus, sed ejus amor & cultus & observatio. Vivere enim & profiteri paupertatem, non autem amare, neq; cum amore expetere expeririq; onera seu pigno-
C ra illius propter Christum, non est paupertas sed larva, sed titulus, sed cadaver paupertatis, quod vermem impatientiæ tristitiæ, murmurationum, solicitudinum aliorumq; vitiorum, saniem ac tabem nutrit & scaturit.



CA-

CAPVT III.

De multiplici paupertate, & de integritate paupertatis Religiosæ atq; Spiritus.

§ I. PAupertas Religiosa est virtus qua quis voluntariè propter Dei amorem expeditioremq; ejus cultũ, necnon Christi imitationem, omnia bona creata terrena, contemnit abijcitq; solo usu rerum necessariarum retento, idq; cum dependentia ab arbitrio Superioris, confirmans hanc abjectionem rerum omnium, Voto, juxta mentem Religionis. Expende hujus definitionis verba singula ut cognoscas naturam substantiamq; omnem paupertatis Religiosæ. Non enim quælibet paupertas est virtus, nec est quælibet paupertas Religiosa, sed ea quæ in se omnes hic expositas conditiones complectitur.

§ II. Religiosa paupertas est duplex: est alia nempè communis & totius Religionis: alia particularis, & personarum alicujus Religionis propria, Communis est duplex, una quæ in communi habet bona & possessiones, ex quibus sustentat filios suos, privatim & seorsim nihil habentes, ut ij, nullis de necessitatibus curis impliciti expediti sint ad vacandum Deo & obeundum officia instituto suo competentia. Alia est, quæ etiam in communi nullas habet possessiones certas, sed mendicato vivit, quod ipsum variè fieri potest, vel enim ita quotidiè mendicat, ut in sequentem diem nihil de mendicato hodie victu reservet, vel reservat aliquid etiam ad longius tempus: Rursus vel ita nihil habet in cõmuni, ut ne domum quidem aut Ecclesiam aut supellectilem propriam habeat, vel ita, ut tamen prædictorum, Dominium commune aliquod retineat &c.

Quæ varietas ex eo nascitur: quia quædam Religiones paupertatem suam ex ejus perfecto rigore metiuntur, quædam verò ex commoditate ejusdem ad finem sibi intentum perfectionem ejus desumunt. Et quidem Societas IESU utrumq; paupertatis communis genus complexa est: ita ut in domibus Professorum, Societas nullos omnino reditus, nullasq; possessiones certas possideat, in domibus verò Probationis & Collegijs reditus habeat & possessiones: quia nempè & illud professorum circa proximos laborantium libertati magis expedit, & hoc eorum qui in spiritu literisque formantur, occupationibus, laboribus accommodatus est. Nam neq; operantes in vinea Domini expedit curis redituum distineri, neq; instrumenta zeli sibi per studia Spiritus literarumq;, procurantibus, commodum est, quotidiana mendicatione à studiis abstrahi.

A

§ III. Paupertas Religiosa particularium Personarum est ea, quæ præcipuè in principio capitis hujus est definita; quæ scilicet per Votum Religiosum renuntiat dominio & proprietati rerum omnium, vel absolutè, ut fit per Votum Paupertatis solemne, vel saltim impeditè, quoad usum dominij independentem à nutu consilioq; superiorum, ut fit per Votum paupertatis simplex. Hæc personalis ac particularis paupertas, alia est rerum, alia spiritus, quamlem utramq; debet complecti paupertas Religiosa, alioqui una sine altera, paupertas quidem erit, sed Religiosa non erit. Nam paupertas rerum sine paupertate Spiritus, est talis, qualis est medicorum vulgarium, qui etsi re ipsâ nihil habeant, cupiditate tamen,multa habent, atq; ita re ispa pauperes sunt, sed spiritu & animo non sunt. Cadaver paupertatis habent, anima autem ejus carent. Onus paupertatis portant, beatitudinem illius non habent, quoniam Christus non dixit simpliciter: *Beati pauperes &c. quoniam ipsorum est &.* sed adjecit, *Beati pauperes spiritu*, (id est, re & amore onus paupertatis cum amore portantes & hilaritate) *quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

B

C

D

 Vera

Vera igitur & plena paupertas Religiosa consistit in duobus his nempè, ut quis nihil omninò proprium sine facultate Superiorũ, sine necessitate congrua habeat: & ut hoc nihil habere hujusmodi, amet, libẽter hilariterq; toleret, immo ambitiosè quærat illud ac consectetur: habens in hoc solatium, si nihil suum, nihil superfluum, nihil nisi purè necessarium, nihil pretiosũ ac splendidum, in rebus sibi ad usum concessis obtineat, immo hoc etiam quærens ut careat necessariis, gaudens etiam, si careat. Hæc est enim demum integra, & omnibus numeris absoluta paupertas Religiosa, sive paupertas spiritûs Carere enim & non amare, est habere Corpus paupertatis sine anima ejus, amare autem paupertatem, sed nullius rei defectum pati velle aut posse, est habere animã paupertatis absq; ejus corpore; Egere propter Christum hoc est totum & integrum compositum paupertatis. Vide igitur te ipsum in hac parte, & vide quousq; in Voti paupertatis integritate prosequenda deveneris. Vide ut totum omninò quicquid possidere possis relinquas. Non dico, nec dicit Evangelium Christi, ut relinquas multa, ut relinquas pauca, ut pretiosa, ut vilia, ut plurima, ut aliqua, sed dicit, ut relinquas omnia; ut renunties omnibus, nihil omnino parvum magnumve retinens, nihil reservans, nihil cupiens. Gemma enim pretiosa, & regni cælestis thesaurus tanti æstimatur, nempè, ut quisquis eo potiri velit, omnia ex integro derelinquat, qui vel minimum aliquid retinuit, nihil is dedit, ac proinde etiam nihil emit, quod non totum, non omnia dedit. Et Senatorem perdidit, & Monachum non fecit, & terram amisit, & cælum non obtinuit, quia magnum affectum, nimiumq; amorem, quem à magnis rebus avellere potuit à pauculis & minutulis avellere, nequivit, vel noluit, sed earum mancipium esse prælegit: propterq; illas possidendas, Deum & Christum sibi deserendum esse non dubitavit.



CAPVT IV.

De hostibus paupertatis Religiosæ.

§ I. Sciendum est Paupertatem Religiosã potissimùm cum Dominio & possessione alicujus rei creatæ externæ, pugnare Hic siquidem proprius & præcipuus est paupertatis hostis, habere aliquid proprium vel tanquam propriũ Vnde, qui paupertatem Christi, ac Religiosam sectari volunt, omnium rerum à se Dominium, & proprietatem amovere debent. Sed quia homines quamdiu in hac vita vivunt necessarias habent creaturas, quibus vitam suam mortalem usq; ad mortem (cujus tempus in manu Dei est, & à voluntate Divina præfinitur) tueantur, ideo non possunt, ac neq, tenentur, ita renuntiare, seq; omnibus rebus spoliare atq; privare, ut nullam omnino ullatenus retineant (ad hoc enim opus esset de hoc mundo exire & à vita deficere) sed coguntur omninò aliquas res habere, quarum usu & fructu vitam suam conservent, juxta sui status & muneris varias conditiones, & valetudinis circumstantias.

In hac porro habitatione ac retentione atq, usu rerum aliquarum necessariarum ac necessariò habendarum, immo in ipsa necessitate, non desunt laquei animarum Religiosam paupertatẽ sectantium, nec desunt hostes Religiosæ paupertatis. Etenim cum necessitate, subintrat, sæpè superfluitas, sæpè propria voluntas. Cum usu quoquè necessariæ rei conjungitur sæpè, nimius affectus, inordinatus appetitus, & adglutinata cordis adhæsio, aut independens usurpatio, &c. Interest ergo per multum, ut Religiosus homo postea quàm se per Religiosam paupertatem, Votumq; ejus, omni proprie-

proprietate ac Dominio privavit, diligenter videat, ne in usu & necessitate laqueum inveniat, ac capiatur à sua cupiditate, involuaturq; seu proprietati, seu superfluitati, seu propriæ suæ in usu rerum voluntati, vel independenti earum acquisitioni, usurpationiq; vel nimio ad eas acquirendas, sive retinendas affectui, quibus rebus fieret, ut non levia vulnera suæ paupertati Votovè infligeret, sed plurimum à perfectione Religiosæ nuditatis recederet.

§ II. Non solum proprietas, est hostis paupertatis, sed etiam superfluitas, ut numero primo innotuit, & ex vi nominis ipsius paupertatis facilè colligere est. In rei veritate enim, nullo modo pauper dici verè potest, qui etsi nihil proprium habet, habet tamen aliquid superfluum, esto sibi ab alio concessum & habere permissum. Permissio enim illa superioris, non facit, ut ex superfluo evadat aliquid non superfluum, sed ut id quod superfluum est, manetquè, non habeatur superiore invito & contra obedientiam & sine depenpentia quæ ratio alia longè est, à superfluitate, quocirca, per habendo facultatem, non excusatur Religiosus ab hoc vitio superfluitatis, sed videri debet ne sibi facultas data sit à superiore, non tam libenter, quàm reverenter potiùs, eam scilicet ob causam, quod metueret fragilitati subditi, & ne cupiditate victus retineret superfluam rem invito aut clam superiore, quæ major esset ruina subditi, cui præcavendo maluit superior pati superfluitatem, quàm inobedientiam aut proprietatem.

Debet ergo Religiosus cavere à superfluitate, & in hac parte esse potiùs rigidior quam solutior, attendendo ad naturam instituti sui & Regularum suarum, & praxim timoratorum in Religione sua, & ad superiorum communitatisq; quoad hoc reclamationem, vel concessionem praximq; receptam. Certè Religiosi Voti, cum tenera conscientia Religiosæ personæ conjuncti, ea est teneritudo, ut ad exiles gratiæ Divinæ motiones, penè assiduè soleat experiri impulsus internos ad renuntiandum his talibus superfluitatibus, quod est signum non leve, Deo nostræ perfectionis zelatori, puritatisq; cordium quæsitori, non placere has rerum superfluarum retentiones. Vide ergo in omnibus reculis tuis, quarum usum habes concessum ab obedientia, num quidpiam sit quô commodè carere possis, & quod non absq; reprehensione cordis de superfluitate retineas.

§ III. Insuper paupertatis Religiosæ, est quoq; hostis, nec minimus, nec infrequens, independentia, quæ in usu admitti solet, & ferè cùm Dominio ac proprietate coincidit, ut proinde facilè pateat, quantopere caveri à Religiosis bonis debeat. A Nequè velim hoc loco Religiosum diligenter examinare, atq; ad calculos revocare, quæ independentia, & quando & in quo casu, & in quanta materia sit mortale aut veniale peccatum. Talis enim indagatio & subtilitas solicita, perfectionis & teneræ conscientiæ, imprimisq; Dei amatori, minimè quadrat. Satis enim est amanti Deum strenuè, audire hoc aut illud esse imperfectionem, Deoq; minus placere, satis, inquam, est ut fugiat & caveat, & ab animo suo excutiat, tanto conatu, quantò excutere B tenetur sæcularis, cum aliquam mortalem noxam esse audit. Quare & Religiosus independentiam omnem in usu rerum, & in omni paupertatis materia diligenter fugiat. sufficere illi deberet hoc unum, quod displiceat Deo, repugnet Voti paupertatis puritati, & perfectionem pulchritudinemquè mentis ac virtutis deturpet & labefactet. Hujus porro independentiæ crebrũ esse usum inter Religiosos posse, multiplices ejus actus, sive gradus, ostendunt, quos C agnoscere & expendere paupertatis zelatori expedit.

§ IV. Porro multiplices sunt actus gradusq; independentiæ, puritati Paupertatis Religiosæ repugnantes.

Primus est habere aliquam rem sine scitu & facultate superioris.

2dus. est habere aliquid contra ejusdem voluntatem cognitam & expressam, aut etiam conjectura præsumptam.

3tius. habere aliquid quod tibi auferri per superiorem nolis, timeas, ægrè feras, D turberis, murmures, expostules, repugnes. Hæc omnia maximè manifestant, tum proprietatis affectũ, tum nimiam adhæsionẽ, tum independentiam, in quibus omnibus, est vulnus, immò mors ipsa paupertatis Religiosæ. Atq; ea tantò habet plus indignitatis, quantò in minoris pretij momentiq; rebus invenitur, ad pretiosa enim affici utcunq; tolerabile est, sed ad viliora adhærescere & adglutinari, nemo prudens ferat, & ipsis dæmoniis ridiculum est.

4tus.

4tus. est dare. donare, dispensare, distribuere, mutuo dare, aut accipere aliquid alicui sine licentia contra voluntatem, aut præter voluntatem superioris Hæc enim agendi ratio sapit proprietatem, & vel supponit, vel usurpat exercetq; Dominium rerum, cujus in Religioso post Votum emissum est incapacitas, Voto enim paupertatis Religiosus renuntiat, tum Dominio rerum quas habuit habereve potuit, tum desiderio eas habendi, tum usui rerum independenti ac pro libitu arbitratuq; suo.

5tus. est male tractare, negligenterq; cōservare res paupertatis & communitatis, sive sint Religioso datæ ad usum ejus, sive sint concreditæ custodiæ procurationiquè ejus: sive sint acquisitæ industria laboreq; ejus, sive sint donatæ ab aliquo, respectu & personæ ipsius. Omnes siquidem res hujusmodi sunt patrimonium Christi, pretiū sanguinis ejus, sunt communes & omnium qui domi sunt, & nullo modo unius solius, aut plus unius quàm alterius: proinde qui eas sibi usurpat soli, vel male tractat aut procurat, peculatus crimen & sacrilegij committit, in omnes est injurius, omnibus se unum præfert, Infidelis est communitati & Deo, proprietarius est, exercetq; actum proprietatis, quia rem communem tractat, velut suam propriam & pro suo arbitratu, & non secundum mentem voluntatemquè Præpositi, quæ est caput, custos, mens, interpresq; mentis communis, atq; ita incidit in defectum independentiæ.

Quæ mala omnia, tum etiam multò magis multoq; evidentiùs & gratiùs admittit Religiosus, quando illa admittit eo prætextu, quod suo vel labore industriaq; aliquid acquisiverit, vel respectu suæ personæ oblatū sit. Hoc enim fundamentum evidenter fundat Dominium & proprietatem, directè Voto Paupertatis repugnantem, ex vi cujus ita Religiosus privatur capacitate Dominij & proprietatis, & independentis usus, ut quicquid quocunq; modo acquirit, **A** id non sibi privatim acquirat, acquirereve possit, sed ordini & communitati, nullo alio ad ipsum acquirentem jure refluente, nisi quod in omnes alios, qui nihil contulerunt ad rem acquisitam refluxis, quia scilicet potest re acquisita uti si annuat Superior, non potest autem si renuat.

6tus. est, ægrè, difficulter, repugnanterquè petere facultatem, pro his vel illis, parvis, magnisq; rebus, habendis, utendis, **B** dandis. Ab hac enim repugnantia poscendæ licentiæ pronum est usurpare absq; licētia. Hæc quoq; repugnantia, manat ab amore proprio multiplici, in specie autem à metu confusionis: quia scilicet erubescit quis petitionem licentiæ tanquam se indignam & dedecentem, quia scilicet, timet negari sibi & confundi negatione, timet etiam imaginariam censuram superioris, **C** inde aut mavult carere, quàm licentiam poscere, aut quod pejus est, mavult sine licentia, clam habere, procurareq; cupit, aut generalem licentiam poscit, nè sæpiùs recurrat, aut involutè & non rotundè, neq, confidenter licentiam poscit, & occasiones venatur, quibus commodè vel cum prætensa excusatione, vel ab alio superiore licētiam obtineat. Hæc omnia sine dubio amatorem sui nimium declarant, & impurum **D** paupertatis Religiosæ cultum ostendunt, & indicatam independentiam paupertati veræ inimicam manifestant. Verè enim pauperi, paupertatemq; suam agnoscenti & amanti, & maximè, proprium est mendicare & indigentiam suam profiteri, atq; ab alieno nutu ejus remedia postulare, atquè exspectare.



CAPVT V.

De alijs quibusdam hostibus paupertatis Religiosæ.

§ I. INter Hostes Paupertatis numeratur etiam solicitudo, quâ quis solicitus est de suis necessitatibus, deq; evitatione Indigentiæ quæ est individuus Comes paupertatis, nam pauperem esse professione, & nulla re indigere, sed omnibus necessariis abundare, nimis delicatam paupertatem, immò magnam opulentiam designat. Certè etiam opulentos benèq; divites homines sæpissimè contingit, carere iis, quibus opus habent. Si igitur professus paupertatem, nullâ re necessaria egere vult, aut potest unquam, is sine dubio ditior esse divitibus cognoscitur, & nomine quamvis sit pauper, Votó tamen animi, & re ipsa dives est. Verus ergo paupertatis amator, indigere etiam debet, & indigentiam amare, neq; ea cruciari, neq; de sufficientia solicitus esse, loquendo de solicitudine, quæ debitam mensuram excedat, & ordinem, atq; receptum morem, quæ pacem mentis tollat, quæ alios offendat, quæ sit impedimentum in Dei servitio, quæ molestiam Superioribus violentiam statutis creet.

§ II. Solicitudo hæc nimia paupertati Religiosæ inimica, in quinq; potissimum rebus solet discerni 1. In solicitudine de cibo & potu 2. In solicitudine de vestitu. 3. In solicitudine de lecto. 4. In solicitudine de domicilio, vel manendi loco, cubiculo, 5 In solicitudine de supellectili. Addi etiam potest solicitudo de Officio & occupatione, verum hoc ad inobedientiam potiùs pertinet & irresignationem. Dedecet Paupertatis Professorem cogitare, multòq; magis anxium esse, de cibo, potu, vestitu, lecto, supellectili: maximè verò dedecet ita solicitum esse, ut sit etiam curiosus, splendidus, superfluus, delicatus, extraodinarius &c. Tali Religioso occini potest & debet illud S. Pauli, an confunditis eos qui hæc non habent?

In hac solicitudine innumeræ sunt imperfectiones. Est enim superbia, amor
A proprius, gula, luxus, avaritia, scandalum, & contristatio perturbatioq; aliorum, murmurationes, sumptus, dispensationes, invidia, zelus, contentio, irrisiones, sarcasmi, sugillationes, jactura disciplinæ ruina ordinis, & alia plurima mala, quæ sub prætextu aliquando necessitatis, aliquando æmulationis ac paritatis, aliquando laborum præsentium, præteritorum, futurorum sese palliare solent, & ad indignissimas agendi ra-
B tiones Religiosum injiciunt.

Verus Religiosæ paupertatis sectator & zelator voti sui, omnem solicitudinem hâc amputabit, & amovebit à se, projcietq; in eum cui cura est de ipso, in Deum scilicet, Deiq; Vicarium, ejusq; suavissimam Providentiam, cujus filij atq; infantuli lactentes sunt omnes Religiosi, & qui omnem solicitudinem hujus modi Religiosis servisq; sibi devotis aversatur, amat autem si
C negligentes sui ipsorum, toti, securè, in Divina & suavissima sua cura conquiescant; quod non faciunt, qui sibi res suas solicitè provident, curant, exigunt, desiderant, cōservantq;, potiùs enim suæ providentiæ quàm Divinæ innituntur, quô etiam fit, ut ab ea vicissim deserantur relinquanturquè, sibimet ipsis & sterilitati suæ ex qua metūt inquietudinem amaritudinem cordisq; spi-
D nas implicatas, nec ullo fine terminatas.

§ III. Solicitudo hæc nimia & Religiosæ paupertati inimica, adhuc variè potest soletq; exerceri. Est enim solicitudo habendi, quicquid illud sit, modo solicitudo sit, quæ se prodit frequenti cogitatione, modorum & mediorum inquisitione, cum aliis collocutione, inquietudine, tædio, suspiciositate, metu, industriarum aperta vel dissimulante adhibitione, dummodo optata re potiaris; esto etiam potiri illa noxa non sit, si solicitudo hujusmodi abesset. Est

Est etiam solicitudo non egendi, cujus est Comes tristitia, impatientia, dolor cordis, & pusillitas animi, angustia mentis, idque sive id quo egere contingit vel nollemus, sit necessarium sive superfluum. Nihil enim attinet de qua re sit, modo solicitudinis culpa adsit, quæ paupertati genuinæ vitium faciat, quamvis sine dubio pejor sit solicitudo, ne egeas superfluo quàm necessario: hæc enim fragilitatem tantùm notat, illa verò effrenem cupiditatem manifestat; proinde est solicitudo non tantùm excludens indigentiam, sed etiam adducẽs abundantiam immo & redundantiam.

Est præterea solicitudo æmulandi & exæquandi alios, quos si videas abundare, vel saltem non egere; quandoq; etiam eos quos videas superflua habere. Ex hoc enim aspectu in male fundatis, & non strenuè ad paupertatem affectis, nascitur quædam invidia, saltem ægrimonia aut pudor, quod tu non perinde abundes ut alij: quasi & tu vel non sis tanti, vel non ita meritus, vel non eo domi loco, unde acuitur zelus & cupido, ardet æmulatio, stimulatur industria, excogitantur modi mediaq;, adhibeturq; in praxi, nec quiescitur nisi æqualitas obtineatur, aut etiam transcendatur. In quo, si impedimentum vel impotentia interveniat, tum ignis invidiæ, tum murmurationes, tum obtrectationes tum querelæ de inæqualitate, cum sui suorumq; laborum aggravationes, aliorum laborum, meritorum, necessitatũque depressiones, innumeraq; alia mala paupertati inimica disciplinæ noxia, pacis venena, caritatis pestes, Religionis ruinæ consurgunt.

Est præterea solicitudo delectabilium, mollium, pretiosorum, meliorum, extraordinariorum. In unum hæc omnia fascem compingo, et si meditatione separanda sint, & reflexione supra se à meditante discernenda, emendãda, ac fugienda, si verus Reliiogsæ paupertatis cultor professorque esse vult.

Est insuper solicitudo conservandi, cum superstitiosè, cum clancularie res conservat quis, nolens ijs privari, nolens eas vel corrumpi, vel maculari, vel obvias esse; quod non ex toto nec manifestè vitiosum est, est tamen quando nimium est, est etiã quando cum impertinenti discrimine est, quando, scilicet, communia quidem negligenter tractamus, nostra autem, & potissimùm à nobis procurata, nostris usibus servientia diligentius longè servamus, quando communi usui viliora, nostro autem privato potiora diligimus, quando communitatem carere, nos autem eadem re potiri volumus. Cum tamen omnium sensu, etiam barbarorum, communia præponderent privatis semper. Quod maximè in

A Religionibus esse convenit, ubi omnia sunt Communia, & ubi omnium Dominus Possessorq; est communitas: Privatorum autẽ nullus, nulliusq; rei potestatem habet, nisi quoad usum solum, eumq; ipsum communitati subordinatum & voluntati ejus, qui est caput communitatis subjectum.

Est deniq; etiam solicitudo retinendi cũ difficultate alijs communicandi & mutuò dandi.

Est etiam solicitudo recuperandi; ut, cũ mutuò datis ægrè & cum tædio caremus,

B citoq; & importunè & absq; nostra necessitate, sed tantum ut penes nos sit repetimus. Est etiam solicitudo præveniendi, cum primi volumus commoditates habere, nobisque offerri, etiam necessarias: cum inquietè & indignè ferimus, non cum aliis, non ante alios, nobis esse oblatas.

Hæc similiaq; solicitudinum genera paupertati Religiosæ sunt nociva, & præterea alijs plurimis scatet imperfectionibus. Vera paupertas solicitudinem hanc ignorat. Propterea enim principaliter paupertatem

C & Christus instituit verbo simul & exemplo, & fideles ejus acceptare debent solentque, ut absq; solicitudine, & impedimento curarum terrenarum, uni soliq; Deo libere vacare possint. Si ergo ex paupertatis professione solicitudinum tantus grex enascatur, quando, quæso hæc vera & Christiana paupertas dici esseq; potest? Errant sanè, & naturam paupertatis partim destruunt, partim ignorant, qui se istis superfluis, & quandoq; etiam superfluorum & vilissimorum curis solicitudinibusq; impli-

D cant & intricant Non amant isti pacem cordis & libertatem expeditionemq; mentis in servitio Dei, trahunt jugum instar infidelium & sæcularium non fidunt, nec se permittunt Providentiæ Dei, neq; cura illius sunt contenti, & quo Sapientia Dei voluntasq; judicavit ac voluit eos merito debere posseq; esse contentos, de hoc illi secùs judicant, decernuntq; sibi minimè satis fieri, minime satis provideri. Quod, quan-

quantas redoleat iniquitates, videat quisq; Religiosorum &c. Omnibus sit illa Regula Apostolica, in corde semper defixa, & in Praxi usurpata: *Omnem solicitudinem proiicientes in eum, quia ipsi est cura de vobis.*

CAPVT VI.

De varijs paupertatis Religiosæ Comitibus, seu proprietatibus.

I. Considera multiplices Paupertatis Religiosæ Comites. Quos omnes Paupertas sancta secum libenter habet, ac sine illis non libenter versatur inveniturq;, ut proinde etiam, professus paupertatem ejusq; verum amorem, non debeat ejus Comitum apud se commorationem excludere sed potiùs obviis ut ajunt manibus excipere & amplexari.

Primus ergo Paupertatis Comes est facultas & concessio Superioris, sine qua nihil prorsus Religiosus debet habere penes se, neq; palam, neq; clam, tam pro se quam pro aliis, atq; etiam apud alium. Quia enim Religiosus post Votum omni jure spoliatus est ad omnia temporalia, jure inquã proprietatis seu dominij quàm etiam usûs, inde fit ut nihil habere possit tanquam proprium, nulla etiam re uti, nisi ex alieno concessu, nempe Superioris, cujus est, determinare omne id, quo Religiosus uti debet, & ubi, & quamdiu &c. semperq; habet in sua potestate, immutare, & auferre Religioso subdito, cui nihil debetur definitè, ne quidem necessariorum, sed tantùm indefinitè, & cum dependentia Prælati.

Secundus Comes Paupertatis communitas, non tantùm quo excluditur proprietas, sed etiam qua singularitas tollitur, ut scilicet Religiosus & nihil habeat privatũ atq; proprium, & nihil non tale, quale communiter omnes habere in sua congregatione solent, sive in victu, sive in vestitu, sive in supellectili.

Tertius Comes Paupertatis est asperitas ut mollitus omnis absit à cultu Religiosi hominis, Ecce enim qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt, non in domibus Christi pauperum, Magnum discrimen est, inter divites & pauperes, atq; si
A pauperes mollibus delicatisq; utuntur falso usurpant nomen pauperum, cùm in censum numerumq; Divitum transierint.

Quartus Comes Paupertatis, vilitas seu humilitas seu contemptus. Debent enim res in Religiosi usu positæ esse viles & humilitati congruæ & contemptori mundi, atq; sui competentes. Tales esse debent, quæ etiamsi sint ex genere earum, quibus
B omnes communiter utuntur, sint tamen viliores & postremæ earum ita ut meliores aliis, mihi viliores, atq; & aliorum usu rejectæ obveniant, velut hereditas paupertatis, Hoc sibi voluit S. Pater noster, cum in Regula Summarij præscripsit ut sibi quisq; persuadeat, quod, quæ vilissima ex his erunt domi, ipsis dabuntur. Et addit fructum usumq; ejus rei, propter majorem ipsius abnegationem: nec desunt alij fru-
C ctus. Ex hoc enim viliorum delectu fit, ut minimi effectus inordinati periculo, talia quærantur possideanturq; sine invidia etiã, immo cum ædificatione aliorum, parvo & nullo sumptu & labore obtineantur, sine dolore etiam perdantur, vel tollãtur. Nec obest, propter talium usum rerum viliorũ, ab alijs quà domesticis, quà externis contemptibilis reputabor, id enim lucrum est, id paupertatis etiam proprium, ut apud se-
D culariter sapientes contemptui sit. Contemni ergo propter insignia paupertatis, honor & corona est amatoris & Professoris paupertatis, ita ut paupertatis gratia contemni, eidem lucrum sit.

Quintus Comes Paupertatis Parsimonia aut etiam parcitas, & strictior necessitas. Resecat paupertas, superflua, resecat minus necessaria, gaudet etiam defectu necessariorum, contenta illis solis si adsint, etsi parciùs, etsi cum vilitate adsint. In quo ipso, judicium nutumq; superioris exspectat, ut vel habeat, vel careat, vel habita demittat. Hanc tamen Parsimoniam rigorosiorem, paupertatis amator, in se tantùm exercet; nam aliorum compassione movetur, indulgentior est, remittit meliora & copiosiora ad alios, cupit & gaudet aliis obvenire, tanquam, suô judiciô dignioribus optat, etiam de suo detrahi, ut aliis commodius sit.

Sextus Comes Paupertatis est Indigentia etiam necessariorũ, & ea quidem, tum acceptata, dum sponte se offerunt, tum etiam ultro quæsita & advocata, amore Christi Pauperis, amore S. Paupertatis. P. Balthasar Alvarez ajebat, Eum non amare paupertatem, qui non amaret quatuor ejus individuos Comites, scilicet famem, sitim, frigus, contemptum, addere poterat incõmoditatem omnem & indigentiam. Addebat autem insuper vir Sanctus, vanam esse illius Religionem qui amarum paupertatis bolum suaviter deglutire non possit.

Septimus Comes paupertatis est decentia cum modestia. Est quidem superfluum in paupertate munditiem quærere ut ajebat S. Hilarion apud S. Hieronymum, hoc tamen ajebat intelligendum esse, de exquisita munditie, & exquisito nitore alioquin, non insipienter etiam sensit S. Bernardus, qui paupertatem amabat, sordes non amare se profitebatur. Et revera talis paupertas esse debet in domo Dei, in domibus viventium in communitate quæ habeat, decentiam, honestatem, modestiam, ordinem. Omnia in vobis honestè & ordinatè fiant. Religiosus ergo & omnia quibus utitur, decenter munda compositaq; habebit, in vestitu cubiculo & ubiq; alias, & quibus non utitur ipse, sed communi usui deserviunt, quoad in se erit, cum decentia conservabit, ut durare in annos, & ad posteros possint, quodsi durare non debeant, tamen cum moderamine convenieñti, civiliterq; absumi oportet, & quamdiu usus eorum aliquis esse possit, tamdiu sit & super sit.

Octavus Comes paupertatis est æquanimitas & contentatio de omni eo, quod accidit & offertur à paupertate Religiosa domestica, sive sit defectus, sive vilitas, sive tarditas, sive perfunctorius apparatus, sive difficultas & tergiversatio, sive negatio absoluta, sive exprobratio morosa & amara, sive calculatio & appretiatio atq; exagge-
A ratio, sive sugillatio. Verus Pauper hæc omnia devorat, tanquam bolum sine ullo esse, occinens illud sibi in occasione. Hoc scilicet est esse pauperem, hoc est ingeniũ Matris meæ Paupertatis &c. Ad eandem contentationem spectat, non facilè prosilire ad mutationes eorum, quæ alicubi inveneris, aut quò veneris, sed ferre quoad potes commodè, dispositionem, ordinem, commoditatem, qualitatem rerum; nec omnia fastidire, aut sus deq; vertere, efferre,
B refigere, mutare, quæ alteri benè serviebãt, & ex usu erant quæq; alius visus est benè ordinasse, disposuisse, excogitasse. Est enim hoc modestiæ & prudentiæ: datur aliquid in hoc caritati & honori Antecessorum, parcitur sumptui superfluo: tollitur Novitatis species, vitatur jactura veterum rerum, damnumq; ab ea nasciturum. Non datur amori propriò judicio sensuiq; locus. deniq; non quæritur quod suum est, sed quod alterius, neq; abundatur in proprio
C sensu. Quin etiam verecundia exercetur in hac contentatione. Est autem verecũdia isthæc, quæ sumptibus parcit sui causa faciendis, quæq; non vult esse molesta & importuna in postulando & immutando, una ex Comitibus Paupertatis Religiosæ, discretioq; nominatur.

Nonus Comes Paupertatis est in supradictis omnibus hilaritas & amæna lætitia, lætaq; amænitas, ut scilicet in Paupertate paupertas ametur, & paupertatis inopia hilariter sustineatur. Est enim ut supra retuli
D vana (aut si non vana saltem gravis & amara & fastidiosa) illius Religio, qui amarum Paupertatis bolum suaviter glutire non potest. S. Franciscus Borgia in omnibus incommodis indigẽtiis & injuriis, unde unde provenieñtibus dicere solebat, quam belle amici nostri, (Comites scilicet Paupertatis, & ærumnæ indigentiarum) adjuvant nos. Hilarem ergo esse oportet Paupertatis amatorem, in quolibet Paupertatis experimento talem enim pauperem diligit

Deus, & talis est verè spiritu pauper. Neq; etiam aliter affectum esse convenit filium S. Paupertatis. Amant enim filii munuscula Matrum & imaginibus illius arridēt atq; delectantur.

A Hos Comites Paupertatis omnes expende, & quantum eo tu quoq; comitatu delecteris, etiam atq; etiam dispice, concipe inflammata desideria ejus, & cum omni ratione atq; sumptu studioq; tibi adjungere allabora. Tantum enim aberis à Paupere vero, à Paupertatis Christi sectatore, quantum tibi de hoc comitatu deesse adverteris. Erubesce te tam pridem paupertatem complexum, immo etiam professum, necdum tamen ad intimum ejus gustum, complexum, convictumq; & amorem, propter tuam ignaviam devenisse. Excute hanc cæcitatem mentis, excute ignaviam, & pleno corde plenam paupertatis possessionem hæreditatemq; occupa.

CAPVT VII.

De Portis quibus laxitas Paupertatis in Religionem subintrat.

§ I. PRima Porta, quâ laxitas Paupertatis in Domos Personasq; Religiosas, & in Domos ipsas ingreditur, est necessitas, sive vera, sive prætensa. Ut enim inter comedendum fieri experimur, ut primò licet cibum sumamus, necessitatis & famis domandæ causa, postmodum tamen inadvertenter voluptate rapti & capti, illi jam & non necessitati, immo contra & supra necessitatem indulgemus ac servimus. Ita in materia paupertatis, necessarias res cùm procuramus, sine sensu, nomine necessitatis, palliat se voluptas, & qui ante & ab initio coacti necessitate, quasdam commoditates admittebamus, jam deinceps experimento usuq; fallente rapti, eas volentes rapimus, exigimus, ac nisi exhibeantur, inquieti & molesti sumus.

Hæc porta obstruitur laxitati, si necessitas ipsa stringatur in animo nostro. Si non per omnia necessitati provisum esse velimus, sed residere aliquid indigentiæ in lucro ponamus, aut saltem patiamur. Qua in re ne aberremus, tutum erit permittere necessitatis nostræ mensuram, tum modū illius sublevandæ arbitrio Superioris eoquè contentari pacato animo, adhibita nihilominus cautela, ut si æquo plus benignitas indulgeat aliena, nostra modestia & paupertatis cura, recuset minus necessaria. Distant enim multum à necessitate indulgentia, ita ut non ideò mihi sit aliquid ne-

B cessarium, quia mihi indulgetur ab alio, sed necessitas rigorem suum tenet semper, adeò ut supra necessitatem indulta Pauperi, in quantum pauper est, sint illicita. Ita ergo cūm gratiarum actione Pietas Superioris est admittenda, ut tamen modestia & rigor debitus conservetur in necessitate sublevanda. Rigor porrò & veritas necessitatis sublevandæ, sicut non ex eo prorsus desumi

C debet, quando absoluta & extrema, nullo què modo superabilis absq; subsidio apparet, ita non ex quacunq; molestia aut dolore, aut operositate, difficultateq; eam vincendi, mensuranda erit. Sufferre enim ac superare & devorare molestiæ aliquid, non paupertatis tantùm ac humilis, sed etiam robusti & perfecti est, etsi in extremis tātùm ac omnem industriam superantibus necessitatibus, subsidia quærere Heroicum ac e-

D ximium sit.

§ II. Secunda laxandæ Paupertatis Porta est æquitas. Probabilis titulus, sed eo etiam se superfluarum commoditatum sollicitudo vestire non veretur, laxitatemq; inimicam Religiosæ Paupertati, tum in ipsos, hoc titulo gaudentes tum in alios hunc

hunc titulum ad se se trahentes facilè intro ducit. Laborat aliquis in rebus magnis arduis difficilibus, & ijs quæ hominem evisceerant, exhauriunt, consumuntquè; æquum est ut illius major quàm eorum qui non idem agunt, nec ita gravantur, ratio à Religione & à superiore habeatur, sed hac occasione subit, tum in ipsum operantem dulcedo quædam & usus possessioq; commoditatum illarum, ita ut periculum sit, ne eas nunc & postea, tanquam debitas exigat, ne earum causa primariè laboret, ne mercedem laborum, vilem sanè, hic recipiat, apud Deum autem amittat, tum alios deinde subit æmulatio prava, ita ut ij etiam qui non agunt, agere tamen sibi videantur suis quoq; se laboribus perinde gravari censeant, exhauriri non minùs, aut etiam amplius, iniqua mensura labores, etsi non eosdem, tamen pares, mensurari & pensari cupiunt, ergo & exigunt paria, qualia vidēt uni illi exhiberi. Quæ si negentur, ut revera debent, subitò excrescunt odia, invidiæ obtrectationes, schismata, sugillantur labores & laboratores, nec parcitur Superioribus Quod si nec negentur, sed æqualitatis ratio in mercedibus, aut commodorum subsidiis admittatur, etsi in laboribus minimè sit, hæc jam est laxitas, hæc paupertatis injuria, hæc Voti ruina, labesq; publica, hæc superiorum noxa & culpa, quàm incurrunt, dum priora declinant incommoda positi inter malleum & incudem.

Hæc porta clausa foret, si quisq; modestiæ freno se regeret: sed officium mensurandi labores alienos, commodisq; opportunis eos fovendi relinqueret Prælatis, si quoq; modestè de se suisq; laboribus sentiret, ac aliorum suis præferret; si deniq; Caritate Duce meliora aliis, posteriora & viliora sibi eligens, de suis etiam commodis alios juvari gauderet.

§ III. Tertia Porta quâ laxitas paupertatis ingreditur ad Religiones, est gratitudo. Fractus aliquis annis ac laboribus in Religione præclarè de illa pluribus annis, pluribus in rebus officiisq; est meritus, cum jam senio ac viribus deficit, gratitudo exigit, à Religione & Superioribus haberi illius rationem ampliorem, quàm alterius aut aliorum, non ejusdem adhuc in Religione conditionis. Et quidem meritò alioquin, sic in Religione laboribus frági atq; senescere, miserabiliùs esset quàm in seculari ullo vitæ genere, essentq; paris conditionis Canis & Aulicus & Religiosus senex, quod utiquè sanctitatem Religionum, & obsequij Divini dignitatem dedecet. Sed tamen hâc occasione fit inprimis ut illi ipsi qui laboribus succubuerunt & annis, in morosam extorsionem necessitatum commoditatumvè, (quandoq; etiam fortè nimiam, nec statui A congruam) cum injuria Paupertatis deflectunt, fit deinde, ut juvenes robustiq;, & neq; annis, neq; laboribus fracti, illa eadē sibi præstari velint, curent contendantquè quæ illis fessis fractisq; præstari vident, allegantes se quoq; his egere, tum quia sunt in ijsdem laboribus, in quibus hi fuerunt aliquando; tum quia nollent se cito frangi laboribus: tum quia fortè sui labores, graviores nunc sunt quam illorum olim fuerint, ob dispares circumstantias gravantes. B Atq; hâc via subintrat haud dubiè laxitas paupertatis, eô quô vidimus modo in præcedenti puncto.

§ IV. Quarta laxandæ Paupertatis Porta, est iniquè intellecta detortaq; aut extorta potiùs Religionis Caritas, non occurrit interim commodius huic malo nomen, explicatione clarius elucescet. Superiores tres laxitatis portæ, habent aliquam æqui speciem, unde etiam tolerabiliores videri possent: at contingit quarta, de qua nunc sermo est, intolerabilior, quàm aperiunt in C Religionibus quidam, qui cum sint Religioni minimè utiles, maximè tamen Religioni esse solent graves. Videas enim aliquādo homines, qui non veniunt ad Religionem, neq; in ea vivunt ut sint meliores, sed ut sint ditiores, ut parvo, aut etiam nullo labore habeant per omnia commodè & lautè, ut sint delicatiores & locupletiores in Domo pauperis Christi, quàm esse potuisset in Regno Divitis Diaboli ut sint in Domo Dei honorati, venerabiles, atq; reverendi, qui in suis domibus nonnisi contemptibi- D les & abjecti fuissent. Videas aliquando homines, qui non tam ideo in Religione sunt, ut ipsi laboribus meritis industriaquè prosint, quàm ut ipsis Religio prosit: qui sunt in Religione ut ipsius vivāt beneficio, non autem Religioni commodent serviantquè opera sua; quibus Religio est honori & utilitati, ipsi vero Religioni sunt oneri & dedecori. Videas, inquam, hujusmodi homines, sese non tantùm laboriosissimis personis conferre, sed etiam præferre, & mole-

ctiùs commoditates quam illos exigere, caritatemq; Religionis crepare, & requirere, & de illius defectu quiritare, quàm illos prædictos, qui, omnem industriam & vitã, honori, subsidio, usuiq; ordinis addicunt, & propter quos etiam hi ipsi apud exteros in æstimatione pretioq; sunt. Nec attendunt isti se effrontes esse, cum caritatem Religionis exigunt, quàm ipsimet, Religioni multis annis (quandoq; tota vitâ) non impendunt: Non attendunt hi, valde se injustos esse, dum quotidiano suo labore, (qui vel nullus, vel exiguus, vel propriæ tantum utilitatis, voluntatisq; est) laborisq; in communem usum proventu, nullam aut vix aliquam partem adæquant eorum sumptuum, qui fiunt à Religione quotidiè in eorum necessitates & commoditates quotidianas. Quod quàm sit probrosum, quamvè iniquum, quamvè in sæculo etiam intolerabile, hi quidem non sentiunt, quia sentire ut plurimum nolunt, neq; ad hujusmodi, mentis oculos reflectere soleãt, attamen aliquãdo dies Domini revelabit.

Reflecte te Religiose super te, & pone cor tuum super vias tuas. Vis Religiosam caritatem experiri in tuis necessitatibus? equidem justum est, sed hac lege, ut tu quoquè quantum ex te est, tota industriâ tua in hoc labores, ut pro tuo gradu atq; modulo, charitatem tuam Religioni indigenti exhibeas, alioquin, qua fronte metere vis quæ non seminas qui etiam debueras hic seminare, non hic sed in cælo metenda. Creditor esse deberes, non tantum Religionis, sed etiam Dei: tu autem etiam indebita exsolvi tibi exigis. Religiosæ indolis multùm laborare, parũ cõmoditatis exigere) ne recipiat mercedem in hac vita, superare meritis laboribusq; quotidianis Deo Religioniq; (quod utrumq; idem est) impensis, sumptus Religionis in se quotidianos: hoc unum habere, in quotidianis Examinum punctis, ut hoc consideret, an hodierna commoda Religionis hodierno labore promeruerit, justeq; receperit.

§ V. Quinta laxitatis Porta, quâ paupertatis injuriæ ingredi solent. Est autem Superiorum mollities, sive ea benignitati naturæ tribuenda sit, sive timiditati, sive placendi ac satisfaciendi omnibus cupiditati.

§ VI. Sexta laxandæ Paupertatis Porta, est ipsa Paupertas imprudenter culta & custodita. Dictum vulgare sed verum est: Paupertas paupertatem in Religione destruit. Hoc quidem variè accidit. Et in primis dum ex communi non providetur necessitatibus omnium, advocatur admittitur necessitas permittendi ut sibi quisq; provideat privatim, quæ permissio si negetur, providendi tamen audacia clandestina non vitatur quod malum est, pejus priore: infinitis enim malis, scandalis, peccatisq; adimplet Religionem, præ omnibus autem pessundat paupertatem. Deinde etiam destruit Paupertas Paupertatem, quando propter penuriæ prætextum, opportunè sũptus moderati non fiunt, qui tamen post modum, necessitate adigente, fieri debent multiplicati, ita per compendia fiunt dispendia, & dum imprudenter parcitur sumptibus, gravantur & multiplicantur sumptus cum injuria paupertatis.

Hæc duo postrema, magis Superiorum Instructioni, quàm communi omnium meditationi deserviunt. Habent superiores unde erudiantur, nostrum est ab ijs erudiri.



CA-

CAPVT VIII.

De Exemplaribus & speculis Paupertatis Religiosæ.

§ I. PRimum Exemplar Paupertatis Religiosæ, quod est Christus IESUS Deus ac Salvator noster, in quo duplex nobis resplendet Paupertatis perfectæ specimen, unum Doctrinæ, aliud Exempli. Doctrina Christi de Paupertate est multoties ab illo expressa. v.g. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* quibus verbis ita docet, ut commendet, ita commendat, ut simul doceat paupertatem. Docet, cùm eam in spiritu præcipuè collocat; commendat, cùm beatitudinem, cùm inter eas primam, cùm cæli heredem denuntiat. Similiter: *Si vis perfectus esse, vade vende omnia, & da pauperibus, & sequere me, & habebis thesaurum in cœlo.* Et hic commendat Paupertatem, dum eam non præceptum, sed consilium facit, dum eam perfectionis viam, gradum verticemq; supra observationem præceptorum omnium vocat, dum ei non tantùm cœlum, sed thesaurum etiam, hoc est, insigne magnumq; præ alijs præmium promittit. Similiter: *Nemo est qui reliquerit domum aut fratres, aut sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut filios, aut agrum propter me, & propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc domos & fratres, & sorores, & Patres, & filios, & agros cum persecutionibus & in futuro sæculo vitam æternam.* Et rursum. *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecem, iudicantes duodecem tribus Israel.* Hæc Christus in laudē in suadelam & doctrinam paupertatis elocutus est, quæ nisi ab illo prolata fuissent, à nemine alio prolata fidem invenire debuissent. Ejusdem illud dictum est: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus:* non habet sumptus collectos computatosq; ut turrim perfectionis Evangelicæ ædificare, ejusq; ædificium complere possit. Hæc Christi doctrina de paupertate, est lydius lapis Paupertatis Religiosæ.

§ II. Exempla Paupertatis Christus, non A tantùm verbis docuit, quantum operibus & exemplis. Exemplum ipse suum luculētum posuit, quando cuidam sequi se volenti dixit: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* In quibus verbis plenitudinem suæ paupertatis Christus exaggerat supra quam cogitari potest. Pauperiorem enim se Christus asserit brutis, quibus tamen in- B capacitatem Dominij constat inesse, quod tamen Christus dixit, tum propter Votum à se factum paupertatis, tum propter jus quoddam brutorum quod habent ad sua latibula, foveas, nidos, ad quæ pro arbitrio recurrunt, in quibus se fovent, & recondunt, & quiescunt, & à quibus invasores jure suo arcent, quod jus tale Christus, in unam terræ glebam non habuit, sed ille quidem ab omni prorsus re & loco excludi per- C alium potuit, ipse autem neminem excludere poterat. Immanis certè paupertas Christi & vix credibilis nisi ore Christi asserta esset, quàm de facto etiam ostendit, ab ipso natali suo, nam natus est in stabulo, reclinatus in præsepio à brutis mutuato, idq; quia non erat ei locus in diversario, ubi canibus erat & asinis, bobusq; ac porcis & equis locus, ibi Deo nascendi non fuit locus.

D Huic paupertati respondit tenor vitæ totius in paupercula domo nutritus, inter pauperes cognatos uti nuptiæ Cannenses docent, adolevit. Digressus à Matre aliena semper vixit miseratione, quæ etiam sæpè defecit, adeò, ut discipuli satorum spicas vellere manuq; tritas comedere, compulsi sint. Tributum soluturus denarium à pisciculo emendicavit, sed nunquam Christus paupertatem magis professus comple-

xusq;

xusq; eam est, nusquam pleniùs, quàm in passione & Cruce. Ibi enim paupertatem, tanquam sponsam cum omni ejus dote comitatuq; sibi adjunxit, ita ibi spiritu pauper factus est, ut ipsum etiam spiritum Patri tradiderit, alienâ misericordia de Cruce depositus, unctus, involutus alienis linteis, in sepulchro alieno conditus sit. O Religiose paupertatem professe, ibi paupertatis tuæ pone metam, ubi Christus posuit suæ.

A

§ III. Paupertatis Christi excellentia, ex eo capite maxima, & nullatenus ab ulla creatura adæquanda; *quod cum dives esset, propter nos, egenus factus est*. Et magna quidem est in hoc vis, quod propter nos egenus factus sit, sed in hoc longe maxima, quod cum dives esset, egenus factus sit. Dives erat Christus: natura & essentia sua erat ipsæ divitiæ & plenitudo omnium divitiarum possibilium. Erat dives non tantum secundùm Deitatem, sed etiam secundum Humanitatem assumptam, cui ex vi Unionis Hypostaticæ essentialiter Dominium absolutum plenumq; competebat in omnia creata; & competebat ita, ut stante unione hac, impossibile fuerit, eum Dominio hoc carere. Invenit tamen ille modũ & viam, qua se spoliavit, & ita spoliavit ut se pauperiorem reddiderit ijs quæ incapacia erant Dominij, quæq; natura sunt pauperrima, atq; adeo paupertas ipsa. Spoliavit se carendo omnibus rebus, nullâ utendo tanquam suâ propriâ, & tanquam Dominus, & insuper vovendo paupertatem, semper paupercule, & mendicatò & alienâ misericordia vivendo. Itaq; Christus Dominus ipsam Divinitatem suam paupertatis fecit materiam & subjectum. Deus enim cum esset, pauper fuit, omnibusq; eguit, cum Dominus omnium esset, & Voto se ad paupertatem adegit, cum essentialiter Dives & divitiæ esset. Atq; quia impossibile erat Dominum non esse, quamdiu Deus homo erat, mortuus est, & Deus-Homo esse desiit, ut sic extremam omnemq; paupertatem possideret, quâ mortui gaudent. Mortui enim ideo pauperrimi sunt, quia nec se ipsos possident: ita ergo Christus, & usu Dominij, & ipso Dominio se privavit, quando se mortis jugo vivens subjecit. Quare sicut omnem gradum Dominij Christus habuit quoniam Deus fuit, ita vicissim omnem gradum paupertatis assumpsit, quando mortem subiens esse desiit. In quorum neutro extremo Christus imitabilis est. Speculum tamen & Exemplar paupertatis est.

B

Hæc igitur in Christo contemplare. 1. Doctrinam ejus de paupertate cum præmiis & laudibus eius. 2. Exercitium illius & praxim in omni vita eius. 3. Inimitabilem istum utrumq; terminum Paupertatis eius; nemo enim præter Christum, Deum facere potest pauperem, & nemo ut sit pauper mori potest. Ex his porro omnibus, disce amare, disce complecti, disce exequi, disce proficere, disce immori paupertati Talis sit tua Paupertas, qualis Christi in stabulo, qualis in Cruce, qualis in sepulchro talis sit amor tuus erga paupertatem, qualis erga eandem fuit Christi, qui cum Dives & Deus esset propter te egenus factus amore paupertatis egenus factus est.

C

D



CA-

CAPUT IX.

De alijs Exemplaribus paupertatis Religiosæ.



§ I. Secundum Exemplar Paupertatis est Pretiosissimæ Christi Parentis, Virginis MA-A RIÆ Paupertas. Fuit enim in ejus vita, assidui Comitis loco insignis Paupertas, & tanta ut eadem à Matre ad Christum devoluta sit, veluti naturali hereditarioq; jure. Pauperis enim Matris pauper filius fuit. Professa est SS. Virgo Paupertatem suam in omni vita sua, & præcipuè in puerperio suo ob humilem cõditionem suam paupuremq; statum, non reperit locum in diversorio, in quo, ditiorũ B mancipia & jumenta, & ipsi canes locum commodum habebant. Peperit filium suum primogenitum in stabulo, pannis involuit, sanè vilibus & rudibus, reclinavit in præsepio, subjecto, si ad manum fuit, fæno. In Ægyptum fugiens delata, sanè non splendido comitatu venit, ibiq; vixit. Deniq; totâ vitâ suâ conjunx fabri pauperculi habita & vocitata est. Sed etiam probri vi- C ce vocata est Mater IESU à Iudæis, tanquã pauper abjectaq; abjectioris filij genitrix,

At enim, nusquam plenius paupertatem suãq; filijq, professa est, quam Cruci affixo adstans filio, cujus pauperrimam pretiosissimãq; nuditatem non erubuit in illa hora, adeoq, tunc pauper desolata, & omni solatio refugioq; orba fuit, ut Christus, paupertatis; ejus misertus de Cruce, Ioannem illi D pauperculum & ipsum delegarit, quem in hac vita curatorem, necessitatumq; suarũ Ministrum & provisorem haberet.

Huic vitæ cursui respondit & decursus & exitus, pauperem enim vitam vixit usq; ad mortem & pauperibus convixit. Ad complementum autem paupertatis suæ eam voto firmavit, exemplum Christi doctrinamquè secuta, cujus paupertatem hoc commendat amplissime, quod ipsa ex materni-tate Dei dominium naturale in res omnes sortita fuit, cui tamen in omni vita etiam per Votum renuntiavit. Habes Religiose, Paupertatis speculum in Deo Homine A Christo, habes & in Virgine Dei Matre. Imitare servule Dominum, & Domini tui Matrem, Dominam tuam, æmulare mancipium.

Tertium Exemplar Paupertatis, Paupertas Apostolorum. Pro omnibus unus loquitur Petrus testaturq;: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Attende perfectam paupertatem & planè Apostolicam, B quam primi Apostoli, Christiano sanè Apostolicoq; usu complexi sunt. *Dimisimus* ait omnia, omnia quæ habuimus, omnia quæ habere potuimus, quæ desiderare poteramus, omnia habendi desideria. Omnia dimisimus affectu, omnia effectu, omnia sine spe, sine potestate resumendi, omnia dimisimus, Votoq; etiam dimissionem firmavimus. Te secuti sumus in hoc Domine, qui docuisti nos sic, qui sic prior fecisti an- C te nos. Talis fuit paupertas Apostolica, talem primos ipsi discipulos docuerũt. Hanc omnis primitiva Ecclesia professa est, hanc laxatam lapsu temporum atq; morum Religiosi domicilio excipiũt & veluti Sponsam matremq; familias, domibus, institutis & mentibus cordibusq; suis præfecerunt.

§ III. Considera verò qualem paupertatem Apostoli in schola Christi didicerint, & in quali eos Christus exercuerit. Omnia D propter Christum dimiserunt, Christumq; secuti sunt: sed apud Christum invenerunt usq; adeo nihil, usq; adeo succincta omnia, uti non raro deficiente victu satorum spicas carpere manibusq; fricatas edere debuerunt. Si quid aliquando residuum superfuit, tantillum id erat, & unus Iudas portare suffecerit. Cum tributum pendendum erat, nullus discipulorum, nec omnes simul summam repræsentare poterant, à pisce mu-

tuanda

tuanda erat, Pisces quinq; non de suo, sed de cuiusdam pueri penu promere debuerũt. Asellum quo sternerent Domino, nisi suis vestibus iniectis, non habebāt. Missi ad prædicandum à Domino, neq; peram, neq; calceamenta, neq; baculum, neq, duas tunicas, multò minus aurum, argentum pecuniamve in zonis suis portarunt, ita edocente Domino, sed providentiæ Domini se crediderunt. Post mortem Christi atq, resurrectionem, nullus eorum sua repetiit, sed de aliorum miseratione, Divina autem provisione, pauperem vitam duxerunt.

Deniq, per universum orbem sparsi, paupertate & contemptu terrenorum, mundum ad fidem converterunt. Neq, enim tantùm miraculis eorum, moti sunt homines ad fidem, quæ facilè præstigiis ac veneficiis attribui potuissent, quantum paupere vita & omnium quæ mundus miratur contemptore animo. Talem & tu in schola Christi, fac discas, exerceas, exemplo, verboq, doceas, exhibeasq, paupertatem.

§. IV. Qualem paupertatem fundaverint Apostoli in Ecclesia primitiva. Expressit hoc Lucas in Actis, ubi cunabula scribit Ecclesiæ. 1. Omnes fideles discipulique Apostolorum, possessiones suas vendebant, & earum pretium ad communem usum ad pedes Apostolorum ponebant. 2. Nemo
A quidquam suum esse dicebat: non domum, non agrum, non vestem. 3. Dividebatur singulis prout cuiq, opus erat, alieno utiq, arbitrio & iudicio. 4. Formabatur hæc ratio vendendi, ad pedes deponendi, de Cõmuni vivendi, firmabatur inquam promisso & voto. 5. Eius sive promissi, sive usus recepti prævaricatores primi Ananias & Saphira morte multati sunt, primumq, omniũ adeo formidabile supplicium, Christi Fidelium in Ecclesia statutum est ab A-
B postolis in vindictam læsæ paupertatis Evangelicæ, defraudarunt enim de pretio agri, & factus est timor magnus in Ecclesiā universa, & in omnes qui audierunt hæc.

Hæc fuit disciplina Paupertatis in primæva Ecclesia, in qua omnes Religiosi erāt, ad hanc disciplinam exige & explora, & emenda paupertatem tuam, amorem tuum in paupertatem, Zelum pro paupertate, integritatem paupertatis.

CAPVT X.

De alijs Exemplaribus paupertatis Religiosæ.

§ I. IMago prima Paupertatis Religiosæ, cultusq; & amoris, qui illi à Religiosis præcipuè Societatis debetur, est à S. Ignatio Fundatore Societatis in Regulis exposita. *Paupertas ut murus Religionis firmus diligenda, & in sua puritate conservanda quantum divina gratia áspirante fieri poterit.* Exemplar & Imago hæc est. Paupertas est hoc Religioni & Religiosis, quod murus Urbi & Civibus. Quod præstat murus, hoc præstat paupertas suis, quod debetur muris à Civibus, hoc paupertati à Religiosis. Firmos esse muros oportet, integros, non labantes, non scissos, non fossos, solidè
C jactos, excubari pro eis oportet, ne ab hoste aut vetustate subrùantur, quassentur, inscendantur. Ruentibus occupatisve muris, actum est de Urbe, capta est Civitas, Cives omnes sunt præda & victimæ hostibus. Dum murus immunis, integer, liber firmus, defensus est, tuta sunt salvaq; omnia
D Civibus, irrisi sunt omnes conatus hostiles. Hoc idem est Paupertas Religioni & Religioso: hoc idem sit Religiosus Paupertati *Paupertas ut murus firmus diligenda, & in sua puritate conservanda.* Tantum te tuta-

tur & ſalvat illa, quantum tu illam, ruina
illius, perditio tua, integritas illius, ſalus
tua non refert magnanè ſint foramina in
muro, cum fiſſuræ crebræ, quælibet eorum
injuria, Civium eſt perditio & proditio:
Paupertatis injuriæ ſive grandes, ſive mul-
tæ minores, Religioſum in diſcrimen addu-
cunt. Ergo paupertas ut murus Religio-
nis diligenda,& in ſua puritate conſervãda.
Expende diligenter puritatis vocem, omnẽ
paupertatis perfectionem illa complecti-
tur, perfectè pauper eſt, qui purè pauper.
O pura paupertas, o puritas paupertatis,
quàm rara eſt, quam fuſcatur ſæpè; quam
variè, quàm impunè, quàm inverecundè,
quàm ſine ſenſu, abſq; nota, ſed non abſq;
injuria.

§ II. Secunda Paupertatis Imago in Re-
gulis depicta. *Diligant omnes paupertatem
ut Matrem.* Hæc eſt Imago & Paupertatis
ſimul & Religioſorum Paupertatem profi-
tentium. Illa Mater eſt, hi filij. Illa Reli-
gioſos, ut filios amat, & fovet, & educat,
iſti paupertatem ut filij Matrem, colere, a-
mare, & obſervare debent. Nulla Mater
eſt tam verè Mater ut eſt Paupertas. Intel-
ligat hoc Religioſus, & fatebitur ſic eſſe.
Paupertas Religioſa, eſt Providentia Divi-
na, certè non eſt ſumenda abſq; illa. Nam
Paupertas ſine Providentia Divina, certè
non eſt Religioſa, immo neq; paupertas.
Omni paupertati addicta eſt providentia
Dei, potiſſimum tamen Religioſæ pauperta
ti, huic Religioſa paupertas ſe conſecrat,
huic credit, huic innititur, huic ut ita di-
cam, deſponſatur & nubit, cum hac pactũ
mutuum init, & quemadmodum ſe illi, ita
illam ſibi obligat Ex pacto ergo conven-
to paupertas Religioſa providentiæ Dei te-
netur nihil habere, nihil accipere: viciſſim
verò providentia Dei tenetur paupertati
providere atq; proſpicere.

Paupertas itaq; Religioſa, non tantùm
Paupertas, ſed eſt paupertas Providentiæ
Dei adnexa, & providentiam Dei habens
adnexam ſive obligatam. Ea propter nul-
lus Religioſus debet paupertatem ſuam at-
tendere nudam & ſolam, ſed Religioſam
& Dei providentiæ conjunctam innixam-
què. Hoc autem modo paupertas Religi-
oſa ita mater eſt ut non poſſit non eſſe ma-
ter, ita Mater eſt, ut nulla Mater poſſit ſic
eſſe Mater, ita Matris officium explet ut
nulla explere ſufficiat. Quæ enim Mater
ſua providentia materna explere & æquare
poteſt providentiæ divinæ curam & efficaci
am? Ergo Paupertas Religioſa Mater eſt, &
omni Matre magis majorq; Mater Iudica
jam mi Religioſe, an merito dicatur tibi *di-
ligant omnes paupertatem ut Matrem.* Qui
Religioſus paupertatem ſic non amat, non
eſt filius paupertatis Religioſæ, hoc eſt, Pro-
A videntiæ Divinæ, qui contra paupertatem
Religioſam, murmure, impatientia, priva-
to peculio, vel aliter peccat, providentiæ
Divinæ, nempe ſuæ ſuaviſſimæ Matri ingra
tus, injurius, contemptor eſt. Contra pau-
pertatem ſuam qui obſervat, & omnes ejus
affectus comiteſq; lætus amplectitur & ex-
cipit, hic Providentiæ Dei lacte nutritur
delectaturq;, & eſſe ſe genuinum illius fili-
um demonſtrat.

§ III. Tertia Paupertatis Imago Regulis
B expreſſa. *Victus, veſtitus, & lecti ratio, erit
ut pauperibus accommodata, & unuſquiſq; ſibi
perſuadeat, quod quæ viliſſima erunt ex iis quæ
domi ſunt, ei tribuentur propter ipſius maiorem
abnegationem, & ſpiritualem profectum.
Intelligant omnes, quod mutuò dare vel ac-
cipere, vel diſpenſare quidquam de iis quæ do-
mi ſunt minimè poſſint, niſi Superior conſcius
conſenſum præſtiterit. Nemo pecuniam apud
ſe habeat, apud alium verò, neq; pecuniam, nec
quidquam aliud. Nemo rem ullam ex domo
vel ex cubiculo alterius ſibi uſurpet, aut ab ex-
C terno aut quovis alio accipiat, ſine ſuperioris
licentia. Nullus ita cubiculum ſuum claudat,
quin aperiri extrinſecus poſſit, aut arcam, ſeu
quidquam aliud habeat obſeratum ſine ſuperio-
ris facultate. Iuxta menſuram ſanctæ diſcreti-
onis, ſuis temporibus paupertatis effectus aliquos
experiantur, nulla re tanquam propria utantur,
paratiq; ſint ad mendicandum oſtiatim, quando
vel obedientia, vel neceſſitas, id exiget, &c.*
Imago iſta, imago Paupertatis eſt. Sub I-
magine enim pauperis depingit nobis. S.
D Fundator, qualis cultus debeat eſſe in nobis
erga paupertatem Religioſam, qualiſq; no-
ſtra paupertas eſſe debeat. Certè quicquid
S Pater in Superioribus expreſſit, totum
hoc concluſio eſt deducta ex genio paupe-
ris & paupertatis, v g. Paupertatis & pau-
peris, victus vilis, obvius, modicus, ex ali-
eno proviſus eſt, ergo & meus talis ſit opor-
tet. Veſtitus pauperis eſt vilis, detritus, po
ſtremus, & meus talis eſſe debet. Pauperis
eſt nihil habere, ab aliis emendicare, ergo
& meum. Pauper dum mendicat victum

& ve-

& vestitum certus est, postrema sibi danda non præcipua, ergo & ego certus esse debeo de postremis quibusq; mihi offerendis.

Sciendum autem est, non depingi à S Patre in supra positis Regularum verbis, paupertatem plebeiam, sed paupertatem simpliciter, paupertatem quæ & re & nomine & praxi, & actu, & effectu, & affectu paupertas est, ex cujus plenitudine Religiosam depinxit ad eiusq; mores istam conformat. Et tu ergo ad eandem paupertatis rigorosæ indolem, conforma paupertatem tuam, omnesq; eius mores, qualitates, proprietates, conditiones, sectare &c.

§. IV. Quarta Imago paupertatis, est Praxis instituti Societatis in Voto negotioquè paupertatis. Inprimis enim Societas complexa est omnem perfectionem Paupertatis, etsi non in omnibus suis membris eãdem, propter peculiarem sui instituti rationem, in præcipua tamen parte sui, perfectã planè atq; absolutam. Etenim professa Societas nec in communi quidem potest habere bona aliqua præter puras eleemosynas accipiendas. Cujus tam exactæ paupertatis causam assignat S. Pater in Constitutionibus illam: quia nempè Societatis hujus Patres, experimento comprobarunt, vitam ab omni avaritiæ cupiditatisvè suspicione remotam, esse prorsus jucundissimam, purissimam, atq; ad proximi fructum ædificationemq; utilissimam, nusquam enim est fæcũdius, quam in ore pauperis Evangelici, Dei Verbum.

Iam verò Praxis Paupertatis hæc fuit semper in Societate, & est, & esse debet, ut nemo de ulla re, suo proprio arbitratu, sed Superioris: ut omnia semper uniuscujusquè Personæ privatæ, sit in potestate Superioris, qui ea possit auferre, mutare, relinquere pro suo libitu quocunq; tempore, sine ulla restituendi spe, adeò ut nec haustum aquæ frigidæ, neq; micam panis, liceat homini Societatis sibi sumere sine consensu Superioris. Neq; est in Societate esseq; potest locus ulli contra Peupertatem laxitati, aut consuetudini recipiendæ, multoq; minus receptæ. Cùm Professa Societas universa peculiariter notum faciat, nullam immutationem in Paupertatis negotio & Voto & praxi, admittendi, aut tolerandi, A nisi fortè si sit paupertas stringenda magis. Itaq; non potest in Societate dici, hoc aut illud esse receptum usu, more, conniventia, proinde licere, &c, nulla enim conniventia, nullus mos, nullus usus, locum habere potest, quoniam prædicto Voto prorsus exclusus est, & aditus illi omnis impossibilis redditus. Atq; hæc est imago genuina paupertatis Religiosæ in Societate, ob quam integrè conservandam Societas recepit in B se de omnibus privatorum seu filiorum suorum necessitatibus commodisq; congruis providere, ne quemquam suorum opus sit privatas industrias ad sublevandas suas necessitates, adhibere, atq; hanc occasioné januamq; laxandæ paupertati & privato introducendo aperire. Inspice bene, exactè, crebrò, hæc specula, exemplariaq; paupertatis ejus, quàm Societas profitetur, & quam omnes filij ejus sectari colereq; ut fi- C lij Matrem tenentur, ad eaq; te compone, ut tuam practicam paupertatem ejusq; diligentiam ac observantiam explora. Disce quo te affectu, quàm stricto amore adstringi quá pietate ferri in paupertatem tuam oporteat? Deplora si quam in te injuriam paupertatis reperis, ac ad ejus integritatem statim te reduc: omnem proprietatis privatæq; voluntatis speciem abs te amove, nullum penes te idolum privatæ vel clancula- D riæ possessionis patere, ne sicut olim S. Franciscus Assisias, quosdam de suis, ita te quoquè S. Ignatius spurium ordinis sui, aut Iudam, furem Christi, labemq; cœli Apostolici aliquando denominet.



CAPVT XI.

De varijs Actibus Religiosæ Paupertatis.



VArij sunt Actus, effectusquè Religiosæ Paupertatis, quos exercere solent Amatores illius veri, & ad quos eniti debent, secundùm instituti sui Regularum naturam, ij qui Votum Paupertatis in Religione emittunt.

1. Amare Paupertatem affectu filiali, sicut scilicet Matrem, tenere, & internè ejus affectus, & comites, æstimando, appretiando, appetendo, sicut filij munuscula parentum solent.

2. Revereri & tueri & appretiare, defendere, integraq; omnia conservare in se & alijs, in Communitate (quod licet & decet cuiq;) etiam in minutis rebus Paupertatem eo modo quo boni Cives, muros, portas, Castella, munitiones, Privilegia, commodaq; suæ Civitatis & Patriæ conservare integra student. nullam laxitatem, dispensationem emollitionemq; in Paupertatis usu & praxi, votoq; admittendo, quam Majores nostri non admiserunt, quæq; Regulæ, & praxi receptæ non consonant.

3. Nihil prorsus absq; facultate Superioris dare, vel accipere vel mutuo, vel dono domesticis externisvè, vel ab ijsdem.

4. Non gravatè, immo libenter in omnibus facultatem petere, etiam parvis.

5. Petere facultatem cum indifferentia. immo appetendo ut negetur facultas, non tristari, non conqueri etiamsi negetur.

6. Nihil habere penes se inter reculas suas, quas nolit quis sciri, aut videri, aut auferri à Superioribus in aliorumq; usum converti, sed ab omnibus rebus affectu avulso esse.

7. Nihil ex alienis cubiculis, vel etiam ex publicis locis accipere sine facultate Superiorum, quod sit vel communi publicoquè omnium usui, vel privato alicui commodo permissum.

8. Nihil habere superfluum, nihil pretiosum, comptum, nitidũq; eximiè ac exquisitè, etiam cum facultate, aut permissum dissimulatione Superiorum, nam superflua nec cõcedi possunt, nec cõcessa licita sunt, quia concessio ipsa illicita est. Verus ergo Paupertatis amator, superflua omnia in A libris, victu, vestitu, aliaq; cubiculi supellectili resecabit.

9. In necessarijs etiam viliora eligere, neglectis pretiosioribus id enim paupertati magis consonum. Pauper enim malè vestiri non potest, sed quantò pauperius vestitur, vescitur, dormit, habitat, habetur tantò melius, & paupertati congruentius.

10. Gloriari in Domino de Paupertate, B rerumq; vilitate, neq; erubescere paupertatem, & nuditatem Christi, ostendere etiã, & exhibere foris eandem, non jactabundè, sed amanter, & propter abnegationem majorem, mundiq; contemptum, & ex internæ abnegationis spiritu filialiq; ac sponsali in paupertatem amore.

11. Res paupertatem, simplicitatem, ruditatemq; operis redolentes amare ac dili- C gere, exosculari etiam ex affectu paupertatis.

12. Res laceras, aut malè nec ex arte paratas, assutis crustis sarcitas. vetustatem redolentes, amare, amplecti admittere, novis, integris, speciosis, præferre; immo has erubescere, illis gloriari.

13. Ex ijs quæ domi sunt, quæq; usui domesticorum distribuuntur, postrema vilissima, ultimo loco exspectare & acceptare, cum illa vera & interna persuasione, quòd: D quæ vilissima domi erunt, hæc mihi dabuntur & pro me, consultò reservabuntur, tanquam pro eo, cui incumbat quemq; deceat, ut omnium esse postremum & mancipium sic etiam post omnes necessaria accipere, ab alijsq; abjecta vel detrita, vel semiesa in usum assumere, sicut pauperibus mendicantibus ad ostia ditiorum certo est persuasum quod non ex optimis quæ domi aliqua habentur, sed ex postremis & quæ ipsis domus famu-

famulis abjecta erunt, ipsis sint porrigenda & danda.

14. Gaudere in defectu etiam necessariorum, eumq; defectum, quoad licet, bonâ conscientiâ dissimulare, ac silentio tegere, intereaq; incommodum quod continget perpeti lucrum suum messemq; meriti & imitationis pauperis Christi, atq; ex veris paupertatis opulentijs (scilicet defectibus & incommodis) exultare, sive sit fames, sive sitis, sive æstus, sive frigus sive lecti tectiq; incommoditas, sive tarditas & dilatio vel durities eorum, quibus incumbit providere.

15. Non facilè, nec statim, neq; solicitè Indigentiæ provisum ire, sic velle, sed priùs experimento probare, an sit vera, an vincibilis nec ne indigentia, eamq; probatam demum, modestè sedateq; exponere, nec urgere, nec facilè repetere, aut inculcare.

16. Id verò multò ampliùs servandum, in provisione futurarum indigentiarum. Paupertas enim de futuris non cogitat, multò minùs solicita est. Dei Providentiæ locus dandus est, præsertim à privatis, & de communi non solicitis ex officio. Quanquam etiam isti non debent timere inopiam, sed metum inopiæ.

17. Non circumferre secum de loco in locum multam supellectilem, neq; pro via neq; pro mansionis futuræ loco, sed quantum fieri potest, minimè onustum migrare, progredi, venireque.

18. Si alicujus locum officiumq; succedas aut habitaculum, non continuò turbare, mutare omnia, sed his quæ alterisatis erant, etiam contentum esse.

19. Incumbere totis fiduciæ viribus in Dei Providentiam, ut solet infans in ulnas nutricis, aut curam matris totus projectus. Qui enim Paupertatem Deo vovent lactentes Alumni sunt Providentiæ Divinæ, quæ centuplam mercedem promisit, quantò magis simplam, & simplicem necessitatem providentia suâ sublevabit. Non potest autem magis obligari & devinciri Divina Providentia ad succurrendum, quàm toto pondere in eam incumbendo ac se se suumquè cogitatum in eam jactando.

20. Suspectum habere id omne, atq; etiam abjicere propterea quod Superioris notitiam consensumq; declinat ac formidat, immo, etiam id, quod ex spontanea quadã Superiorum indulgẽtia obvenit ac delectat modestè & humiliter recusare; eo autem contentum esse, quod Dei voluntas per Superiores dispofuisse cognoscetur.

21. Non libenter accipere ea beneficia Externorum, quibus opus pium, & obsequium in eos vel alios exhibitum compensari probabiliter putetur. Quod autem puræ Eleemosynæ ac mendicationis titulo obvenit, id gratanter, & velut cælitus atq; ex Angelico instinctu oblatum admittere.

A 22. Si adhibitis ad sublevandam necessitatem solitis, & partim à prudentia, partim à Religione præscriptis mediis (quæ adhibenda sunt, ne eorum neglectu, & otioso providentiæ Dei exspectatu potius tentetur Deus) nihil proficiatur, nec industriæ humanæ prosint, tunc maximè & securissimè, jactare in Deum cogitatum, & centuplum promissum, bonitatemq; Divinæ beneficentiæ in oculis habere. Etenim quãdo ordinaria media Deus sinit esse sterilia, B signum est, quod velit, per sua & extraordinaria, esto sine strepitu & admiratione, hic enim cursus Dei est) providere suorum Alumnorum necessitatibus. Sunt autem media Religiosorum ordinaria, orare Deum, necessitatemq; commendare, ad Superiorem recurrere, cum licentia habita mẽdicare, labore manuum, aliavè industria, probata per Superiorem, uti, & si quæ sunt aliæ in alio ordine legitimæ receptæ Providentiæ.

C 23. In judicio de necessitatibus, non proprio sensu regi, sed Superiorum arbitrio, judicioq; rem examinare & permittere, & acquiescere.

24. Promissionem subsidiumq; necessitatis nostræ, non metiri ex indulgentia aut liberalitate opinioneq; providentis Superioris, fieri enim potest, ut excessus fiat per hoc, deturq; nobis nimium, & alijs desit necessarium. Religiosus ergo modestè moderabitur favorem, & strictiore subsidio cõ-D tentus, renuntiabit reliquo ad aliorum cõmodum, id enim & ad fraternam charitatẽ pertinet, ne dum alius esurit alius ebrius sit, ad fidelitatem quoq; & ad Paupertatis amabilem rigorem, vel rigidum amorem; sublevari enim non ditari pauper debet, ac maximè Religiosus.

25. Ratione officij dignitatisvé etiam Superioralis, nihil admittere, nisi ratio necessitasq; exigat. Nam dignitas & munus non eximit quemquam à paupertate, eiusquè

què amore & rigore: nisi importet necessitatem & indigentiam: ratione cujus amplius potest capere Superior: sed hæc ratio procedit etiam in subdito indigente, laborante &c.

26. Veram necessitatem metiri, ex detrimento v. g. valetudinis, ex impedimento non levi officij, ex molestiâ ac dolore rationabili ex difficultate operandi, ex difficultate vincendi necessitatem. Ex his enim ac similibus noscitur, sicut & nascitur, vera necessitas justa, gravis absoluta. Iam quæ ad benè vel male esse necessaria sunt, simpliciter necessaria non sunt, siquidem levi labore, ac molestiæ sustinentia non grãdi, evinci possunt. Verus amator paupertatis pluris æstimat paucis contentum esse, quàm multis egere, seu, quàm multis subsidijs abundare. Præclarum est posse non egere, quibus egeas.

27. Expósita necessitate apud Superiorẽ: nihil determinatum petere aut suadere: non tempus, non locum, non personam, non rem, non modum aut media: sed omnia arbitrio Superioris permittere, moderatèq; ferendum si Superior deliberet, & rebûs expensis decernat. Vix enim aliquid est, quod non pluribus medijs possit perfici: unde imprudentis est impudentisq; ac importuni alligare Superiorem ac seipsum ad unum aliquod certumq; subsidium aut medium.

28. Velle & curare ut quantum in nobis est, nostri causa sumptus nulli fiãt, sicut etiã necessitatis gratiâ, multò minus cupiditatis impertinentis: quæ sæpè solet esse magis ex apprehensa quàm verâ necessitate, sæpe inconstans & pro humore aut alienâ suadelá variatur: sæpè quod nuper voluit, hodie nõ vult, quod parum fuit, nimium est: quod profuit, nocet, quod nocuit prodest: nequè facilè finis fit, ita ut impleatur illud quod olim dicebat Bernardus: in omnibus hortis & fluvijs &c, non invenit Monachus quod comedat: opusq; sit monere cum eodem tales, memento te esse Monachum non Medicum, de schola Christi, non de Galenĩ.

29. Nulli creaturæ prorsus adhærescere vel agglutinari: sed esse statuarũ aut jumẽtorum instar: quæ ornantur licet aliquando: tamen nullo negotio sinunt se spoliari ornamentis, sicut siverant ornari. Hoc est enim illud Apostoli explere: uti mundo tanquam non uteremur: tanquam hospites & advenæ & peregrini, manentem civitatem hic non habentes, sed futuram inquirentes, levis vitæ magno viatico nõ egentes. Deiq; ita exire ex hoc mundo parati, prout etiam ingressi sumus: nihil intulimus nihil auferre velimus, quia nec poterimus.

30. Assiduè mendicato, vel ac si mendicato vivere: omniaq; tam petere, quam expectare, quàm etiam accipere tanquam mẽ-
A dicantes solent. In veritate enim omnis Religiosus qui Votum paupertatis fecit, mendicum se omnium fecit. Nam ubi omnia quæ possidebat vel possidere poterat cum re & spe, cumq; habendi desiderijs omnibus propter amorem Christi dereliquit, omnium bonorum temporaliũ jus proprietatemq; in se extinxit, omnem verò sequẽtem vitam ex alienæ liberalitatis propter Christun sustentatione ducendam sibi delegit. Quocirca in nullam deinceps
B rem potest jus ullum ipse acquirere: nullam rem in usus suos nisi media mendicatione suâ, largitione seu eleemosyná alienâ convertere. Neq; hæc cõversio debet aut potest esse independens sed ad tempus quod obedientiæ videbitur.

31. Datá ex duobus pluribusvè eligendi optimè, eá non uti. Nam vel neutrum est necessarium, vel unum, vel est aliud alio vilius meliusq;. Pauperem verè, non decet eligere meliora, quia is semper reperiet
C meliorem se, cui relinquat id quod sit melius. Unum, etiam necessarium, jam se ipsum assignavit, electionemq; exclusit. Sicuti & cum neutrum necessarium est, tunc enim neutrum eligendum apparet, quodsi tamen esset eligendum, eligat vel qui offert, vel qui præest.

32. Reposita in futurum usum, sed post tempus longinquum, apud se non servare, sed in communibus studijs conservanda reddere, ut si quis eguerit, etiam uti possit.
D Apud se enim talia servare ostendunt dominium, redolent proprietatem, affectum indicant, invidiam sonant, arguunt mercatorem, vel depositarium. Sed neq; in cõmuni ita deponendæ sunt res tanquam propriæ & sibi omninò olim reddendæ, sed tãquam communes & omnium, ac alienæ & restituendæ. Revera enim alienæ sunt, seu communes cum Religiosus quicquid acquirit, non sibi acquirat, quidquid operatur, non sibi operetur ac laboret, sed Religioni, domui, communitati.

33. In

33. In itineribus ab obedientia susceptis sumptus & onera vitare quam maximè. Viaticum si offerat Superior aliud aliquando non conquirere aliunde, sponte alicubi oblatum manibus Superioris consignare: in via sumptus non facere, neque præter obedientiam &c.

34. Munera, nec donare, nec acceptare libenter, etiam volente obedientia, magis consonat Paupertati, habere nihil quod donare possis; accuratissima excusatio est, pauperem se profiteri, quem decet nihil habere, consequenter nihil donare. Si tamen donandum sit, è penu pauperum sit. Neq; tanquam proprium detur. Donatum vero non sibi sed communitati accipietur, statimq; consignabitur manibus ejus, cui talium cura imposita est. Hæc similiaq; sunt Actus, sunt affectus, sunt effectus, sunt studia, viri Evangelici Religiosiq; Pauperis, exercenda ab eo, qui Paupertatis Votū emisit in Religione secundùm institutum Religionis, tenendo semper quod Vocationi consonat: Neq; extra metas prosiliendo, intra metas verô ad perfectionis summa enitendo. Hunc Paupertatis spiritum in Christi, Beatissimæ, Apostolorum, Sanctorumq; vitis & gestis expressum habemus, & sine dubio propterea, ut imitemur. Hunc spiritum tanquam in speculis intueatur Religiosus, & se in illis despiciat quantum sibi desit ad culmen Evangelicæ Paupertatis Christiq; pauperis imitationes dignoscat, conatumq; suum cum Dei auxilio exacuat, ut eum assequatur, &c.

CAPUT XII.

De duplici Avaritia Religiosæ Paupertatis inimica.



§ I. Avaritia est inordinata cupiditas rerum temporaliū, habendarum, retinendarūvè. Malitia Avaritiæ cōsistit in inordinatione, immoderationeq; cupiditatis, non autem in possessione bonorum temporalium. Non culpatur census sed affectus, & non substantia hujus mundi nocet, sed cupiditas eas habendi. Cum verò valde sit difficile habere divitias & non amare illas immoderate, itemq; carere illis, & non appetere & quærere illas inordinatè, propterea Christus Dominus in sua Evangelica, atq; in vita sua propria, ostendit consilium Paupertatis Evangelicæ, quo abjiciuntur opes hujus mundi, ut simul abjiciatur cupiditas & immoderatio ejus, quo nihil est efficacius ad excindendū radicitus avaritiæ affectum.

§ II. Contingit, ùt licet à Religiosis modo supra dicto abjiciantur omnes res temporales, per Votum etiam Paupertatis, soleat nihilominus etiam post Votum reperiri in illis inordinatio avaritiæ. Quæ ut intelligatur & intellecta expellatur.

Sciendum est, duplicem esse Avaritiam, unam possumus dicere sæcularem, quia sæcularium hominum propriam, quæ consistit in inordinata cupiditate habendi servandiq; bona temporalia propria, seu cum dominio & proprietate, liberaq; de eis dispositione sine dependentia ab ullo. Et hanc Avaritiam substantialiter Religiosus & Religio radicitus abscindit à se ut dixi per Votum. Nihil enim licet habere cuiquam proprium, cum libera & independẽte dispositione: alias si Religiosus vellet habere proprium privatumq;, non esset Religiosus sed sæcularis, & subjaceret avaritiæ pejori quam sæcularis, quia illius avaritia esset sacrilega, contra Votum Deo factum, esset furtum &c.

Alia avaritia est Religiosa, non quod sit

aut

aut permittatur in Religione, sed quia peccatur per illam à Religiosis etiam post paupertatis Votum emissum, quando videlicet Religiosus aliquis, esto non habeat, nec ha habere velit quidquā propriū appetit tamē habere superflua, vel pretiosa, vel acquirit aliquid sine licentia Superioris, vel abscondit aliquid à Superiore, neq; sibi auferri cōtentus est, vel nullum defectum, (quo d paupertatis est proprium experiri vult pative in se moderatè.

§ III. Hæc porro Religiosorum avaritia, non nascitur ex Religionibus, sed ex ipsis Religiosis: ijsq; non omnibus sed solùmmodò tepidis & delicatis, & viam Crucis paupertatisq; Religiosæ, non seriòapprehēdentibus. De quibus, peculiariter intelligendum, quod S Gregorius dixit: Avaritia non solet evenire illis qui viriliter currunt in via Domini, juxta illud: *Confortamini & estote robusti*, sed his maxime qui effrenato gressu gradientes, per blandimenta sæculi resolvuntur. Si igitur Religiosus isto genere avaritiæ laborare non vult, omninò statuat Christum pauperem exprimere in moribus vitaquè sua, qui cum dives esset, propter nos egenus factus est. Velit & ipse agere: velit, neq; ubi caput suum reclinet, habere, paupertatis Votum, quod vovit, velit ad literam servare, & explere illud quod S. Pater Ignatius in Regula expressit: *Persuadeat videlicet sibi, quod victûs vestitûs, & lecti ratio, & omnium eius utensilium, ratio erit, ut pauperibus accommodata: persuadeat sibi, futurum, atq; ita esse omninò debere credat, quod quæ vilissima erunt domi, ipsi ad usum, necessitatisq; ipsius subsidium dabuntur.* Ad Religiosum sic affectum nulli avaritiæ accessus patebit. Quantùm autem ad hoc tibi desit expende diligenter.

§ IV. Detrimenta, quæ Religiosus partim subit, partim facit, per suam jam explicatam avaritiam, sunt.

1. Voti sui reus efficitur coram Deo, & sæpè se exponit gravi periculo, ne dicam ipsi peccato, fereq; sacrilegus efficitur. Praeponit Creatori, cujus causa omnia per Votum dereliquit, & arbitratus est, ut stercora atq; detrimenta, præponit inquam Creatori & Christo rem leviculam cui adhærescit, & cujus causâ, in puritatem paupertatis peccat. Efficitur etiam Idololatra, quādoquidem cupiditas est Idolorum servitus. Præterea rescindit Pactum, Contractumq; cum Dei Providentia initum per votum, ejusq; Providentiæ renuntians, ad suum se convertit, destitutus autem curâ Dei, quomodo non extremis malis conflictari debet?

2. Quantum ad se ipsum, præter jam dicta, talis Religiosus involvit se multis & magnis curis & scrupulis: involvit se tentationibus & peccatis contra Votum, sive dū accipit sine licentia, vel etiam contra prohibitionem Regulæ aut Superioris; sive cū sordidè abscondit, timens ne apud se inven-
A tum accipiatur; sive dum ementitur, confingitq; causas non causas, tam coram Superioribus, quàm coram Externis, sive cum pluribus aliis modis, Voto suo vim facit, sive deinde cum obedientiæ repugnat, & scādali præbet occasionem, atq; ita caret conscientiæ pace & se omni sæculari miseriorem facit. Præterea non tantum in temporalibus sed etiam in Spiritualibus curam Dei à se avertit. Nullam enim habet fiduciam in Deo, nullam in oratione ad Deum
B fidem solidam, seu reverberari se sentit à conscientia sua & facie Dei, nullam in vita consolationem, nullam instante morte securitatem.

Adhæc efficitur homo instar avarorum & parcorum sordidus, morosus, abjectus, vilis, ridiculus. Etenim tenax est minimæ reculæ, & musculi aut corvi instar, quicquid potest, rapit & abscondit de qualibet commoditatula, quam apud alium fortè cernit litigat, murmurat, queritur, omnia
C ad se, omnia sibi attrahit. Servus assiduus vilissimarum rerum cupiditatisq; suæ, cuticulæ & gulæ, & demum carnis Dæmonisq; opprobrium & mancipium, impleturq̀ue in eo illud: & Monachum non fecisti, & Senatorem amisisti.

Talem Religiosum, si contingat alijs præesse aut curam gerere, nihil eo sordidiùs in prospiciendo aliorum necessitatibus. soli sibi bonus, ac sæpè nec ipsi sibi, omnibus onerosus: nulli bonus; communitatis
D turbator, Paupertatis Religiosæ pestis & eversor, providentiæ Dei inimicus, & in Deum, nullâ fide, nullâ fiduciâ præditus.

3. Quantum ad alios & communitatem Religiosam, talis Religiosus murum Religionis diruit, communitati & Superioribus Officialibusq; onerosus, exosus, scandalosus, injurius efficitur. Scandalisat alios, cum quibus vivit: nam vel ejus commoditates æmulantur, vel ijs invident, vel obtrectationibus obmurmurant, paceq; privantur,

tur, facit etiam exosam, aut abjectam & vilem Religionem totam ac Superiores ejus apud Externos, apud quos traducit ordinem, volens ab eis emungere subsidium suarum prætensionum, necessitatum, revera autem suarum cupiditatum. Inde fit, ut sæculares immisceantur peccatis illius, A obtrectentq; Ordini, Paupertati, & obedientiæ illius noceant, avertantur etiam ab ejus obsequiorum usu, metuentes, ne sumptuosa illis obsequia ista reddantur. Inde fructus animarum & gloriæ Dei impeditur, immo etiam ipse fructus temporalis deperditur.

CAPVT XIII.

De Causis & occasionibus degenerandi ab affectu Paupertatis.

§ I. SI Religiosus revocaverit sibi in memoriam, illum affectum suum quo reliquit mundum, omnesq; res illius, tunc quando primum ex sæculo exiens ad Religionem migrabat, tunc erat omninò ab omnibus rebus nudus, de nulla solicitus, nullius amans, nullius curans, de omnibus necessitatibus suis ex aliena, id est, ex Religionis cura securus & veluti certus, omnibus omnino contentus, omnium oblitus, ac veluti extra mundum & carnem positus extitit. Quali animo atq; dispositione vix quidquam est Deo gratius, quando propter Deum habetur, & quando cum eo Dei servitium initur. Tali enim animo obligat homo sibi Providentiam Dei, tali animo, efficitur aptissimus ad unionem immediatam (expulsâ scilicet cura & turba rerum creatarum) cum Deo. Quali animo, si semper Religiosi scirent esse præditi in eoq; perfici, solidari, & maturescere, nihil esset Deo gratiùs, vel Religiosis utilius, vel Religionibus honestius. In quo unusquisq; ipse sibi luculentus testis esse potest si meminerit pacis quietisq; suæ illius internæ, qua ab initio conversionis ingressûsq; in Religionem potiebatur ex ista nuditate & immunitate affectus ad mnes res.

§ II. Causa ob quam Religiosi ab illa nuditate affectûs, consequenter à pace cordis excidunt, nec una, nec unius generis est. Sunt enim hujus mali causæ, aliæ internæ, quamquam hæ verius occasiones dici deberent quàm causæ.

B Ex causis internis, una & prima est, naturalis, nostra, in vitium omne, ac speciatim in cupiditatem habēdi pronitas. Quia enim eadem sunt conservativa rei principia, quæ & constitutiva fuerunt: cùm nos ex rebus creatis pluribus varijsq; constituamur, ijsdem indigemus. Cui indigentiæ nos præ omnibus libenter obsequimur, quia nos præ omnibus proximi nobis esse, sensumq; Indigentiæ, commodum sufficientiæ experiri videmur. Inde in nobis cupiditas C rerum & quidem talis, quæ modum tam acquirendi, quàm habendi, quàm utendi nesciat. Hanc cupiditatem nos per Religiosum statum Votumq; in nobis (veluti omnis mali quod avaritia importat fontem) extinguere conamur, & aliquando etiam extinxisse videmur, sed tamen, quæ est naturæ nostræ fragilitas, sensim hujus fontis rivuli, hujus radicis ramusculi in nobis erumpunt, & repullulant, præsertim si accedant rationes & motiva impellētia, de quo- D rum aliquibus in sequenti puncto.

Est verò ex internis causa 2da. Tepiditas & Ignavia mentis, qua Homo Religiosus horret effectus & experimenta Paupertatis Christi, Indigentiam nimirum & dependētiam, sed molli & ad sensum prono animo, in commodorum consectationem, fugam autem incommodorum propendet, & indequè ad vana indigna statu Votoq, Paupertatis

tis descendit, de quibus superiore meditatione dictum & consideratum est.

§ III. Ex causis sive occasionibus externis, una & prima, ob quam Religiosi redeunt nonnunquã ad affectus & actus paupertati contrarios, sunt bona temporalia in sæculo relicta. Quia enim non possunt his statim re ipsâ plenè, tam quoad usum, quàm ad dominium proprietatemq; renuntiare, in ipso primo Religionis ingressu, sed impedito tantùm usu, Dominium nihilominus retinent, quo Dominio quandoq; uti opus habent, inde cupiditati occasionem, ut recrudescat sumunt eî quosdam actus, non consonos paupertati, committunt. Hujusmodi sunt.

1. Confidere in illis bonis, & veluti nidulum spei collocare, ad eaq; refugere saltem animo ac desiderio in aliqua occasione, vel necessitate, vel molestia turbationeq; aliqua. In qua, aliquando ita miserè se gerunt Religiosi, ut spe fulti bonorum suorum, faciles sint etiam ad vacillandum in vocatione.

2. Optare, aut etiam operam dare morasq; & causas ex causis nectere, ob quas liceat non pervenire ad plenam abrenuntiationem bonorum etiam quoad dominium eorum.

3. Bonorum resignationẽ facere in manus carnis & sanguinis, minimæ indigentis, nec more Eleemosynæ, sed merè affectu sæcularium proprio ad consanguineos aut etiam spe subsidij ab ijsdem.

4. Eo tempore quo dominium retinetur in bona, uti ijsdem bonis independenter à voluntate & directione Superiorum, uti autem per se vel per alium, uti disponendo, dispensando, donando, uti in proprium vel aliorum commodum. Etsi enim Religio (v. g. Societas) nullum omnino jus habeat ad omnia bona suorum qui adhuc dominium habent rerum suarum, habet tamẽ jus, ut sine Superiorum scitu usus illorum non fiat.

5. Etiamsi quis cum permissu Superiorum aliquibus bonis suis utatur, tamen uti cum quodam affectu appropriationis, eum etiam re ipsa & sermone declarando, ut v. g. retinendo penes se tanquam proprium, tractare tanquam rem suam, à se sua pecunia comparatam, idq; in sermone communi cum quodam gustu & zelo denarrare.

6. Cognatos & affines libenter adire ad eos de via deflectere, ab ijs subsidium accipere, seu pro via sua, seu pro aliis opportunitatibus, etiam cum facultate, etiam specie parcendi sumptibus Domûs & Religionis &c.

§ IV. Altera extrinseca causa seu occasio, in qua Religiosi nonnunquam redeunt ad affectus & actus parùm consonos Voto

A & amori paupertatis est occasio bonorum Religionis: propter quæ aliquando Religiosi nonnihil delinquunt variis actibus in paupertatis sinceritatem. 1. Appetere rerum temporalium abundantiam copiamq; ex amore illarum & ex horrore indigentiæ paupertatisque. 2. Appetere mansiones in talibus locis domibusq; in quibus vel sit vel facilis sit copia rerum, benefactorũ &c, defugere autem opposita. 3. Gaudere de alicujus loci abundantia, vel Superioris liberalitate, aut potiùs laxitate in ma-

B teria paupertatis. 4. Exigere non receptam communiter abundantiam victûs potûs &c, tantùm ideo quia locus abũdat. 5. Sumptus exigere vel facere, vel ut fiant causam dare minùs necessariam. 6. Curare vel conservare negligenter res domûs commissas vel ad usum datas ex hac præsũptione, quia locus abundat. 7. Molestè ferre congruam liberalitatem, caritatem vè in domesticos, vel hospites, Eleemosynas quoq; in mendicos ex quadam tenacitate.

C 8. Tenacem esse in suppeditandis necessariis, usitatisq; in Religione, Fratribus. 9. In suppeditando delectum facere, & quibusdam profusiùs, licet non egeant, suppeditare. 10. Expectare, aut etiam exigere, ut ratione spiritualium obsequiorum, temporale quod offeratur, vel afferatur, libentiusq; ibi servire ubi sit spes, quàm ubi non ita appareat temporale lucrum.

§ V. Tertia extrinseca occasio, in quâ Religiosi nonnunquam tepescunt in amore paupertatis & declinant in affectus actusq;

D illi inimicos, est occurens necessitas, seu vera, seu putata, seu fucata. Dum enim necessitatibus aliquibus premitur Religiosus, quarum remedium justè rationabiliterquè petere potest, & mos Religionis obtinet, sensim solet irrepere, vel nimia cura solicitudoq; & inquietudo, vel amarities mentis & murmuratio, vel amplioris subsidij cupido, vel impertinens in futurum etiam provisio, aliiq; minus consoni Paupertatis spiritus affectus. Religiosus ergo, ita necessi-

necessitatibus prospectum ibit, ut non declinet in prædictos scopulos, sicut ita comedendum est, ut à necessitate non declinet in voluptatem & nimietatem &c. sed de hac causa actum quoq; supra est, ubi de portis quibus laxitas in Religionem subintrat.

Quarta extrinseca causa seu occasio, est imitatio exemplorum alienorum. Dum enim Religiosus unus, videt alium abundantem, vel habentem hæc & illa accenditur statim æmulatione exempli, & similia appetit, curat, poscit: confert se alteri, immò etiam præfert necessitati alienæ. Inde studia, curæ, artes, alijq; similes & noxij Paupertatis affectus effectusq; de quibus supra etiam dictum. Bonus certè Religiosus sicut in nullo alio puncto, ita maximè in Paupertatis Voto, vivet ad exemplum, sed ad Regulam, neq; sibi proponet ad imitationem tepidiores, aut infirmiores, sed perfectiores, ac in primis Christum ipsum pauperem. Sicut ipse nollet esse exemplũ deteriorum ire: sed potiùs studebit ipse, alios, exemplo suo bono tum avocare ab injurijs Paupertatis, si qui illas faciant; tum cõtinere alios, ne illas faciant, opponetq; exempla exemplis, propter infirmiores.

A

DE VOTO CASTITATIS CAPVT I.

De Natura Excellentiaq; Castitatis Religiosæ.

I. Natura Castitatis Religiosæ, sive Voto in Religione Deo promissæ firmatæq; sita est, in puritate, munditia, integritateq; mentis & corporis; per quam propter Deum, Religiosus se ipsum, id est, cor & corpus suum servat ab omni impura cupiditate liberum, & ut loquitur Apostolus in sanctitate possidet vas suum, nec illud in voluptates ac illecebras sensuum diffluere sinit, sed potius arcta quadam etsi discreta severitate illud continens, coercens, passionesq; ipsius refrenans, in carne non secundum carnem militat, & in obsequio Dei vivit. In hac naturæ Castitatis explicatione, bene penetranda & ad animum demittenda, meditans, operam ponat opus est, & potissimum ut advertat, castitatem Religiosam tam in animæ seu cordis, quàm in corporis puritate munditiaq; consistere, 2. Ut advertat ad id assequendum necessariam esse Religioso, quantùm ad munditiem animæ, fugam omnium impurarum cupiditatum, quantùm verò ad puritatem corporis, requiri fugam voluptatum & illecebrarum sensualium. 3. Opus est ut advertat, ad totum hoc negotium, quantùm ex hominis parte est, discretam quidem, attamen rigidiorem vivendi rationem, severitatem, qua tam effrenibus passionibus, præsertim in voluptuosa pronis, quàm ipsius corporis sensibus & membris mollia & delectabilia appetentibus, & per ea lascivientibus adhibendam esse, alioqui non erit possibile, ut castitas Religiosa, eum vigorem habeat, eosq; fructus Religioso homini proferat, ad quos est divinitus instituta in statu Religiosæ perfectionis. Si quæ enim virtus, duris & asperis nutritur, mollibus autem enervatur, castitas maximè.

B

C

II. Excellentiæ Castitatis variæ sunt. 1. est

est quia incorruptio proximum facit Deo & Angelis ejus, utrumq, asserit veritas divina, neq; dubitari de eo potest, neq; Hyperbolicis ac nimiis exaggerationibus id adscribi debet, Quo posito, quid potest excellentius de castitate dici vel cogitari? quàm quod ex hominibus Angelos, eosquè Deo proximos faciat? Certe si castitas facit Deo proximos, debet prius facere eosdem valde similes ac ejus naturæ multum participes. Nemo enim est Deo proximus, nisi sit ei multum similis, consequenter apud eum gratiosus. Quod autem castitas Deo proximum faciat, ex eo inprimis patet. Quia cum castitas & luxuria, sint oppositæ sibi res, & per luxum carnis, homines efficiantur brutis & bestijs similes, hinc per oppositum necesse est, ut per castitatem efficiantur Deo vicini: & sicut per voluptates carnis homines infra rationalem statum descendunt ad belluinum, ita necesse est, ut iidem homines, per castitatem ascendant supra humanum statum, ad Angelicum scilicet atq; divinum.

Et insuper quemadmodum voluptas carnis, ideo homines sibi deditos, infra etiam bestias detrahit: quia quod in belluis voluptas illa facit, ex earum natura & necessitate, utpote libero arbitrio & rationis dominio destitutis, hoc facit in hominibus ex propria eorum voluntate & spontanea in brutas voluptates descensione: quod sine dubio est abiectiùs, sponte nimirum esse belluam, quam naturâ. Ideo contrario modo castitas, ideo supra Angelos quadam ratione evehit castos homines, quia quod Angeli sunt natura suâ, hoc per castitatem, homines sunt voluntate spontanea, ita ut Angelis, castitas, non sit virtus, sed tantum naturalis conditio & felicitas: in hominibus autem castis, sit heroica virtus, & voluntatis liberæ, gratia Divinâ roboratæ conatus atq, resolutio, ut proinde in Angelis castitas quidem sit felicior, sed in hominibus fortior, in Angelis sine merito & præmio.

2da. Castitatis excellentia est, quia castitas, eum præstat hominibus sui cultoribus statum, in hac adhuc mortali vita, quem exhibebit Electis Dei in futuro sæculo Beata vita, de qua Christus Dominus asserit: In resurrectione, inquiens, neq; nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei. Atqui hoc iam habent casti homines in hac vita, proinde iam habent portionem beatitudinis futuræ adhuc in præsenti statu. Non ergo mirum esse debet, quod castitas evehat homines supra alios status hujus vitæ, voluptatum etiam licitarum usui obnoxios; qui, ut loquitur Apostolus, ut divisi sunt, & tribulationem patiuntur, & solliciti quemadmodum placeant, non Deo, A sed carni & mundo. Contra autem casti ab his tribulationibus divisionibusq; liberi, solliciti sunt, quomodo placeant Deo, ut sint sancti corpore & spiritu: Non inquam hoc debet esse mirum, quandoquidem castitas, etiam supra hujus mortalitatis conditionē evehere novit cultores suos.

Tertia Excellentia castitatis est æstimatio illius, quam habuit apud Christum, quæ res satis ex eo elucescit, quod tota Christi vita castitatis sit, & quidem perfectissimæ tum cultura tum exemplar. Quàm B coluerit Christus Dominus castitatem ostēdit hoc ejus conceptio ex Virgine. Item nativitas illibata & sine ulla Matris injuria. Item totius Vitæ series, in qua, nec umbra nec vestigium alicujus immunditiæ apparet. Necesse est ergo maximè à Christo Domino æstimatam fuisse castitatem, quā videmus in tanta perfectione cultam in omni vita suâ. Neq; autem in se solo Christus eam virtutem coluit, verum etiam in alijs, nimirum in Matre, quàm Virginē æternam esse uoluit. In Iosepho Patre suo C putatitio, in discipulis, quos quàm primùm vocavit ad discipulatum, statim etiam vocavit ad castitatis culturam. Accedit quod Christus non voluit cultum castitatis ullo præcepto imperare, sed dixit, *Qui potest capere capiat*, & iterum: *Non omnes capiunt Verbum hoc, sed quibus datum est.* Quæ ratio suadendæ fidelibus suis castitatis perpetuæ ostendit maximum illius apud Christum pretium.

Quarta Excellentia eo, quod castæ D mentes speciali modo efficiantur gratissimæ Deo habitationes, ita ut in eis libentiùs præ aliis Divinitas inhabitet, sicut in immundis solent specialiter dæmones nidū suum & spelæum collocare.

Quinta Excellentia est: quia castitas efficit animam maximè capacem donorum Dei, & quidem singularium, & in gradu excellenti v. g caritatis, orationis, familiaritatis cum Deo, protectionis ejusdem, præsentiæ ejusdem gratiarum actualium qui-

bus

bus illustratur mens, & inflammatur voluntas ad omne bonum, aliorumq; similium etiam extraordinariorum, quod ideo fit etiam quodammodo connaturaliter, quia scilicet castæ mentes sunt magis aptæ ad divinæ lucis radios excipiendos, sicut aqua pura, vel vitrum crystallumvè radiis solis penetratur, & ad alia lucem transmittit purissimam & solari æmulam.

A Sexta Excellentia castitatis, quod cum puritatis cultricibus animabus libenter Angeli, ac potissimum Custodes conversantur, specialemq; earum curam in omnibus occasionibus occurrentibus habent, idq; non eò tantùm, quia tales animæ sunt valdè similes Angelis, aptæq; valdè ad recipiendã custodum directionem, sed multò magis quia (& hæc est

Septima castitatis Excellentia,) per castitatem præsertim Voto stabilitam, animæ efficiuntur sponsæ Divinæ Maiestatis & Spiritus Sancti peculiari ratione, gratissima habitacula, immo templa in æternum dedicata, & nunquam contaminata, & quidem non tantùm secundùm ipsas animas, verũ etiam secundùm corpora, pro quorum puritate non minus tales animæ zelant, quàm pro sua propria.

Octava castitatis Excellentia, est propria Religiosa, & non est communis ulli alteri, quia nimirum habet magnam & facilitatem ut observetur, & securitatem ut à periculis defendatur, & incitamentum, ut diligenter excolatur. Etenim status Religiosus naturà sua plenus est, & mediis & auxilijs ad ejus observationem, exclusa habet procul omnia ejus pericula, deniq; plura ad ejus curam invitantia exempla. Omnes enim quotquot in Religione vivunt, & Religiosi sunt, per hoc sunt, quia castitatis Votum emissum servant cujus oppositum est in aliis statibus, in quibus, etiam si castitas voveatur Deo, non subtrahitur tamen difficultatibus, non periculis, non exemplis obviis invitamentisq; ad ejus injuriam. Quocirca Religiosis vix aliqua est difficultas in ejus Voti observatione, dummodo utantur bene mediis auxiliisq, sibi ad castitatis observationem, à Religione &

B à Deo provisis atq; institutis de quibus medijs, erit inferiùs meditatio, hoc tantùm punctũ excitare debet in nobis æstimationẽ Voti castitatis, tum totius Religiosi statûs Vocationisq, ex cujus beneficio, in tanti thesauri conservatione tantopere adjuvamur, tum deniq; diligentiam usum omnium mediorum &c,

CAPUT II.

De differentia Voti Castitatis, ab alijs Votis, deq; mediorum & graduum ejusdem diversitate.

E Castitas Religiosa ejusquè Votum, in hoc differt ab alijs duobus Religiosis Votis, scilicet Paupertate & Obedientia. Quod Paupertas & Obedientia, etiam voto firmata, possit esse magis vel minus perfecta, in una Religione quam in alia, Castitas autem non possit esse perfectior hic, imperfectior alibi, sed in omnibus Religionibus æquè perfecta & absoluta vovetur, quoad ejus substantiam, absurdum enim esset, si in una Religione Religiosi tenerentur esse ex vi Voti casti per omnia, tam scilicet quoad cogitationes

C quàm quoad verba, quàm quoad opera, quàm quoad phantasias & imaginationes, in alia autem Religione liberum esset fovere minus castas cogitationes, & imaginationes, vel minùs honestis verbis uti, &c. Esset, inquam, hoc absurdum & non esset castitatis Votum sed impuritatis. Cum tamen

men absurdum nullum sit, in una Religione esse strictorem paupertatem vel Obedientiam in alia non item. Nam in quibusdam Religionibus vovetur, Obedientia, tantùm secundùm Regulam, extra Regulam, vel supra illam, non obligatur Religiosus obedire: at vero in Societate IESU, Obedientiæ non tantum non ponit limitem Regula, sed potius omnem A limitem tollit, & obedire jubet Superioribus, in omni re in qua non sit manifestum peccatum. Similiter in aliquibus Religionibus paupertas tantùm excludit proprietatem, & possessiones privatas, in communi autem concedit habere bona propria; Religio autem S Francisci & Societas Professa, ne in communi quidem potest habere quidquam, reditusve stabiles ac certos, sed puris eleemosynis debet vivere, hoc autem discrimen castitas non patitur, sed ubiq; & semper, cum eadem perfecta mentis B & corporis paritate servanda est, cogitationum, verborum ac operum.

II. Media & auxilia conservandæ ac promovēdæ consequendævè Castitatis possunt & solent esse diversa in diversis Religionibus: & alia alibi perfectiora, atq; consequendæ vel tuendæ castitati efficaciora. Et secundùm hanc mediorum ad castitatem assequendam vel tuendam perficiendamq; majorem aut minorem perfectionē efficacitatemq;: potest una Religio esse perfectior quàm alia. Et quamvis non sit o- C pus in præsenti comparationes instituere, tam mediorum quàm multò magis Religionum, tamen hoc pro sua consolatione filij Societatis nosse debent magniq; æstimare, ac diligenter usurpare, inq; posteras ætates transmittere, quod quæcunq; in Ecclesia Christi inq; SS. Patrum doctrina & praxi sunt recepta & commendata castitatis tuendæ ac assequendæ & perficiendæ media, hæc omnia complexa est Societas, & suis filiis, partim ea præcipit, partim pro cujusq; ne- D cessitate ac utilitate spirituali, ad bonum perfectionemq; castitatis concedit. Quibus quando utuntur, immo, quia per Dei gratiam utuntur homines Societatis diligenter, ea propter castitatis virtus, & cultus, ejusq; perfectio in Societate ab ejus filijs, cujuscunq; sint ætatis cum magna facilitate obtinetur servaturq;, non absq; maximo Divinæ super Societatem benedictionis, mediorumq; eorum, quorum Societas in suis filiis castitatem promovet, efficacitatis argumento.

III. Considera, castitatē etsi in sua substantia in Religionibus omnibus eadem & æquè perfecta sit, ac esse debeat & voveatur ut supra dictum est, tamen propter diversitatem Divinæ gratiæ plus minusvè abundātis, nec non propter Divinam voluntatem, diversimode, ex occulto, attamen justo judicio, dona sua dispensantem, necnon deniq; propter diversam diligentiam in usu mediorum præscriptorum, aut etiam propter variam complexionum aptitudinem varios gradus perfectionis habere, secundum quorum aliquos, ab omnibus obtineri debeat, secundùm aliquos autem, non est quidem obligatio ut obtineatur omninò est tamen desiderabile ut obtineatur, & Dominus Deus evehere aliquos servos suos solet ad eos, ut alij habeant quod æmulentur, quodq; illos ad supplicandum *Deo*, & ad humiliandum se accendat. Gradus autem sunt hi.

1. Est nunquam consentire scienter ac advertenter in ullam noxam mortalem castitati mentis corporisq; contrariam.

2. Est pari diligentia vitari peccata, licet solum venialia, puritati contraria, ideoq; nullis immunditiis cogitandis vel imaginandis advertenter immorari, sed sic eas animadversas excutere, quomodo excutitur scintilla ignis in faciem forte insiliēs.

3. Nullius objecti aut personæ intuitu, conversatione, approximatione, moveri, seu titillari, vel certè admodum parum, illicoq; se ab ea expedire. Ad quod utilissimum est, sic assuescere cum omnibus agere, omniaq; intueri, quomodo agimus cum statuis, aut quomodo parietes intuemur, sine ulla impuritatis in mente vel sensu nota, & sine ulla reflexione ac descensu mentis ad impura.

4. Est cavere, & immunem esse ab omni bruto mentis & carnis motu in vigilia, qui rationi adversetur. Quem ad gradum perveniunt cum Dei gratia ij, qui mentem suam piis, saltem necessariis utilibusq; & propter Deum occupatam, nunquam autē otiosam, & oscitantem habent. Qui enim mentem suam, cogitativamvè facultatem non occupant seriis, & ad Dei obsequium spectantibus rebus ac obiectis cogitandis, non mirentur, si mente impingant in sordes, vel eæ sponte in mente phantasiaquè ena-

enascantur, perinde ac fungi ex terra erumpunt aut urticæ sine cultura, solius terræ neglectu.

5. Est etiam in somnis nihil pati quod mentis corporisve puritati adversetur. Est enim hoc signum defecatæ mentis, & oblitæ turpitudinum, vigilantisq; circa animã Divinæ gratiæ, & Angelicæ custodiæ, quæ arcens omnia impura, sola sancta, aut certe sanctitati non adversa, admittat ad Imaginativam dormientis hominis.

6. Gradus est. In audiendo, vel legendo tractandoq; ejusmodi materias, quæ naturâ suâ continent hæc sensualia brutaq; obiecta. Uti necessariò accedit, dum confessiones peccatorum audiuntur, dum necessaria scitu doctrina de his materiis traditur vel discitur: sic defecatè & integrè tractare ut si de lapidibus, de lateribus, de ædificiis tractatio sermove haberetur. Hic enim habet illud locum: castis omnia casta. Quemadmodum radius solaris æquè incedit per lutum, per aurum, nihil sordium contrahẽs ex luto & cæno.

Ex his sex gradibus castitatis ad primum omnes omnino tenentur: alioqui substantia castitatis corruit, & Votum sacrilegè frangitur. Ut autem primus securè teneatur gradus, necesse est etian secundum diligenter ab amatore castitatis servari & curari. Ex his autem duobus paratur ascensus ad reliquos, adiunctis mediis, tum ibi expositis breviter, tum etiam inferiùs dicendis & super omnia invocatò Dei auxiliò. A Societatis hominibus tertius & sextus gradus est magnopere necessarius: utpote ad conversationem cum proximorum omni genere vocatis: ad quos gradus ipsa Vocationis gratia mediorumq; efficacia quantum in Societatis personis ordinariè faciat: experientiâ quotidianâ docemur in omnibus ferè personis nostris: ita ut non possit dubitari, quando hoc donum Dei sit peculiare vocationi ad Societatem mediisq; illius divinitùs ad nexum. Quibûs omnibûs magnopere excitari debet quilibet Religiosus, nominatim B autem Societatis, ad amorem curamquè castitatis in gradu perfectissimo obtinendæ ad utendumq; mediis præscriptis: hoc est enim ad Angelicam puritatem mẽtis & corporis munditiã eniti iuxta Regulam Societatis.

CAPVT III.

De Diabolo castitatis hoste primo, ejusq; oppugnatoribus & oppugnationum finibus variis.



I. Ciendum Deum aliquando velle, aut permittere ut tentemur contra castitatem, idquè varias ob causas & fines, suæ sapientiæ notos, voluntatiq; placitos. Aliquando enim vult nos tentari in pænam præteritorum peccatorum, ut per quæ quis peccavit, per eadem etiam puniatur & satisfaciat justitiæ Dei, tantòq; intimiùs detestetur peccata præterita, & fugiat futura, quantò amariorem eorum fructum sentit. Aliquando vult nos Deus tentari ad humiliationem, & nostri ipsorum notitiam, dequè nostris viribus diffidentiam aliquando vult nos tentari ab his tentationibus ad excitan C dam mentem nostram à torpore & socordia in servitio Dei. Aliquando ad eruditionem & experientiam nostram, aliquando ut discamus compati, ac mederi aliis sic tẽtatis. Et in his causis, aliquando nos tantùm tentari vult, cadere autem non permittit, aliquando autem, etiam cadere permittit, ex occultis suis judiciis, semper tamen justis.

Et cum in hac materia lubrica, homo sit

ſit valdè labilis & fragilis, propterea curare debet, & cavere, ne unquam ſua culpa aliqua, juſtam Dei indignationem derelictionemq; provocet, ſed ſemper quidem ac ſpecialiter propter materiam caſtitatis, cum timore & tremore ſalutem ſuam operetur, & incedat ſolicitus, vigilis, coram Deo humilis: petens ſe à tentationibus talibus ſi non præſervari ne illas patiatur, ſaltem cõſervari, ne in illis labi permittatur.

II. Conſidera Diabolum eſſe ſpecialem inimicum caſtitatis, incitatorem autem libidinis. Quia enim bene novit ad hoc peccatum homines eſſe valdè proclives per omnem ætatem vitæ ſuæ, ac per hoc facilè labi, & tentationibus ſuccumbere, ideo peculiariter hac ex parte homines tentare conſuevit. Cæterum non ſemper cum Religioſis & timoratis conſcientiis tentandis, unum eundemq; finem habet, ſed varios contentus, ſi non poſſit magnum lucrum habere tentationis, nempe lapſum in peccatum, habere ſaltem aliquod commodum, id eſt, hominis tentati & in tentatione non ſatis cauti damnum. Itaq; aliquando Diabolus tentat Religioſum hominem craſsè ad peccatum grave ſolicitans, aliquando autem hoc ille, nec ſperat, nec intendit niſi remotè, &, ſi ſe inſperatus ſucceſſus offerat: ſed intendit turpibus cogitationibus imaginationibuſq; brutis ac ſenſualibus, maculare animam ſeu mentem, non maculare peccato, ſed ipsa cogitationum quantumlibet à vigilante anima reiectarum fœditate. Quomodo, qui lutum in parietem vel veſtẽ alicuius iacit, ſcit inibi non tolerandum, ſed tamen veſtigium maculamq; à luto relinquendam.

Aliquando tentat ad vexandum, ad contriſtandum & affligendum hominem; & hoc facit ut plurimùm ferventibus, & quos videt plus bonæ voluntatis habere ad obſequium Dei, quàm illuminatæ rationis. Tales enim præ amore puritatis & odio impuritatis, non diſcernunt inter ſenſum & cõſenſum, & tamen in ſe advertunt cogitationem, & motuum beſtialitatem ac turpitudinem, putant ſe peccaſſe, putant ſuas eſſe cogitationes, quæ ſunt tantùm diaboli ſuggeſtiones: inde anxii, perplexiq; fiunt, triſtantur, affliguntur, & hæc illorum afflictio, eſt diaboli conſolatio, atq; ex tentatione fructus.

Aliquando ſuggerit diabolus haſce ſordes, ſaltem ad hoc, ut earum memoriam refricet in anima, & veluti obliteratas melioribus, antiquas ſuas ineptiaſq; imagines, novis ſuis reminiſcentiæ coloribus innovet, ſicq; de nitore animæ caſtitatem zelantis aliquid deterat.

Aliquando ſuggerit eaſdem fæces, ut animam melioribus occupatam, & occupandam avocet ab iis, & deſtineat his ſuis ſordibus, tempuſq; illi ſuffuretur ad pia & neceſſaria & obſequium Dei concernentia, quo tempore elapſo tentator ceſſat & recedit: ſed tamen lucrum recepit, quia tempus eripuit, ad obſequium Dei ſterile mancumvè reddidit, quomodo ſolet facere cum communicaturis pijs hominibus: hos enim ut avocet à Sanctis & ardèntibus actibus quibus ſe ad recipiendum SS Sacramentũ unionemq; rectam cum Deo, erant diſpoſituri, & uberem fructum communionis percepturi, injicit illis aliquem vel ſcrupulum peccati, vel diſtractionem pro tunc impertinentem, vel cogitationem ſordium, aut quid ſimile, cum quo illi dum ſe incautè & anxiè occupant, tempus ad præparationem ſuam devotam perdunt, aride ad communionem accedunt, aridi, recedunt, & ſeſe dæmoni irridendos incauta diligeatia excutiendi vel examinandi tentationes ſuggeſtas propinant, quas tamen ſcrupuloſitates & tentationes poſt tranſactam Communionem vel orationem evanuiſſe experiuntur, ceſſante ut dixi tentatore, & ſuo lucro improbo, id eſt, pii hominis damnosè contẽtante.

Aliquando ſuggerit haſce ineptias beſtiales ac ſenſuales importuniſſimè obtrudendo eas & unam ex alia nectendo ac unam alteri innectendo ac ſuperaddendo, idquè veluti ex omni parte animam infeſtans & invadens facit, adeò obſtinatè & importunè, ut videatur ſibi eſſe mens planè obruta, & in medio infernalium turpitudinum poſita, nec poſſit reſpirare in lucem & quietem & puritatem aliquam, per ingruentia obtrudentium ſe tentationum, perinde ac fit, quando hominem viatorem canes multi, undiq; erumpentes circumſiſtenteſq; illatrant & mordere volunt, quorum unum ſi perſequi & attingere velis, perſequuntur alii à tergo, à latere, à fronte &c.

III. Remedia his omnibus diaboli finibus eludendis, elidendiſq; opportuna adhibenda. Et quidem univerſale eſt invocare di-

re di-

se diligenter humiliterq; Dei auxiliũ cum sui diffidentia, & in Deo fiducia, quæ in nobis crescat tantò amplior & firmior, quantò videtur esse hostis validior. Tunc enim signum est quod Deus magnam hostis nostri superbiam ac malitiam disponat multum confundere & conculcare, per suam quidẽ omnipotentiam, at per mediantem nostrã infirmitatem.

Ex quo secundum remedium nascitur contemptus & irrisio quædam Diaboli, qui cum sit Angelus, spiritusq; purus, naturâ nobilis, propter nequitiam suam non erubescit contra naturæ suæ nobilitatem, immundissimas istas belluisq; proprias sordes tractare, ac suggerere animabus in Christum credentium ac Deo servientium.

Tertium remedium ex primoribus manat contemptus harum sordium suggestionumq; ita, ut eas homo veluti non sentiat, aut quid sibi velint, non intelligat: nullumq; quoad fieri potest, signum det non tantùm molestiæ aut tristitiæ vel anxietatis sed ne animadversionis quidẽ ad sordes Diabolicas, sed dissimulanter agat alia omnia, seu quæ præ manibus habet, seu quæpiam alia sancta & bona saltem, quibus immergat suaviter & seriò mentem, quod si fecerit, experietur omnes Diaboli nequitias, sive in corde, sive etiam in corpore excitatas, sine labore ullo & veluti gratis tabescere evanescereq; sicut umbras, aut sicut nivem coram igne.

Est hoc remedium tanti faciendum in hac materia, ut post Dei auxilium nullum pluris, quia nullum directiùs immediatiusq; nequitiam Diaboli evertat, & in caput ipsius convertat. Estq; universale ad omnes supra enumeratos fines Diaboli tentantis evertendos. Quia enim nos naturâ A sumus in hoc malum proni, facileq; ejus sensu penetramur, penetrati in lapsum rapimur consensumq;, oportet ut qui tentationem talem vult vincere, nec ab ea ullô modô lædi seu audiri, ut se non sinat ab ea penetrari, non penetrabitur, si ad eam curabit non advertere, non advertet, si dissimulata in se & veluti ignota ad alias bonas cogitationes, advertentiam mentis avertet, qua defixa in aliis rebus cogitandis, non est possibile, ut vel lædant diabolicæ sugge- B stiones vel maculent, vel molestent, vel fatigét, immo non est possibile ut non cessent & evanescant, dummodo sicut sentit fortasse Diabolum esse obstinatum in sordibus obtrudendis, sic ille contra obstinatus sit, cum omni suavitate, ac sine fatigatione, immo cum Dæmonis interno contemptu, in Deum autem fiducia, ad contẽmnendum Diabolum & illius omnes tentationes ne intelligendas quidem, sed ne- C glectu & dissimulatione, aliarumq; rerum cogitatione & tractatione eludendas. Quæ obstinatio mentis tam est facilis, quam necessaria & salubris, dummodo ipse homo sit rationis rectæ & monitorum sibi salubriter traditorum amans & servus, potiùs quàm suarum timidarũ Phantasiarum & scrupulositatum, sub specie securitatis minimè securè decipientium, & Diabolo in damna nostra maximè servientium.



CAPVT IV.

De carne & ſenſu Caſtitatis hoſte, ſecundo.



Ecundus ſed Principalis, atq; etiam Capitalis Caſtitatis hoſtis eſt caro, ſenſus, concupiſcentia noſtra. E diametro enim inter ſe pugnant carnalitas, ſeu carnis & ſenſuum cupiditas ſeu voluptas & caſtitas, illa in voluptates effrenis eſt; nec attẽdit ad licitas vel illicitas dummodo ſint voluptates; Caſtitas contra Religioſa & Votô firmata, omnes voluptates; illicitas pleraſq; etiã licitas, excludit neq; attẽdit parvane ſit, dummodo carnis & ſenſus voluptas, jam hoc ipſo eſt illi hoſtis caſtitas. Quare nullum eſt Caſtitati durius, nullum periculoſius bellum quàm cum carne propria, nam & caſtitas nunquã eſt ſine carne, & tamẽ nunquã eſt periculoſiùs quàm cum carne. Caſtitati caro eſt hoſtis & eſt Civis. Caſtitas cum perſequitur hoſtem, carnem cavere debet, ne interficiat Civem carnem: & contra cavere debet, ne dum fovet Civem carnem, nutriat hoſtem carnem. Ex quo videre licet, quàm difficilè periculoſum, propinquum, aſſiduum & obſtinatũ habeat bellum Caſtitas cum carne & carne.

II. Noveris carnem non tantum eſſe inimicam quaſi ipſam ſolam caſtitati, ſed præterea habere plurimos veluti milites ſibi contra Caſtitatem auxilium ferentes. Horum alij ſunt prorſus latentes in carne, ut ſunt, concupiſcentia & amor ſenſualis in delectabilia propenſus, cui tanquam principali Duci militant reliqui affectus atq; Paſſiones humanæ: quales ſunt, deſiderium, gaudium, dolor, triſtitia, timor, ſpes, deſperatio, ira, audacia. Similiter phantaſia, & imaginatio, nec non aliæ potentiæ carnis & ſenſualitatis.

Quibus accedunt ad eandem militiam oppugnationemq; caſtitatis, alia vitia ex peccatis contracta, potiſſimum, gula, luxuria, acedia. Alij verò milites carnis, ſunt quidem & ipſi in carne, ſed tamen foris proſtant: & iſti ſunt velut portæ omnium malorum, quæ caſtitati bellum indicunt. Tales ſunt viſus, guſtus, auditus, odoratus, & tactus. Alij adhuc ſunt omnino ex-
A tra carnem foris poſiti, ſed qui per ſenſus externos tanquam per feneſtras aut portas apertas, jaculantur ſeu flammas, ſeu ſagittas venenatas beſtialium delectationum, quibus inflammant & exacuunt carnem contra Caſtitatem. Hæc tanta hoſtium multitudo Caſtitati eſt ſuperanda, qua tamen illa minimè terretur, quando eſt in Religione & Voto firmata. Habet enim ut ſupra dictum eſt, maxima auxilia, qui-
B bus utendo, nullô negotio omnes debellat, maximè cum in ſtatu Domoq; Religioſa plurima prædictorum militum carnis, habere locum non poſſint, eo quod illos paupertas excludat fere omnes, & ſi quos admittit, tales illi ſunt, qui hoſtes vix eſſe poſſint. Aliis quoq; militibus imponit magnum frenum roboriſq; multum aufert, tum Caſtitas, tum Religionis diſciplina, ac ſtatus Pœnitentiæ, qui facit ſenſus exter-
C nos mortificari, paſſiones frenari, vitioſos habitus expugnari, & foras pelli: quo fit, ut caro fere inermis reddita, & auxiliis deſtituta, non difficilè ſub jugum & poteſtatem Caſtitatis cedat, modo ipſa caſtitas officiô ſuo fungatur, & occaſionibus cõmoditatibus ad ſubjugandam carnem utatur.

III. Notanda eſt Dei Providentia circa Religioſos qua utitur, inſpirando & dan-
D do illis gratiam Voti Caſtitatis, quod illi ex amore Dei emittunt. Per hoc enim, tale Religioſis beneficium Deus præſtat, quale quis homini, furioſo & effreni equo, per præcipitia ruenti, apprehendendo frena illius & eum frenando, ſub jugum mittendo. Vel quale præſtat Mater filiolo parvulo & rerum rudi, dum illi cultrum tene-

re

eo arripienti adimit, & ab eo abijcit. Hoc enim plané Deus facit nobis per votum Castitatis, extorquens nobis gladium & cultrum, quô in perniciem eramus usuri, & equum nostrum effrenem, indomitam scilicet & rebellem carnem, & in omnia mala præcipiti desideriorum ac passionum impetu, freno Voti inviolabilis adstringendo & frenando, mortificationeq; ac alijs medijs sub jugum & potestatem Castitatis eam mittendo. Quô beneficiô, quia à Deo non sunt donati homines extra Votum Castitatis Religiosæ siti, satis superq; videmus ac novimus, quàm miserabilibus jactentur casibus, in quantis sint præcipitiis in quam profundis peccatorum fœdissimorum volutabris.

A

CAPVT V.

De quibusdam occultis fontibus tentationum periculorumq; Castitatem oppugnantium & in lapsum impellentium.

I. Unt quidam profundi & occulti fontes tentationum periculorumq; quibus Castitatis virtus & Votum vel impugnatur, vel etiam infringi à Deo permittitur, quando circa hujusmodi fontes obturandos diligentia non adhibetur. Ex his fontibus.

Primus, aliorumq; ferme radix, perplexus & anfractuosus valdè, latentes scilicet in nobis concupiscentiæ, quæ locum omnem in nobis Diabolo faciunt, dant & aperiunt. Diabolus enim, aut nihil, aut parum omnino & rarò in nobis aliquid mali perficeret suis tentationibus, nisi ante jam nos inveniret intus à concupiscentijs nostris vel victos, vel ad vinci aptos paratosq;. Cognita enim nostræ concupiscẽtiæ ad aliquid adhæsione, ad eam tentationis suæ flabellum, tanquam ad scintillam ignis inventam, & materiæ applicatam, sed tenuem ac veluti sopitam admovet, & incendium suscitat. Non invenisset scintillam? non suscitâsset flammam. Si inquam Diabolus non invenisset scintillam concupiscentiæ intus, non potuisset excitare flammam, malæ operationis foris. Hoc voluit Apostolus cum dixit; *Vnde lites? unde bella? nonné à concupiscentiis vestris?* & rursus: *Vnusquisq; tentatur à propria concupiscentia abstractus & illectus, deinde concupiscentia cùm conceperit, generat peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.*

B Hæc de concupiscentijs nostris intus latentibus, & nos quasi ad tentationes præparantibus, ad lapsusq; disponentibus, esto in omni peccatorum genere locum habet observatio, potissimum tamen usitata est in materia lubrica & tentationibus absurdis. In hac enim materia majus est robur, aut potiùs minus robur majorq; infirmitas cõcupiscentiæ ad resistendum tentationi, & C ipsi sibi, major autem pronitas ad lapsum. Unde si eam in nobis invenit diabolus, laxatam, solutam, neglectam, nec vigilanti ac severa custodia frenatam & restinctam minimo quoq; tentationis ac suggestionis flatu, delectationis flammam excitat, & in consensum præcipitat.

Quocirca magna est ejus animæ castitatem zelantis vigilantia, ut latentes etiam minimos suarum cocupiscentiarum motus D igniculosq; investiget, investigatos, castiget & extinguat, id enim si faciet, implebit illud Apostoli: *Nolite locum dare Diabolo.* Dant enim homines locum Diabolo ex cõcupiscentijs suis, & licet non videant Diabolum, cum quo pugnant, facile tamen habent remedium: seipsos interiùs vincant & de illo foris triumphant. Cognosci hãc veri-

veritatem practicè à Religiosis multum interest ad omnes tentationes vel vincendas, vel vitandas, sed maximè ad eas, quæ Castitati repugnant, sicut è contra Ignorantia & neglectus ejus luctæ cum suis latentibus intus concupiscentiis perennis est fons tẽtationum, periculorum, lapsuum & relapsuum.

II. Alter fons occultus, ex quo tentationes manant, seu in cujus pœnam à Deo permittuntur, est superbia elatioquè mentis intus apud se se; præsertim quando ex donis spiritualibus & Divinis homo effertur & sibi complacet, neq; Deum ejusq; gratiam extollit; supra proximos etiam suos se appretiat, & eos parvi coram se facit. Tales animas, ut Deus seu in gyrum rationis suæq; cognitionis lucem reducat, seu, ut promeritò puniat, tentationibus plerumq; carnis, (ex insperatò etiam) oppugnari, & insuper non rarò miserè labi sinit. Ante ruinam exaltatur cor, & omnis qui se exaltat humiliabitur. Quamvis autem alijs etiam generibus tentationum & lapsuum superbi puniantur à Deo interdũ, specialiter tamẽ hujus nequitiæ turpis humiliatione, ad eos castigandos uti cõsuevit: ut nimirum qui per malitiam superbiæ extolluntur supra se, per probrum luxuriæ decidãt infra se, infra se inquã, nempe infra Rationalis portionis dignitatẽ, devolvũtur per belluinæ cupiditatis satietatem. Quocirca dum quis se hoc nequitiæ spiritu infestari (maximè præter solitum) experitur is diligenter mentis suæ latebras excutiens. Videat, ne fortè occultæ in eo superbiæ hoc abominabili flagello tumor castigetur.

Tertius fons occultus talium tentationum ac difficultatum, est inobedientia ad Superiores, quos tanquam vicarios Dei habere debemus. Non est opus hic multis probare discursibus, cum experimentum exemplumq; nimis luculentum habeamus, in primis parentibus, qui quamprimũ per inobediẽtiã peccatũ admiserũt illico in se ipsis rebellionem probrumq; carnis sentire, atq; erubescere coacti sunt. Et meritò sanè, nam qui per inobedientiam non vult subijci Superiori suo, justum est, ut obedientiam sibi subtractam sentiat ab inferiori suo. Immeritò certè, ne dicam injustè obedientiam, exigit suæ carnis, qui Deo denegat subjectionem suæ mentis. Quocirca vulgatissima ac æquissima est simul pœna inobedientia tentatio admissa luxuriæ. Sicut è contra commune est humilis ad suos Superiores Obedientiæ præmium, stabile & facile mentis & corporis ad castitatẽ rationemq; obsequium. Agnosce ergo, o homo, ordinem, si vis possidere pacem. Tu Deo subiectus esse debes, vis ut tibi subjecta sit caro.

A IV. Quartus fons cogitationum detestabilium est, Orationis neglectus. Neglectum dico; quo oratio, aut prorsus negligatur, aut saltem negligenter & tepidè irreverenterq; peragatur. Testatur de se ipso sapiens, quod cum exarsisset amore continentiæ, & cognovisset, *quod nemo posset esse continens, nisi Deus det, atq; id ipsum nosse esset sapientia*, accessit ad Dominum, & deprecatus est eum. Sicut ergo medium efficax ad continentiæ puritatisq; donum obtinendum est, orare Deum, fontem da- B toremq; puritatis, ita vicissim negligere orationem, vel eam negligenter facere, & veluti rusticè inter orandum cum Deo versari, magnus est fons incontinentiæ, & ejus supplicium justum, bruta tentatio. Est autem advertendum, non tantùm illam orationem, præcipuè mentalem. Per orationem enim purificatur anima, & impletur lumine cœlesti, affectionibusq; Divinis impletur & occupatur, & veluti impinguatur, quo fit, ut qui crebro & serio exercent C se in oratione mentali coram Deo, citò asfequenter & corporis puritatem, qua necesse est ut destituantur qui Deum condignè orare fastidiunt. Manet enim illis sua anima naturalibus & sensualibus impuritatibus plena, ac per hoc tam ipsa, quam ejus caro tentationibus impuris obnoxia & subjecta. Quare qui Castitatis donum appetit, Orationis studium familiaritatemquè cum Deo diligenter excolat, quodsi quis in eo negligens est, se à carne infesta- D ri, mirari desinat.

V. Quintus fons earundem tentationũ est, fiducia sui ac securitas, quasi jam debellatum esset; & quasi periculum nullum esset, proculq; ab omni hoste viveretur, & nulla improbitatis pristinæ scintilla in nobis superesset. Omni quidem virtuti hæc securitas nocet, potissimum Castitatis pestis est. Nam dum fidimus nobis plus æquo, immemores fragilitatis nostræ, agimus securè, pericula non timemus, occasiones ingredimur experimento quodam nostræ

stra in occasione servatæ integritatis dementamur, tandem audacia temeritateq; abrepti, amamus periculum, & in eo perimus. Hac via innumeræ cœli columnæ ceciderunt & confractæ sunt: hac via plurimi, qui iam in cœlo posuisse pedem suũ videbantur, qui vestiebantur croceis, demum amplexati sunt stercora. Securitas videlicet suiq; roboris & profectus fiducia perdidit eos. Ita fortissimus Samson, ita Sanctissimus David, ita sapientissimus Salomon cecidit & contritus est, quantò ergo magis timere sibi cavere debẽt, qui infra hos per omnia sunt. Debent inquam timere sibi maximè à se ipsis, id est à sua ipsorum fragilitate, & à sua ipsorum securitate atq; fiducia, debent timere deinde sibi à Divinorum iudiciorum abyssali profunditate. Est enim Deus terribilis in consiliis super hominum filios, speciatim autem eos qui à Dei timore exciderunt, & sibi ipsis confisi securi esse præsumpserunt. Super tales enim excubat ira Dei, nec habet locum in eis gratia illius: cùm destituuntur, sibiq; ipsis deseruntur, impossibile est non succedere ruinam, eamq; gravem. Atq; hoc illud est: *Qui sine timore est* (Dei nimirum & sui) *non poterit Iustificari*, non poterit in iustitia subsistere, hoc est etiam illud: *Nemo scit, utrũ odio an amore sit dignus.* Quotus autem non sit odio & non amore dignus? Hoc etiam illud est: qui se existimat stare, videat ne cadat: immo videas, ne hoc iam ipso ceciderit, quia se stare credidit.

A Accuratissima ergo diligentia, fiduciam propriarum virium ac securitatem, oportet ut excutiat anima illa, cui omnis quidem virtus, potissimum castitas atq; cum gratia Dei charitas cordi est. Timori autem Dei sese cum omni humilitate ac diffidentia sui dedat. Neq; hunc timorem spõsalem, castum, filialemq; deponat, superq; omnia Deum non timere timeat. Sic ti-
B menti Deum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, & liberabit à malis. Super hoc occultos omnes tentationum sensualium fontes, crebro se amator Castitatis reflectat apertosq; oculos iugiter habeat, neq; permittat, ut in se quantumvis tenuia illorum vestigia reperiantur.



CAPVT VI.

De manifestis quibusdam & propinquis Tentationum fædarum causis.

1. Sunt quoq; aliæ causæ, seu alii fontes manifestiores atq; viciniores periculorum Castitatis tentationumq; illius. Prima causa est Otium. Est enim otiositas Mater nugarum, Noverca Virtutum omnium quidem sed præcipuè Castitatis. Nemo hoc facile crederet nisi experientia quotidiana doceret quam impossibile sit otiositatem cum Castitate consistere, adeo, ut primus esse videatur partus otii oppugnatio Castitatis. Castum esse aut diu esse & otiosum esse, maius miraculum est, quã lapidem sursum positum, amoto licèt obice non ruere deorsum. Otiosus, ac lascivus & impudicus, fratres sunt germanissimi. Sed notandum est, quod aliqui negent se otiosos, immo asserant occupatissimos, neqs tamen liberos ab oppugnatione Castitatis.
C His sciendum est, quod aliud sit otium in mente, aliud in corpore. utrumq; si adsit Castitati pugnam movet, periculum creat. Sed sunt aliqui tamen corpore occupati mente autem otiosi & Vagi. Hos occupatio vel labor corporalis nihil iuvat, nisi etiam mentem suam occupent & laborare faciant. Quare otium mentis est maxime fugiendum & sine intermissione, salva di-

scre-

ſcretione danda opera, ut mens exerceatur, vel piis, vel ſaltem utilibus boniſq; ſtudiis & occupationibus. Ad quod facit plurimùm habere ſemper in omni occupatione externa, deſtinatum propoſitumq; aliquid quod interea cogitetur & memoria menteq; volutetur, ſive illud ſit DEus, ſive divinũ, ſive propter Deum aliquid

II. Alia cauſa tentationum periculorũque caſtitatis eſt, cibi potuſq; ſaturitas. Nocet quidem & multum nocet caſtitati, deliciarum in cibo potuq; conſectatio, exquiſita condimenta, ferventi naturæ fervorem addentia. Sed hæc in Religioſorum vivendi modo, vix locum habere poſſunt, at ſaturitas, atq; ad ſatietatem ordinaria quotidianaq; comeſtio, præſertim ſi accedat otium & evagatio ſenſuum, peſtilentiſſimi ſunt hoſtes puritatis. Connexa quippe ſunt hæc, vitia, gulæ & luxuriæ, ideò unum alteri miniſtrat & alterum ab altero fomentum ſumit. Saturitas cibi potuſque omni liberali, & ad intellectum virtutemque ſpectanti ſtudio ac exercitio impedimentum ponit. Nam ut experientia quẽque docere abſq; multis diſcurſibus poteſt, ſatiato & infarto ventre, non literarum ſtudia, non ſubtilior mentis actuatio, non ad Deum oratio, non piarum rerum meditatio ſuccedit; ſed ad hæc omnia ineptum & ſtupidum ſentire ſe homo cogitat, donec ſaturitas illa ſit digeſta. Præ cæteris tamẽ animæ bonis ex ſaturitate victûs, caſtimoniæ hoſtis paratur, & naſcitur, & roboratur indubitatus; ita ut quiſquis caſtus eſſe vult, & in victu parcus non eſt, is perinde eſt ac ille, qui ignem lignis appoſitis oleoque affuſô obruere vult Ut enim iſte, non tantùm operam ludit, ſed etiam ignem appoſitis fomentis auget; ita ille caſtitati hoſtem parturit, & hoſti vires contra caſtitatem addit.

Quare ita ſe debet caſtitatis amator Religioſus cum corpore ſuo ejuſq; victu gerere, quomodo equi jumentiq; alicujus curator ſolet agere, Ut enim iſte jumento pabulum ſubminiſtrat, quo & vivere & ad laborem ſufficere poſſit, laſcivire tamen & calcitrare, & ſeſſorem excutere aut in præceps ferre non poſſit. Ita Religioſus jumento carnis ſuæ tantum pabuli quotidiani ſubminiſtrare debet, ut vivere, officiiq; ſui laborem commodè ſuſtinere poſſit, laſcivire tamen, ac ſpiritui & rationi repugnare, puritatiq; moleſtiam & periculum creare non poſſit.

Propterea Sapiens monebat. *Aſino virga, onus & paleæ, panis & diſciplinâ & opus, ſervo:* docens ſervum, id eſt, carnem, quæ eſt ſervus animæ, tractandã eſſe ſicut aſinum, cui cibaria ſunt apponenda & onus imponendum & virga, ſeu diſciplina adhibenda, A alioqui addit idem, ſi laxas manus illi, quæret mox libertatem, operatur verò cùm eſt in diſciplina, & quærit requieſcere, nec cogitat de libertate. Unde etiam ejuſdem cautela eſt, qui delicatè nutrit ſervum ſuum, poſtea ſentiet illum contumacem, Religioſus itaq; amator puritatis dabit operã, ut aſello ſuo congruam inveniat teneatq; cibi ac potus menſuram, in eaq; potiùs in defectum ac inediam declinet, quàm exceſſui ac ſaturitati appropinquet. Nequè unquam hujuſmodi menſuram, niſi ex val- B de neceſſaria (quæ tamen non facilè ſuberit) cauſa immutet ad hoc ut augeat, potiùs ad hoc ut imminuat.

Videat tamen ne diſcretionis regulam excedat, atq; dum hoſtem perſequitur, civem etiam lædat. Quodſi ſervus immodeſtè ferox ſit, ſequendum erit conſilium ſapientis. Iugum & lorum curvant collũ durum, & ſervum inclinant operationes aſſiduæ; Servo malevolo tortura & compedes, mitte illum in operationem ne vacet, multam enim malitiam docuit otioſitas. C Melius eſt, ut ſtomachum incuſes, ut vultu palleas, quàm ut ſaturitate æſtues, & Voto tuo gravis ſis, quod indubitatè à ſatietate paſſurus es.

III. Tertius fons tẽtationum, periculorum caſtitatis eſt lecti mollitus, ſomniquè prolixitas, omnino, ſicut durus lectus, addo & veſtitus eſt caſtitatis nidus, ita mollities lectuli, nidus eſt nequitiæ. Brevi ſomno, parco cibo, labore corporis & mentis multo, gaudet caſtitas, ad brevem autem ſomnum, apprimè facit cibus parcus, & du- D rus lectus. Itaq; hæc omnia pro caſtitate militant, luxum pellunt, & pro muro contra Diaboli jacula puritati ſunt. E contra multus ſomnus & mollis lectus veſtituſq; perditionem aſſiduam caſtitati machinantur & cum carne Diaboli partes agunt.

Nihil attinet, in his explicandis morari diutiùs, ſatis hæc per ſe nota ſunt. Religioſi amantis puritatem Votiq; ſui integri-

tatem

satem est, hæc quæ prodesse cognoscit, sequi, quæ obesse intelligit fugere totis viribus. Nullus inquam castus somno vel lecto moratus. Otiosè in lecto stertere, vel somnum æquo plus trahere nihil est aliud quàm castitatis hostem ultro accersere eáque prodere ac perdere.

IV. Quarta tentationum causa, & radix est, garrulitas atq; linguæ licentiosa solutio, joci, cachinni, procacitas, scurrilitas, fabellarum, aut narrationum lepidarum, ludicrarum narrationes, aliorum irrisiones ac subsannationes, hæc similiaq; linguæ & oris vitia, sunt partim infirmæ jam, partim magis infirmandæ castitatis indicia & initia. Omnium Religiosorum ordinum, omnium fundatorum ipsorum unanimis consensus est, silentio stare disciplnam Religiosam, Dæmonemq; ligatum teneri: sive Dæmon ille sit spiritus nequam, sive dæmon sit, lingua verè dæmoni æquivalens in nocendi facilitate: sive etiam Dæmon sit caro nostra, à linguæ solutione indisciplinationeq; magnam insolescendi vim licẽtiamq: effrenem sumens. Unde hoc fiat, quod garrulus raro, tentationibus non expositus vel implicitus, non est quidem facilè rationem reddere; est tamen hoc à spiritualibus magistris probatum & traditum qui omnes linguæ incontinentiam, lasciviæ matrem vel sociam tradunt. Potest tamen hoc nasci ideo, quia lingua loquax similis est amni exundanti. *Amnis exundans*, ait Ambros: *multum lutum trahit* & agris invehit, sementemq; oblinit, ita etiam lingua garrula multis peccatis mentem obruit, inter multa peccata quid mirum non deesse etiam luxuriæ mala.

Accedit quod garrulitas exhauriat spiritum & fervorem effundat; mentem sui impotem, & à se exulantẽ, sensum & carnem invalescere, facile est, immo necesse est. Habet etiam lingua, præsertim in garriendum effusa quandam cum impuritate sympathiam, maximè quando est in sales, jocos, cachinnosq; laxata, itaq; ad hujus laxitatem solvuntur habenæ impuritati.

V. Quinta tentationum causa est, externorum sensuum licentia, curiositasq; potissimum oculorum, aurium, linguæ, & tactus Sensus hi nostri sunt portæ ad animæ interiora Iecit oculũ temere David post meridianum somnum, vidit & captus est in ictu oculorum suorum. Neq; sine causa alius quidam, fatetur: oculus, inquit meus deprædatus est animam meam. Quod de oculis hoc de omni sensu corporis sentiendum est, omnes sunt intenti ad deprædationem animæ, si non severè custodiantur sub dominio animæ. Nemo Sanctorum fuit, qui custodiam securitatemq; puritatis suæ non petierit à custodia & severa quidem A corporis sui. Quid volumus esse Sanctis vel feliciores, vel prudentiores nos, qui patentibus sensuum portis volumus ac speramus, tutam fore nobis puritatem carnis & mentis. Sanctus noster Patriarcha de tactu ita præcepit, ut unum ab alio, nec leviter, nec jocô quidem tangi & extremis digitis velit. Nemo putet id solius modestiæ, maturitatis honestatisq; Religiosæ gratia præceptum, Regula ista est castitatis Religiosæ murus impenetrabilis, unde semper in Societate cum summo rigore servaB ta est, gravioribus etiam injunctis pœnis, si quis vel innoxiè in eam Regulam deliquisset. Hanc severitatem a majoribus traditam, tanquam saluberrimam optimáque hereditatem servare oportet, atq; in declinando seu aliorum hominum, seu sui metipsius, seu etiã aliorũ animalium tactu diligentem esse, etsi relicto, cum opus est prudentiæ locô. Sanè libertas, obvia quæque tangendi, mulcendi, carpendi, nescio quid parùm honestum, certe aliquid gravitati Deo dicatorum hominum parum conC sonum indicat.

VI. Sexta tentationum causa est familiaritas effusa in conversatione, colloquio, confidentia, & concreditione sui. Vix est aliqua occasio propius & celerius impellens in ruinam, quàm ita impotentia affectus & amoris effusio, præsertim mutua cũ quocunq;. Tales, cùm spiritu cœperint, carne consummantur. Si incipit Religiosus velle & amare & amari, si vult scire quantum amet. Si nihil negare potest, aut audet ei cui est familiaris; si clam & D data operâ convenit, si finem fabulandi facere nescit, si quo plus fruitur colloquio, conspectu, plus æstuat, si tædio afficitur ex absentia, si appretiat munuscula oblata, si eadem missitat, si clandestinis literulis mittendis accipiendisve indulget, si in teneritudines verbula formantur, si viscerosus & glutinosus affectus vires sumit, nihil manifestiùs quàm in porta esse, in meditullio diabolum, quàm flammam omni-

nõ

nò jamq; eruptionem esse facturam. Hæc est charybdis Religiosorum etiam optimorum incautè ambulantium, incautè amorem suum dispensantium, alienum admittentium, hanc fugiet, hanc severa comitate, comi severitate temperabit, quod, si non satis erit, hanc abrumpet etiam violenter amator puritatis & zelator Voti sui Religiosus, Id nisi fecisset castus Ioseph, castus nequaquam diutius fuisset.



CAPVT VII.

De erroribus qui in tutela Castitatis committi possunt.



IN conservatione tutelaque Castitatis committi posśut errores nonnulli, sive per inscitiam, sive per injuriam propriam, sive per deceptionem diabolicam, sive per opinionem erroneam. Horum

I. Primus est in materia Castitatis tantum mortalia & extrema mala vitare, cætera verò quæ infra mortale peccatum esse videntur liberè admittere, sive cogitando sive agendo sic agere, insanire est. sicut enim si quis velit venenum bibere, sed eatenus tantùm, quantum non sufficeret ad inferédam mortem, insanire diceretur, qui se tam periculoso actui committeret, ita prorsus ille facit qui in materia tam lubrica, tamq; venenata progredi vult eò usq; quò, salvó peccatô mortali, potest. Quis unquam à serpente se sinat morderi cum hoc discrimine, ut nisi tantùm mordeatur, quantum sat est ne vita, ejus morsu privetur? Necessarium consilium est, ut qui peccare mortaliter non vult, etiam venialissime nolit: nam inter finem venialis & initium mortalis culpæ, nescio an quis ita lynceus sit, ut internoscat, usq; se coerceat in illo confinio, & non in mortem vel nolens, sed tamen sua culpa & causa necessaria data abripiatur. Nemo igitur castitatis amator ita insaniet. Accedit, quod præter dictum periculum, sit aliud desertionis divinæ discrimen, ut qui amat periculum pereat in illo. Neq; facilè evadet, qui hujusmodi est, inextricabiles conscientiæ Labyrinthos ac remorsus scrupulosq; quos etsi ad tempus obruet, deinceps tamé insanabiliùs recrudescentes experietur, quando & de commissis mortalibus, de A causis datis culpabilibus, de sacrilege usurpatis Sacramentis, sine fine & modo cruciabitur. Præstat ergo etiam umbras culparum, etiam remotissimas fibras, illicò ac advertuntur, resecare, & diabolo ac sensualitati resistere nullumq; locum dare.

II. Secundus error est, tentationes impuras labore solo externo corporali, aut externis afflictationibus frangere velle. Sũt quidem hæc auxilia bona & necessaria, ve- B rum si sola sint, sæpè non utilia, immo ad aliquid aliud sint damnosa. Nam valetudinem frangere possunt, & hominem ad debita officia inutilem reddere, manentibus nihilominus tentationibus in vigore. Adhibenda ergo erit ad prædictas austeritates, interior quoquè diligentia, ne qua & supra habitum, & intra habendum est; Usus scilicet Sacramentorum, consilium confessariorum, mentis exercitatio, o- C rationis usus, contemptus tentationum, fuga occasionum, custodia sensuum &c.

III. Tertius error, qui est colludere cũ tentationibus & iis conniveré, ita ut iis præsentibus atq; animadversis mens neq; consentiat neq; dissentiat, sed eis jucundè curioseq; simul tamen subtimide in te ótepletur, cum iisq; moretur: qui error vicinus est primo supra posito & licet non videatur, ita profundè periculum ingredi iste qui collaborat, vix tamen est à lapsu securior atq; remotior quam prior, proinde si-

mili diligentia eſt fugiendus ſtudioſo puritatis: ac ab omni ſpecie impuritatis impurævè cogitationis, imaginationiſvè, non ſecus ac à facie colubri aut Diabolico ſpectro fugiendum, ſine ulla deliberatione, colluſione, mora auſcultatione, ſed ſubito ac aliquod tale objectum menti ſentitur, ut ſcintilla è facie, excutiatur, & mens alijs cogitandis applicetur.

IV. Quartus error in eo eſt, quod tentatus his miſeriis reflectat ſe ſuper illas, examinetq́, unde venerint? quid ſint? quidvè velint, idq; per ſpeciem ſecuritatis & reſiſtentiæ, ſeu per ſpeciem ſecurioris repulſæ. Sed hæc ſtultitia eſt. Nam qui ſic agit nequitiam apud ſe morari ſinit: quæ licèt forſan animam non maculet peccatò, ob defectum complacentiæ & conſenſus voluntarij, maculat tamen ob impreſſam, depictam, relictamq; ſui ſpeciem, ac imaginẽ in memoria & phantaſia hominis, perinde ac quis, videns aliquem maculato ſordibus ligno ſe velle contingere ac fœdare, repellat venientem apprehendendo illud ejus lignum maculatum, hic enim ſeipſum maculat quod ita incautè, maculare ſe volentis, inſtrumentum infectum repellat. Neq; illum voluntas repellendi à ſtultitia vel macula excuſat. Ita prorſus accedit in præſenti errore, nam dum ſe ſupra cogitationem immundam reflectit, quaſi ſordidum baculum manu ſua tangit, hocq; ipſo polluit, quia pollutæ cogitationi reflexivè inhæſit.

Relinquenda eſt ergo hujuſmodi ſuper ſordidas tentationes carnis aut mentis reflexio, ſed aliò omninò convertenda & ap- A plicanda mentis cogitatio, declinandumq; prorſus à ſordibus illis, ne illas animadverſio inhærens attingat, ſed eas, ac ſi in ſe nõ adverteret, ſic contemptim neglectimquè advertat, ut interim alia cogitanda agendaq; ſuſcipiat, & ita in illis hæreat, ac ſi nihil prorſus in ſe turpè perſentiat, ac ſi turpitudinis illius linguam non cognoſcat, nec audiat. Tantoq; magis in hoc contemptu & ſurditate ſe obfirmet, quantò Di- B abolus obfirmatior in ſuis nequitiis obtrudendis videbitur. Neq; in hoc modo reſiſtendi ullus ſcrupulus eſſe poteſt, aut debet cùm, ſi rectè cognoſcatur quod ſuadetur, manifeſtum ſit neminem minùs in tentationem conſentire, quàm eum qui tentationẽ nec videtur noſſe nec audire. Neq; ullus radicalior reperiri poteſt modus efficaciorq; has & alias quaſlibet moleſtas tentationes C repellendi (quantum ex parte noſtra in hoc requiritur cooperatio) quàm iſte quem jam expoſui, contemnendi & non audiendi, & & non intelligendi Diabolum, ejuſq, titillationes, mentem verò ad alia avocandi & aliis occupandi, hoc eſt enim fugere fornicationem. Neq, facilè reperiet quis, in quo fundamentalius hæc fuga conſiſtat.

CAPVT VIII.

De alijs erroribus qui in cura Caſtitatis committi poſſunt.



E Rror quintus eſt, quando cum tentationibus motibuſq; ineptis diſputatur, altercatur, cum triſtitia, mærore, torturaq́, mentis pugnatur. Hic error eſt auctarium præcedentis. Nam ille tantùm reflectebat, & tentationem noſſe volebat, D hic ex ea contriſtatur, torquetur, eiq; directè reſiſtit, & veluti paſſis manibus obviã tentationem repellit, idq; facit ſecuritatis cauſa, ut nempe certus ſit ſe reſtitiſſe tentationi, ſitq; à ſcrupulo liber. Sed etiam hic ſtultitia eſt, & tantùm abeſt ut ſit ſecuritas, ut ſæpè maneat perplexitas in anima: & ut non ſit, ſit tamen ſordiũ imago & ſpecies in memoria & phantaſia: eſt aliud lucrũ Diaboli ex triſtitia & ſolicitudine. Eſt

tertium ex jactura temporis & occasionis ad meliora agenda perditæ: proinde quos Diabolus huic errori obnoxios novit, perpetuus esse solet in illis non tam tentandis, quàm potius sordidandis, occupandis, cōtristādis, vexādis, à melioribus studiis exercitijsq́, avocādis, profectuq́; & merito fraudandis. Et licet eos ad peccatum non inducat, immo neq; speret propter eorum aversionem obfirmatam ab omni turpitudine, tamen lucra prædicta, satis illi sunt, ut operæ pretium non perdat.

Huic errori idem est, quod præterito, remedium, ut scilicet mens, quiete sua fruens, nugas istas, contemnat cum suo nugatore Diabolo, eumq; neglectu derideat, & tam sibi quàm Angelis Sanctisq;, immo & aliis dæmonibus illudendum exponat. Revera enim sordes illæ non sunt dignæ illā solicitudine & tristitia, sed sufficit illas, negligenti illa diligentia, seu diligenti negligentia contemptuq; una cum suo auctore expedire. Neq; diabolus ipse in ullo genere tentationis est magis sordidus, absurdus, suæq; naturæ spirituali repugnans, consequenterq; ridiculus ac fatuus, quàm tentationibus hisce impuris & belluinis, ut meritò ab omnibus Angelis Sanctisq; & ab ipso qui tentatur sit risu, contemptu, exprobratione exsibilationeq; explodendus, exsibilandusquè.

Sextus error, est solā interiori operatione meritisq; curā velle tentationes hujusmodi expedire, non adhibitis præterea externis afflictationibus sensuumq; mortificationibus. Sunt quidem illæ internæ industriæ cum gratia Divina efficacissimæ, sed tamen exteriori carnis disciplina opus est ut hostis citiùs faciliùsq; debelletur. ut enim ille qui obsidet civitatem hostilem, non tantum tormentis quatit muros, sed etiam commeatum adimit, aquarum puteos, vel fluvios avertit, assiduisquè vigilijs obsessos fatigat, ita qui castitatem strenuè amans, arcem carnis subijcere & expugnare vult, non tantum internis mentis exercitijs quatere illam debet, sed etiam fame, siti, insomniis, laboribus, verberibus fatigare, ut modestior sit & ad obsequium rationis spiritusq, paratus.

Neq; id mirum cuipiā esse debet. Nam cum ad virtutem castitatis, non solius mētis, nec solius corporis puritas sufficiat, sed necesse est ut illa utraq; concurrat, quo illa integra evadat, ita etiam ad ejus curā cautelamq;, nec solius mentis, nec solius carnis exercitationes sufficiunt, sed utraq; simul, una cum adjuvante ope divina concurrere necesse est.

A Accedit digna valde scitu observatio quæ ad perfectam stabilemq; castitatis curam & defensionem requirit utriusq; nostri hominis interni scilicet & externi mortificationem: nimirum tentationes inimicas puritati, varie in nobis vel nasci vel à Dæmone excitari: aliquando enim à carne initiò sumptò ad animam progrediuntur, aliquando autem ab anima exordiò sumptô carnem ipsam adoriuntur, aliquando utraq; simul, aut pæne simul pars hominis invaditur. Et quidem primo & ultimo B modo, tentantur ut plurimum ij qui adhuc sunt ætatis junioris naturæq; Vivacioris, & à sensualibus affectibus minus defæcatæ mentis. Medio autem modo præcipuè tentari solent provectiores ætate spirituq; ac defæcatioris sensus. Priores illo modo tentari facit illorum infirmitas, posteriores autem istos facit tentari eorum fiducia & securitas, quia hi dum se mortificatos aut mortuos supponunt, minus menti suæ ab obrepentibus cogitationibus cavent, à quibus serpentibus latiùs ita sen- C sim occupantur, ut etiam Carne altercentur. Ex qua observatione manifestū evadit & cujuscunq; ætatis Religiosis, & utriusquè hominis mortificatione, opus semper esse, si in possessione puritatis stabilì desiderant permanere.

VII. Septimus error est Tentationes suas celare silentio, & servare in sinu, nequè eas aperire spirituali Patri ac Magistro, sed secretarium Diaboli strenuum agere. Hic error in omnibus quidem tentationum ge- D neribus est periculosus sed in Castitati contrarijs maximè. Constat quippe Dæmonem id peculiariter cavere, ne suæ ad impuritatem præsertim tentationis, ad notitiam Patrum spiritualium deducantur, quoniam certus est, eas tamdiu vim suam habituras quamdiu fuerint celatæ, postquam autem manifestatæ fuerint, mox vel in ventum abituras vel nullam vim habituras.

Quod autem hæc sui tentationumq; suarum manifestatio tantùm virium habeat

causa

causa est. 1, Humilitas manifestantis seipsum. Altera duplicatio consilij atq; virium accedentium ex parte spiritualis Patris. Tertia, & ea Religiosorum propria, Divina scilicet providentia quæ est obligata Religiosis, ut eos adjuvet, quando illi ad eam sese referunt in suis necessitatibus & periculis; hoc autem illa præstituram se recepit per Spirituales Patres. quorum nos ideò subdi vult obedientiæ ut per eos ab illa ubiq; dirigamur. Cum ergo ad hujusmodi Spirituales Duces tentationes nostras deferimus, incumbit Divinæ providentiæ nos per eum ministerium, consilium opemquè juvare. Quodsi metu aut pudore inutili ineptoq; ac Diaboli fraude inducti eas reticemus: providentiæ Divinæ jus infringimus, ejusq; curæ nos subducimus: à qua subducti, quid mirum si vincimur, aut exagitamur molestissimè? quoniam væ soli! cùm enim ceciderit, non habet sublevantẽ se; è contra, Frater Fratrem adjuvans ambo salvantur.

Atq; hæc Causa est, ob quam Diabolus nihil æquè formidat, quam notitiam Superiorum Patrumq; Spiritualium; perinde sicut adulter nihil æquè timet quàm notitiam Parentum, quorum filiæ insidiatur. Scit enim, quia innotuisse sua consilia parentibus, est, se à sua notitia excidisse. Sũt igitur citò & candidè detegendæ technæ Diaboli: Neq; in hac re ullis ejus suggestionibus revocationibusq; obsequendum, nec dilationibus utendum, neq; cessationibus (quas ille aliquando prætendit, ut post acriùs impetat) tentationum credendum, sed in simplicitate cordis omnes suggestiones pravæ aperiendæ. Tunc enim non nos ipsos traducimus, aut verecundiâ afficimus, sed revera Diabolum confundimus. Tentari enim hujusmodi miseriis, nec probrũ est, nec malum; immò carere hujusmodi tentamentis in nostra potestate non est, sed partim in natura originem habet, partim à Diabolo provenit, quorum neutrum nobis impedire per nostras vires ne fiat, est concessum; tantùm nostrum est, ne in consensum mentem trahat: ad hoc autem plus possumus, quando alieno etiam consilio juvamur, quàm quando nostro solo nitimur.

Neq; faciendum est illud discrimen, in hoc genere satis periculosum, & à fraude Diaboli, ab amoreq; nostro inordinato provenire solitum, ut tantùm graviora periculosiorâq; manifestentur, sed omninò omnia quæ in hoc genere patimur, ut nihil Diabolo in nostro corde secreti cubiculi, fiduciæquè in silentio relinquamus alioquin nunquam satis à tentationibus liberi, nunquã in conscientia quieti, aut etiam securi erimus. Quare ita omnia hujusmodi aperienda sunt, quomodo in articulo mortis a- A perta esse Confessario vellemus, quo tempore certè, sine discrimine vicinorum, vel ab eo remotorum confiteremur. Hoc igitur modo semper agamus, quoniam semper opus est, ut ita coram Deo puram conscientiam habeamus, acsi omni puncto morituri ac mori parati simus, & satis stultum est, aliter conscientiam animamq; suam tractare nunc, quando à morte esse videmur, quam tunc tractaremus, quando articulo mortis premeremur. Id enim significat non solum ineptum pudorem, sed etiam superbiam radicatam in nobis regnare de- B signat, seriò nos non extra Confessionem Sacramentalem remedium quærere, & in confessione non satis sincere agere, immo nec debitum pro peccatis dolorem peccatorumq; odium & puritatis amorem habere.

VIII. Octavus error est, negligentem esse in cura perfectionis Religiosæ, virtutũquè perfectionem constituentium & statui Religioso convenientium. Hic error ad Religiosos potissimum respicit, etsi enim ubiquè Castitas omnium ferè virtutum Socie- C tatem exigit, quia sine harum societate nõ benè subsistit: attamen Religiosæ Castitatis hoc est vel maximè proprium, omnium virtutum, non tantum Societatem, sed etiam insignem perfectionem requirere. Certè in quo Religioso non est insignis cura perfectionis, in eo vix potest esse solida perfectio Castitatis. Potest quidem etiam castus imperfectus esse, sed tamen ut quis perfectionis studium profitens (quod Religiosus facit) illud autem negligens in casti- D tate constans, quietus, solidus & perfectus sit, id quidem vel nullo, vel vix aliquomodo fieri potest. Cum enim vix ulla sit virtus, cujus Præsidio castitas non egeat, necesse est, tot præsidiis eam carere quot virtutibus egere, necesse etiam erit, eam tot modis infirmam periculisq; obnoxiam esse, quot virtutibus imperfectis contigerit conjunctam esse

Exempli gratiâ, cum castitas multum conservari soleat humilitate, si Religioso desu-

defuerit humilitas, non poterit non vacillare castitas: Idem dicendum est de Timore Dei, de temperantia, de interna, externaq; mortificatione, de Orationis studio, & de similibus, immo omnibus omninò virtutibus, sine quibus, certò certiùs Castitas vel diu non manet, vel etsi maneat, A Deo tamen placere non potest. Non enim sine causa, Dominus noster, Virgines fatuas exclusas à nuptiis suis dixit; nec sine causa Bernardus, etiam ipsius Dei Matris Virginitatem minimè Deo placituram fuisse asseruit si humilitas defuisset. Quocirca si puritatis perfectionem amas, & Voti Castitatis perfectionem, observationem, possessionemq; desideras, omnium virtutum perfectione, studioq; illarum ferventi & ardēti, eam vallare & ornare contendas, nequè ullum apud te locum ignaviæ, tepiditati securitatiq; concedas.



CAPVT IX.

De extrinsecis mediis conservandæ Castitatis



Edia & auxilia tuendæ Castitatis, & consequenter ejus Voti observandi, alia sunt ab extrinseco Religiosis advenientia, alia verò intrinseca & ab ipsismet Religiosis dependentia. De his tractabit sequens Caput, de prioribus præsens procedit.

Primum ergo medium servandæ Castitatis, est gratia Vocationis, cujus quilibet Religiosus, hoc ipso quod ad Religionem aliquam est vocatus à Deo, & ille eamdem est amplexus, particeps factus est à Divina bonitate Est enim Divina ad Religionem aliquam Vocatio, veluti fæcundissimum semen, quô receptô & sepulto in terra cordis Religiosi, omnia prorsus bona spiritualia, quæ Religiosus in statu Religioso, tam cū omnibus aliis communiter, quàm cum ipse solus peculiariter habet, ex illo vocationis semine habet, idq; secundùm suam cum illa gratia, cooperationem, sive cooperandi fervorem. inter has gratias spirituales, ex gratia Vocationis emanantes, est etiam gratia, tum emittendi, tum etiam observandi substantialia Vota Religionis.

Et quidem sicut quælibet Religio, licet cum omnibus aliis in substantia trium Votorum conveniat, (cum omnium substantia in Votis consistat) habet tamen quælibet peculiare aliquid divinitùs sibi provisum & donatum, idq; in Vocationis & spiritus sui proprij gratia inclusum, quo in observatione Votorum suorum, adjuvatur, dirigitur, fovetur, secundùm finem institutumq; suum proprium. Ita Religionem B solitariam profitētes gratia, vocationis suæ juvantur in Castitate Voti va servanda, sed intra solitudinem suam, quam pro fine pro positam habent extra solitudinem eos illa gratia Vocationis non protegit, quia se ultra finem suum non extēdit. Porro Religionem conversativam, & ad salutem proximorum promovendam institutam profitentes, gratia Vocationis suæ adjuvantur & proteguntur etiam extra claustra sua, & inter conversandum cum proximis omnis ge C neris: quia hoc est proprium ejus Vocationis. Unde, hæc est radix istius discriminis inter Religiones, quod alicujus Religionis filij sine damno conversentur cum proximis, alterius autem non perinde. Nec rē quia alia est gratia Vocationis istius, alia illius à Deo instituta & medijs congruis, cuiq; provisa.

Ex hujus primi medij extrinsecùs prove D nientis consideratione, duo potissimum fructus sunt percipiendi Religioso Primus est amor impensus, æstimatioq; Vocationis suæ, à cujus gratia, quicquid boni habet, illi provenit. 2. est usus & cultus impensus ejusdem Vocationis, ita ut extra metas quidem illius Religiosus non exeat,

quia id periculo non vacat, nihilominus ejus beneficio strenuè utatur, & omnis boni spiritualis in ea divinitus depositi, quàm cupiosissimè particeps fiat.

Secundum medium gratia scilicet particularis, & veluti individua cuiq; specialiter à Deo concessa ad perfectionem Castitatis. Nam, ut ait Apostolus, *Vnusquisq; proprium donum habet ex Deo*, in quo excellit plus aut minus aliô: unde quod est huic arduum, illi est facilè, quod huic periculosũ, illi securum, etiam intra ejusdem Religionis gremium. Quare ad conservationẽ Castitatis, sicut & omnis alterius virtutis perfectionem, unusquisq; pro mensura gratiæ à Deo sibi communicatæ insistere debet, utendo medijs in Religione usitatis, respõdendo instinctibus & inspirationibus à Deo variis occasionibus & modis sibi datis, sectando exemplum aliorum Fratrum tam in Domino jam quiescentium, quàm adhuc viventium & Domino strenuè pefectèquè servientium, aspirando & nitendo ad quam maximam suæ Religioni, ejusq; Ministerijs competentem perfectionem, nominatim servando exactè Regulas, tum communes, omnibus de conservatione cultuq; Castitatis præscriptas, tum peculiares officij sui munerisq; limitem ab eis positum, nequaquam transgrediendo, hoc enim jam esset extra metas Vocationis progredi, cui privatorum gratias subservire necesse est; neq; absq; speciali majorum permissũ ac directione extra illam evariandum, ne illusioni & casui, & scandalo, locus per temeritatem, & præsumptionem privatam, detur.

Tertium tuendæ Castitatis medium, directio vigilantiaq; Superiorum ac Patrum Spiritualium. A quibus quantò familiarius particulariusq; dependet Religiosus, quantò se illis confidentiùs sinceriùsq; in omnibus, ac inprimis, in his quæ puritatẽ concernunt aperit, tantò securiùs incedit, tantò majore passu celerioriq; ad perfectæ Castitatis possessionem, ejusq; Voti observationem procedit. Etsi enim ad omnem nostrum profectum spiritualem, utilissima & summè necessaria est hæc Patrum nostrorum spiritualium diligentia, vigilantia, directio, speciali temen ratione à Deo provisa est ad tutelam Castitatis Religiosæ. Unde ubi Spirituales Patres vigilantes sunt officioq; suo rite funguntur, ibi diabolus, vel nullos vel raros eosq; breves triumphos de Castitate Religiosorum reportare solet.

Contra ubi hi segnius agunt, & media promovendæ tuendæq; Castitatis in suis filiis & subsiditis non promovent, ibi ampliùs se se impuritatis Regnum ordinariè dilatare solet. Non secus ac ubi Medici negligenter infirmos curant, ibi infirmorum plures A moriuntur, qui alias sanari poterant & vivere: aut ubi agricola negligit agrum colere seriò, ibi nulla sementis vel nulla vel suffocata crescit, à spinis, urticis & lolio, qui alioqui uberem messem poterat afferre possessori suo. Nec verò subditus ita ignavus curator sui boni spiritualis esse debet, ut nunquam Patri se suo manifestet nisi vocatus ab ipso, sed potiùs ipse ultro se offerat, ut rationem sui reddere possit. Sicut vicissim & Spiritualibus Ducibus incumbit, animas sibi à Deo concreditas ultro B advocare, suamq; curam illis, etiam non requirentibus impendere, alioqui si ovis pastorem, Pastor ovem præstolabitur, nihil restat nisi ut lupus sanguine animarum satietur.

Quartum tuendæ Castitatis medium extrinsecum. Usus Sacramentorum Pænitẽtiæ & Eucharistiæ Utriusq; Sacramẽti usus, est efficacissimum, promovendi & defendẽdi Castitatis Voti medium. Utrumq; sæviẽtem membrorum nostrorum sensuumquè effrenatorum legem, mirabiliter coercet. C Hujus experimentum (ut alios ordines omittam,) habet Societas assiduum. Etenim quod in tanta juventute plurimorum filiorum suorum, & in tam assidua cum hominibus conversatione, puritatem nihilominus non vacillare experiatur, id inprimis frequentiæ Sacramentorum istorum sacrificiorumq; adscribit, & adscribere debet. Ad quam frequentiam, Vocationis suæ tenore & gratia inducitur. Estq; hoc probatissimum, omnes eos qui hisce Sacramẽtis accuratè utuntur religioseq;, citò ad do- D num perfectæ puritatis pervenire. Contra tepidos, & eos qui tepidè & negligenter tam tremenda mysteria obeunt ac recipiũt, procul à puritate extorres fieri.

Et causa in prõptu est, si fructus horum Sacramentorum effectusq; proprij expendãtur. Nam pœnitentiæ Sacramentô, odium peccatorum gignitur & fuga; humiliatur & conteritur, cor purgatur ab usu peccandi, ornatur sanguine meritisq; Christi &c.

Eucha-

Eucharistiæ verò Sacramento, anima repletur devotione, quæ etiam in Corpus animæ suæ redundat, fomitem peccati retundit, Imaginativam à brutis cogitationibus emundat, sanctis autem illam adimplet; inordinationes corporis ipsius ac ejus passionum componit æstumq; refrigerat, affectus autem pios tam in rationali appetitu seu voluntate, quàm in sensitivo excitat: quibus auxiliis maximè perfectio stabilitur & conservatur.

Considera Quintum tuendæ Castitatis modum in Religione, quod est, ubiq, præsertim cum extra Domum Religiosam sumus, testem socium habere conversationis nostræ: neq; unquam vix certè unquam, ac nonnisi gravissimis, iisq; periculo ac suspicione vacuis causis, ac oculis conspectuquè socij Religiosi nos subducere, immo ex hoc quod socium testem habere non liceat valde suspicari ne forte [illegible]rentis conditionibus, locorum personarumq;, Diabolus nostræ Castitati insidias ac laqueos ponat. Eam certè ob causam, omnibus Religiosorũ ordinibus, etiam jurè cautum est, ut Religiosi soli non vagentur extra domos suas, immo ipse Dominus noster Discipulos suos semper binos misit ante faciem suam; quippe Religiosus inter sæculares solus, est veluti agnus luporum morsibus expositus & A rotibus cinctus, dicentibus: Euge, euge devoravimus eum.

Hæc sunt media tuendæ servandæq; Castitatis in Religione, extrinseca, quæ ideò extrinseca voco, quia ab extra ipsum Religiosum positis petitisq; Principiis proveniũt: alioqui intrinseca optimè vocari possent eorum aliqua, quia intrinsecus in homine operantur, sed de nomine parum est. Rem ipsam Religiosè diligenter expende, B atq; facta ad te ipsum applicatione, affectus & proposita congrua fac, à Deoq; auxilium postula ad perficienda illa quæ cognoscis, seu ad utendum strenuè dictis mediis &c.

CAPVT X.

De intrinsecis medijs conservandæ Castitatis.

PRimum Intrinsecum medium servandæ Castitatis votivæ ac Religiosæ. Est amor Vocationis simulq; Voti Castitatis. Conjungo hæc ambo, licet alioqui re ipsâ distinguantur, quia ambo hæc se se mutuò comitari mirabiliter & infallibiliter solent. Nã ubi est Amor vocationis, est simul & Votorum, vicissim ubi Votorum Amor sincerus, ibi & vocationis. Ubi est vocationis Amor modicus, etiam Vota in amore non sunt. Immo experientiâ didicerunt spirituales animarum medici; ferè nullum umquam de vocatione tentari, ac in ea fluctuare, quin simul tentetur & de votis ac potissimum Castitate: nec non vice versâ qui fluctuat in aliquo Voto ac nominatim Castitate, illico in Vocationis contemptũ impellitur vel propendet.

Neq, mirum est: Nam cum duo hæc sint fundamenta primaria substantialiaq; status C Religiosi, interq; se connexa & commissa, fieri non potest, ut uno labente, aliud non vacillet, sicut etiam fieri nequit, ut uno inconcussè stãte, aliud etiam robur suum habere non satagat. Quare cõjungat ista duo Religiosus in corde suo, inviolabilẽ amorẽ vocationis, simulq; Votorum omnium, ac D præcipuè Castitatis. Hæc namq; duo, sunt anima & radices reliquorum mediorum, & strenui usûs ipsorum. Proderit autem magnopere ad hoc, si non crebro, quod quidem Religiosis non antiquis valde necesarium est, at saltem aliquoties per annũ, quod Veteranis & antiquis frequentandum excitare in sese meditationibus lectionibus.

què ex propoſito aſſumptis, amorē, æſtimationem, appretiationem, obligationem vocationis & votorum. Hæc enim cauſa eſt ſæpè, quod aliqui in his tam præſtantibus ſubſtantialibusq; bonis hallucinentur aliquando, quia nimium obliviſcuntur ſtatûs ſui & vocationis ſuæ, Votorumq; pretium à memoria, conſequēter ab æſtimatione & ſtudio deponunt, propter nullā de ijs umquam ſuſceptam conſiderationem.

Secundum medium ſervandæ caſtitatis internum eſt, amor diſciplinæ Religioſæ, ejuſq; exacta in minimis ad literam, rigorēque obſervatio, & ea quidem non ſervilis, neque metu aut rigore aliquo extorta, ſed ſpontanea, benevola, amica, & ex amore ſuſcepta, amore, inquam, Dei, Religionis, communis boni, exempli, ſtudioq; profectûs proprij: ornando hanc obſervationem adjectis aliquibus ſupererogatorijs ac internis, non ad oculum nec ad plauſum adſcitis ornamentis, qui ornatus promanet, & ex ſtudio placendi Dei oculis quàm maximè, & ex guſtu quodam ſaporeq; virtutis ac diſciplinæ & Regularum etiam minimarum, ſi quæ tamen minimæ dicendæ ſunt, quæ à Deo ipſo in gloriamq; Dei ordinatæ ſunt, & quarum tranſgreſſione contriſtatur Spiritus Sanctus; Communitas ſcandaliſatur, decus animæ fuſcatur, gratia protectioquè Dei ab homine arcetur. Hic guſtus diſciplinæ ac Regularum, ut eſt valde pretioſus, ita & rarus in Religionibus, non vitio ipſarum, ſed torpore negligentiaq; Religioſorum, non tantùm ſubditorum, ſed etiam quandoq; Prælatorum & Superiorum. Hic tamen guſtus ſi adeſſet frequentior in domibus perſoniſq; Religioſis præter ſuam ipſius bonitatem atq; ſuavitatem innatam, parturiret in Religioſis tres inſignes fructus, quibus nihil optabiliùs Religioſis.

Primus eſt dilatatio cordis ad obſervanda non tantùm ea, quæ ſunt de facto præcepta, ſed etiam quæ præciperentur, quæve deſiderat præcipi. Qui enim guſtum habet in iam præceptis, eorum obſervatione delectatus, ampliorem guſtum optat, optat ergo etiam ampliora præcipi, ut exaltetur Deus, & perficiatur virtus, ut ædificetur proximus.

Secundus eſt dilatatio, & ut ita dicam liberalitas cordis ad obſervanda non tantū quæ præcepta ſunt vel eſſent, ſed etiam ad non præcepta dummodo Deo grata & placita: cupiendo prætergredi omnes obligationes, & ad ſuperrogatoria conſcendere mēſuramq; non tantùm bonam & confertam, ſed etiam ſuperfluentem in ſinum Dei, glorificando ipſum, conferre, tam multiplicitate operationum excellētiaq; actuum, quàm perfectione ac elegantia mundi ipſius.

Tertius fructus eſt, amor ipſius rigoris A atq; ſeveritatis Religioſæ, odiumq; & horror, omnis mitigationis, diſpenſationis, diſſimulationis, in obſervatione rerum præſcriptarum ab ordine. Amare enim & gaudere, diſpenſationes, indulgentias, interpretationeſq; in diſciplina communi, ſignum eſt malè conditionati Religioſi, ſpirituſq; infirmi, & non tantùm parci in Deum, ſed etiam parùm fidelis, calcaribus indigentis & cum mærore timoreq; ſervili aut affectu mercenarii operātis. Verè namquè iuſto lex non eſt poſita, quia facere bo- B num, natura voluptas & amor illi eſt, deſideratq; ſemper ampliùs facere quàm facit, quàm debet, deniq; etiam quàm poteſt.

Tertium Caſtitatis ſervandæ tuendæquè medium eſt, amor & cultus animæ, odium verò ac neglectus corporis & eius commodorum, ſalva utrinq; diſcretione, inclinando tamen potiùs in aliquem exceſſum, & in ampliùs quàm in minus. Nam ſi uni parti detrahas, alteri addas neceſſe eſt. Si corpus negligas, amabis animā, ſi hanc negligas amabis fovebiſq; carnem. Quare C excellere aliquando in cultu animæ deficere in cura carnis vitium non eſt, niſi valdè nimium ſit. Satis autem Regula hæc declarabitur, ſi dixero. Quo diſcrimine homines ſolent curare commoda ſua iumentorumq; ſuorum, hoc diſcrimine debere Religioſum curare commoda animæ ſpirituſq; ſui, & corporis ſenſuſq; ſui. Quis unquam plus indulſit aſino ſuo, quàm ſibi? rarus procul dubio. Et utinam tam rari ſint in Religionibus, qui plus corpori indulgeant quàm animæ. Caſtitatis cer- D te ſtrenuus ac zeloſus amator, ita faciet, ut quæ ſunt carnis, eorum curam non perficiat in deſideriis, ſed obiter ac perfunctoriè & nonniſi adactus ſuſtentationis puræ non delectationis aut ſaturationis gratia, quæ verò ſunt ſpiritûs, hæc ei prima, hæc in deſiderio, hæc in ſolicitudine, hæc in oculis, hæc in fame, hæc in deliciis, avaritia in infatigabili inexplebiliq; exercitatione ſint; ita ut totum Religioſi animum, mentem,

tem, cor, quin & corpus, hæc ſpiritus cura abſorbeat, tempus omne rapiat, adeò ut vix aliquid ſuperſit otij, quod, & quidem adhuc magis: invitè & ægrè, & cum dilatione, corpori ipſi non tam impendatur quàm obijcitur ut carni ipſi in morem vertatur cõmodis ſuis carere, ea oblivisci, ea faſtidire, iis tædio affici; amare autẽ ea quæ ſunt ſpiritui proficua, ipſiquè carni amara. Qualem carnem S. Franciſci fuiſſe aſſerit Divus Bonaventura, quæ ſcilicet aſperitates ſuas, ſpiritus verò delicias appeteret, impleretúrq; in eo illud Davidis: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Quartum internum medium caſtitatis ſervandæ, eſt amor, & conſectatio, teneræ, puræ, delicatæq; conſcientiæ. Cujus, ſicut duo ſunt inimica ac propterea vitanda extrema, ſcrupuloſitas ſcilicet & laxitas conſcientiæ, quarum illa, etiam non timenda timet, iſta, etiam timenda non timet: ita duæ ſunt intermediæ partes ſeriò excolendæ ei qui caſtitatis zelator eſt.

Unum eſt, tam accuratè diligenterq; fugere minima peccata minutoſq; defectus, quàm aliqui ſolent vix declinare à gravibus peccatis, ita ut anima quodammodo neſciat diſcrimen magnæ & parvæ culpæ ſed illi ſatis ſit ad diligentiſſimam fugam, quia culpa eſt. Poterit autem etiam ulterius progredi ut ſi non tamen culpas prohibitas, ſed etiam imperfectiones probabiles, quantum prævalet, declinet. Quodſi quando minùs poſſit, eas, perfectionibus egregiis compenſet. Præter hæc poteſt in hac parte etiam progredi, ita ut coram Deo ſemper abſq; obligatione culpæ & pænæ compareat quantùm fieri poteſt. Poſse autem id non tantum aliquando ſed etiam ſæpe fieri non dubium eſt. Nam hoc inprimis frequentis & diligentis uſurpationis Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sanctiſsimiq; Sacrificii effectus eſt: hoc etiam eſt fructus ferventium actuum Contritionis, charitatis Reſignationis: hic etiam eſt effectus operum pænalium in gratiâ & fervore actuali inq; meritorum Chriſti unione ſæpè exercitorum, hic eſt etiam fructus devoti uſus Sacramentalium & eorum operum quæ in Eccleſia expiationi culparũ venialium deſtinata ſunt. Hic eſt etiam fructus Indulgentiarum piè diligenterquè uſurpatarum. Mitto alia.

Altera amoris erga teneram conſcientiam pars, ſeu alterum eius officium conſiſtit in proſecutione bonorum omnium quibus Deo ampliùs & ampliùs placere, amplius ampliuſq; aſſimilari anima poſſit.

A Ad hanc Officii ſeu amoris partem, pertinet. 1. Omnia quæcunq; agit, quæcunquè intendit propter Deum purè propter eius voluntatem, dignitatem, guſtum, charitatemq; agere. Primum quidem obligatoria, deinde ſpontanea: ſine reſpectu & dependentia ob oculis creaturæ: ſed proinde in oculis ac extra oculos humanos, ad ſolius Dei oculos attendendo, quibus diſplicuiſſe vel minimum inferno peius oderit: placuiſſe vel minimum cœlo ipſi præferat.

B 2. Omnia quæ agit exigua minutaq; & putida putare: attamen ea ſic agere, ſic in eis agendis conari, ut perfectè & abſolutè omnibus numeris agat, agere certè contendat, defectumq; executionis expleat deſiderio & plenitudine conaminis, quo deſiderio conatur adæquare dignitatem Divinæ majeſtatis, eiuſdemq; in ſe beneficentiæ ac liberalitatis.

3. In omnibus præſentem atq, adeò familiarem intimumq, Deum habere: & cum C eo tanquam tali agere, atq, communicare ut videatur anima nec extra Deum eſſe, nec ſine illo quidquam ſcire, poſſe, velle, nequè ſe movere, quãquam ſine illo amice priùs tenereq, conſulto, conſcio facto, in partem operis vocato, tota omnis operis ac laboris bonitate, præſtantia & gloria donato ac ornato: ad eum modum quo amicus amicũ, quo ſponſum ſponſa, quo anima corpus, corpus animam in omnibus participem, D conſortemq, habet: ſive ſint amara ſive dulcia: ut impleatur in anima, vel homine illud. Qui adhæret Deo unus ſpiritus eſt.

Hæc media interna caſtitatem ad profectum deducunt deductamq; cuſtodiunt, imo caſtitas ad ea quoq, diſponit ac deducit modo ne deſit ipſi ſibi, Vocationi ſuæ, & mediis omnibus quæ ad perfectionem Virtutum Votorumq, conſequendã habet Religioſus.

CA-

CAPVT XI.

De varijs Exemplaribus Caſtitatis Religioſæ.

PRimum exemplar ſpeculumq; Caſtitatis: ad quod Religioſus ſuam caſtitatem ejuſq; amorem & curam conformare debeat. Eſt autē exemplar hoc, ipſe Dominus Deus noſter in Trinitate unus, in unitate Trinus. Qui cū ſit Spiritus omni creato ſpiritu longe purior, nulli compoſitioni, nulli multiplicitati nulli permiſſioni, nulli potentiæ, nulli corruptioni mutationiquè obnoxius: ideo eſt primus originaliſq; puritatis omnis fons, caput & pater, neq; in eum quidquam cadere poteſt coinquinatum, & eſt ſeminator caſti conſilij: eſt idea & norma caſtitatis. Ob quod vocatur à Sanctis Patribus Sacro ſancta Trinitas prima virgo: perfectiſſimū nimirum omnis Virginitatis puritatiſquè principium magiſterium, ſpeculum, præmium. Et quia Chriſtus Dominus non dubitavit hortari omnes fideles ut ſint perfecti, ſicut & Pater noſter cœleſtis perfectus eſt: Non mirentur caſtitatis profeſſores ſibi divinitatis ipſius puritatem imitandam proponi, cum & hæc ſit una ex ejus perfectionibus & quidem talibus, quas Deus ſicut libentiſſime communicat, ita ob eas ſibi complacet maximè in creaturis.

Secundum ſed fortaſſe, ob infirmitatē noſtram, hoc primum exemplar altius eſt, quàm ut ad ejus æmulationem ſpirare audeamus. Conſiderandum ergo ſecundum Exemplar Caſtitatis, & quidem ſimul geminum, videlicet Ieſum Chriſtum, ejuſquè Pretioſiſſimam Matrem, Virginitatis & puritatis noſtræ anteſignanos, Magiſtros Patriarchas, ſpecula. Utriuſq; enim vita nihil aliud fuit, niſi puritatis exercitatio & doctrina. Et Dominus quidem IESUS, non tantùm ipſemet puritatis eximiæ cultor fuit ſemper in ſe ipſo, ſed etiam de Virgine naſci voluit, honorans per hoc ſummè puritatem. Maluit enim maxime ſtupenda miracula in ſua Incarnatione patrare quam in minimo puritati Matris ſuæ incōmodare. Iam verò mater ipſius præter
A hoc quod Caſtitatem ſuam prima omnium
poſt homines natos per Votum conſecravit Deo, uſq; adeò firma & zeloſa fuit pro
ſuo iſto Voto, ut promittenti Angelo Incarnationem filij Dei, Votum illico ſuum
oppoſuerit, magis eligens Virgo permanere quam Mater Dei fieri, ſi non Divina omnipotentia, utrumq; illi conferre, ſimulquè in ea conjungere elegiſſet. Ex quo ſatis apparet, quo ſtudio pretioſiſſima Parens
B pro ſua puritatis integritate zelaverit, in
tota vita ſua.

Tertium Exemplar Caſtitatis quod hactenus propoſitum in Evangelio Sanctis, quorum puritas in eo ſita eſt, ut ſint etiam incapaces omnis impuritatis. Ad quem gradum & ſi homo non teneatur, cum neq; poſſit abſolutè pertingere, in hoc tamen eos Religioſi æmulantur, quia Voto Caſtitatis facto, voluntariam impoſſibilitatem,
C & veluti incapacitatem omnis impuritatis
aſſumunt. Cui Voto ſi etiam prout ex vi ejuſdem Voti debent, & cum gratia Dei, cumq; uſu mediorum Religionis facilè poſſunt, adjiciunt diligentem obſervationem & ejus aſſequendæ in omni perfectione ferventem laborem nihilo interiorem aſſequuntur coram Deo puritatem, & puritatis remunerationem, ſed teſte Chriſto, erunt ſicut Angeli Dei: immo cum illa Ver-
D ba Chriſtus dixerit, de omnibus Beatis in
cœlo promiſcue, & in his longe eminere Caſtitatis cultores certum ſit, neceſſe eſt illos, vel peculiariter fieri ſimiles Angelis Dei, vel etiam aliquod ſupra illos in præmium Caſtitatis à ſe, Deo Voto ſacratæ atq; cultæ habituros.

Quartum Exemplar Religioſæ Caſtitatis in

in Sanctis plurimis à Divina Providentia nobis propositum, quos inter eminent primùm Apostoli Sancti, qui statim ac vocati sunt à Christo ad suum discipulatum, statim omnes amplexi sunt cultum Castitatis, & forsitan etiam eandem, Doctore Christo per Votum firmaverunt. Iidem deinde fidelibus ad Christum conversis maxima ex parte, si non planè omnibus, ejusdem virtutis cultum observationemq; suaserunt.

2dò. Eminent Sancti illi qui Virginitatis Castitatisq; servandæ & tuendæ gratia non solùm difficultates maximas, sed etiã ipsam mortem pati elegerunt; erubescere certè debent Religiosi negligentiores ad hoc speculum intuentes, quia cum videant tenerrimas virgunculas tantùm pro sua puritate defendenda pati voluisse, quàm ullã ejus injuriam perpeti, ipsi tamen Voti Castitatis à se facti sint frigidi custodes, & vix aliquas molestias sensui suo carniq; inferre dignentur propter assequendam perfectionem puritatis.

Quintum Exemplar non iam à Beatis, aut puris spiritibus petitum, sed domesticũ & iuxta nos situm, eorum nimium omnium, cum quibus non tantum in tota Ecclesia militante per tot ordines Religiosos in Castitate Deo ferventer militantes, sed etiam intra ipsos domesticos parietes, intra unius domûs gremium vivimus, quos omnes scimus Voto castitatem suam Deo obligasse & ad eius observationem omnibus mediis & auxiliis, à vocatione sua sibi propositis accuratè & perpetuo videmus eniti. Quos utiq; par est, ut & ipsi imitemur, & hac consolatione, tum communitatem A in qua sumus, tum totam Religionem, tum Ecclesiam militantem, ac triumphantem repleamus atq; cumulemus. Sanctos præsertim huius Religionis qui iam in Domino mortui cum eodem regnant, & præmia tum aliarum virtutum suarum, tum puritatis excellenter cultæ, uberrima recipiunt.

Ultimum speculum Castitatis, quod est in Regula à Sancto Fundatore nobis de huius Voti observatione, paucis sed gravissi- B mis, & quibus nihil addi possit, amplius propositum, verba eius sunt hæc: *Quæ ad Votum Castitatis pertinent explicatione non indigent, cum constet, quam sit perfectè observanda nempe enitendo Angelicam puritatem imitari, & cordis & corporis nostri munditiâ.* Pauca sed prægnantia, sed omnem castitatis perfectionem complectentia, sed omnem diligentiam in eius observatione præcipientia verba.



CAPVT XII.

De incitamentis ad amorem & observationem Voti Castitatis.



PRimum incitamentum ad amorem Castitatis, eiusq; Voti est, amor & æstimatio illa, quam Deus ipse habet erga castitatẽ, eiusq; Votum. Cum enim ipse sit summa prima ac mera puritas, quantò creaturam aliquam magis diligit, tantò illam puram magis facit, & quantò magis à creatura aliqua diligitur, tantò magis hunc amorem ejus purum esse vult, & per consectationẽ puritatis quam perfectissimæ, hunc amorem sibi comprobari desiderat adeoq; tota Dei lex eiusq; voluntas huc tendit, ut nos per eam puri adinstar ipsius efficiamur, ut- C què nos per illam Deus suæ puritati quam simillimos vicinissimosq; faciat. Quod evidens est signum magni zeli illius, qui est in corde Divino erga puritatem quidem mentium imprimis, deinde corporum, sine quorum puritate, mentes esse puræ non satis possunt. Quocirca si cor Dei amore puritatis æstuans recreare desideras, id facere

stude-

studero per amorem tuæ propter Deum puritatis atq; castitatis quàm maximũ Votiq; illius observationẽ quam accuratissimam.

Secundum incitamentum est IESU Christi ac Sanctorum omnium Castitatis amatorum exemplum, & in castitatem studium. Certè rem esse valdè eximiam oportet eam tam omnis Sanctorum cœtus, quam Sanctissima post Deum creatura Dei Mater, quam deniq; ipsa Incarnata Sapientia tantopere amat, colit, & zelat, ut nón possit, non in magnum istorum contemptum vergere, si quis præsertim Religiosæ Castitatis Voto obligatus, eam tamen parvi faciat, parumq; zelet, eam etiam contumelia afficiat Sicut enim summè honorantur omnes cœlites, amore & cultu Castitatis: ita vicissim gravi dedecore afficiuntur, si maximè Deo castitas in eorum conspectu, & cum ipsorum attestatione promissa impiè temeretur. Itaq; servus Christi & Matris ejus Sanctorumq; cultor, cultor etiam erit eximius puritatis: tum quia illam Christus & Mater, Sanctiq; ejus tantopere amant, tum quia ille vix meliùs potest suam erga omnes cœlites testari caritatem ac venerationem, quàm per fervẽtem zelum curamquè Castitatis & illius Voti.

Tertium incitamentum amandæ Castitatis & ejus Voti est, ipsa Castitas ad eò excellens elevataq; natura: quam scilicet lex suis cancellis comprehendere non potuit: sed tantùm gratiæ ac liberali in Deum libertati est relicta. Adeo excellens est, & suo quodam peculiari præ omnibus alijs virtutibus privilegio atquè jure, sponsum Deum & quidem alium nullũ, & exigat & accipiat: sane non immeritò Angelis comparatur vel etiam præponitur, quæ Angelorum Domino desponsatur, non immeritò etiam Angelis admirabilis, venerabilis, & amabilis est, quandoquidem per eam homines, alioqui natura Angelis satis inferiores, tamen ad similitudinem, ad vicinitatem, ad æqualitatem, ne dicam etiam ad supergressionem Angelorum evehũtur. Deniq; (ut omittam alia) adeo excellens est natura Castitatis, ut eam Divina sapientia idoneam judicaverit, quæ Deum incarnaret, quæ Deum filium haberet, quæ Incarnato Deo æterna in cælo & terra cõmes esset, quæq; peculiarem & à Deo honorem ipsa acciperet, & Deo quoq; tribueret in cælo præ omnibus Sanctis ac Beatis.

A Quis ergo tantum bonum non amet?

Quartum incitamentum amandæ Castitatis est, odium & bellum diaboli in castitatem, præsertim Voto firmatam implacabile, simulq; ejus conculcandi & confundendi medium insuperabile homine casto, & puritatis perfecto zelatore, nihil est Diabolo sicut detestabiliùs, ita & formidabilius. Odit & oppugnat Diabolus castũ hominem tamdiu, quamdiu heroicè ab illo B non vincitur, & veluti in desperationem victoriæ non conjicitur: at postquam strenuè victus est & conculcatus vel semel, ita castum illum hominem deinceps metuit, sicut lepusculus timet leonem. Quam implacabili æstuet odio puritatis Diabolus, indicio sunt obstinatæ illius castitatem profitentium oppugnationes, stupẽdæ fraudes, horribiles violantiæ, innumeræ tentationes & tentandi rationes, indicio etiam C sunt innumeræ myrrhiades hominum luxuria peccantium, & ob eam inferos replẽtium. Indicio est etiam quod Diabolus natura spiritus & à carne procul discretus, tamen non dubitet naturam suam, indolẽquè aliàs nobilissimam, spurcissimis luxuriæ molitionibus & excusationibus sordidare, tandem solius Castitatis odio, expugnandæq; studio, ita, ut quantum Deus delecta- D tur castitate execratur autẽ luxum, tantùm contra Diabolus oderit castitatem luxuq; delectetur &c. Hoc ergo Diaboli in castitatem odium, debet Religiosum omnem excitare & acuere, ad defensionem quàm accuratissimam castitatis tam suæ propriæ quàm etiam proximorum, pro suo modulo atq; instituto.



CAPVT XIII.

De alijs Incitamentis ad Amorem cultumq; Castitatis & Voti ejus præsertim in Societate.



Uintum incitamentum ad studium Castitatis Votiq; ejus est, remuneratio illius in hac etiam vita apud Deum & homines. Duplices sunt Castitatis prærogativæ apud Deum, quibus eam ille in hac vita remuneratur, aliæ sunt ordinariæ, ut sunt immunitas à corruptela, à solicitudinibus hujus vitæ, à divisione in partes, à servitute carnis & carnalium obligationum, ab impedimentis Deum toto corde amplectendi, eique plenè ac totaliter serviendi: ab impedimentis Orationis & familiaritatis cum Deo.

Hic adjungendæ sunt oppositæ opportunitates Deum orandi & amandi, sine solicitudine ac impedimentis, cum auxiliis verò & adjunctis illi serviendi. Pax deinde & quies serenitasq; animi, inhabitatio à Deo desponsatio cum eodem specialis Dei Angelorumq; circa castos cura & pro eis zelus liberalitas Dei erga eos bona sua omnis generis in eos effundentis &c. Aliæ sunt extraordinariæ, & planè miraculosæ, in auxilium tamen & solatium Castitatem professorum crebræ & usitatæ, ut sunt extraordinarij favores divini, tam gratuiti, ut vocant, seu gratis dati, quàm gratum facientes. Gratiæ miraculorum, prophetiæ, potestatis super Dæmones, intelligentiæ mysteriorum fidei & scripturarum, contéplationis donum, familiaritas cum Angelis Custodibus, & cum cælitibus alijs, miraculosæ defensiones illorum in periculis, vel tentationibus &c, Incorruptio post mortem etiam mortui corporis, candor, nitor, odor ejusdem supernaturalis. Apud homines, castitatem profitentium veneratio est summa & veluti ab instinctu naturali manans, quem etiam gentiles habuerũt, quod evidens signum est excellentiæ Castitatis & maximum debet esse incitamentum ad ejus amorem, & appretiationem, & observationem.

A Sextum incitamentum ad amorem observationemq; Castitatis est, præmium ejus in cælo. Est verò duplex minimum. Unum essentiale consistens in visione, fruitione, possessioneq; summi Boni, hoc est Dei quod primum est commune omni perfectioni atq; virtuti Christianæ. Alterum est accidentale, quod tribuitur Castitati tanquam consilio & Voto, & tanquam cum Virginitate conjunctæ, si quando est cum

B illa conjuncta, vel tanquam soli per se; etiã sine Virginitate, tanquam Heroicæ Virtuti, notum est enim quod scriptura sacra asserit: Virginibus dari in cœlo sequi Agnum quocunq; ierit, & canere Canticum, quod nemo alius canere potest, qui Virgo non est. Et hæc est Aureola castitatis, quæ cõsistit in specialiter insigni gloria fulgoreq; tã animæ quam corporis in cælo, ejus, qui

C perpetuam hic Virginitatem propter Christum coluit. Notum est etiam in eadem scriptura dici, quod castis dandum sit nomen melius à filijs & filiabus: quòd est promittere illis ratione servatæ Castitatis specialem gloriam, honoremq; qui non tribuitur alijs justis, qui non in Castitate vixerunt. Et ratio est, quia castitas Voto firmata, est consilium, & perfectione in sese peculiarem gradumq; heroicum conti-

D nens, ratione cujus à liberali & justo Domino, redditur illi etiam respondens merces. Ex quorum præmiorum consideratione, meritò magnus fervensq; amor, ac zelus castitatis Religiosæ debet enasci in cujuslibet Religiosi animo, & curet in hoc tam pretioso bono, quàm perfectissimè eminere &c.

Septimum incitamentum est, severitas Dei

Dei in transgressores Voti Castitatis. Etiamsi non essent exempla ulla divinitus edita in hac materia, satis id posset esse notum ex discursu. Nam si tantùm Deus zelat Castitatem ejusq; Votum, ut in præcedenti consideratione habitũ est, satis cõstat quàm severè transgressores ejus puniat, cum hæc severitas ex magnitudine zeli illius fluat. Deinde, si inter homines transgredi promissionem fidei, quæ inter conjuges utrinquè datur, est capitale, & morte punitur illa injuria homini ab homine facta, quid dubitare possumus Deum capite damnare transgressorem Voti, sponsam sibi alias desponsatam. Accedit, quod si Sodoma cũ alijs Civitatibus, immo si totus mundus fœdatus luxuriæ sordibus, esto non esset Votum Castitatis ab eo emissum seu ab ejus incolis, est tamen nihilominus tam horrenda severitate ignis & aquarum exundantium à Deo impietas illa punita, quid putamus facere Iustitiam Dei cum Votorũ Castitatis sibi Religiosè nuncupatorum transgressoribus? Certè David non fecerat Votum Castitatis, ejus tamen adulteriũ, usq; hodie habet pœnam in Ecclesia Dei, & habebit usq; ad finẽ mundi; quia quæ ille fecit in occulto, hoc Deus voluit & fecit faciet q; manifestari in oculis solis hujus usq; ad finem mundi. Quidni ergo etiam aliquid graviùs faciat in puniendo Religioso Voti transgressore? qui est in eo simul sacrilegus & adulter, violator templi Dei, & Spiritus S. tollens membrum Christi & faciens illud membrum habitaculumq; Diaboli, cui Religiosus hac in materia sacrilegus est præ omnibus alijs peccatis esca ejus electa.

Octavum incitamentum ad diligentem curam, observationem, appretiationemq; Castitatis est, specialis quædam necessitas perfectionis atq; ut ita dicam securitatis in hoc Voto, quam oportet haberi à filijs Societatis IESU. Etenim præter communem cum omnibus Religionibus Voti hujus obligationem, ejusq, ad unionem cum Deo consummatamq; perfectionem assequendã necessitatem, incumbit hominibus Societatis, specialis quædam causa necessitasq; perfectionis non tantùm curãdæ, sed etiam habendæ, semperq; tuendæ ac tenendæ in hujus Voti materia, si volunt esse idonei debite in hac vinea Domini operarij.

Id quod manifestum satis est, attendenti ad naturam finemq; Societatis IESU. Nam cum eius finis sit, tam suæ quàm proximorum perfectioni salutiq; vacare. ad hoc autem omnino necessum est, homines Societatis, frequentissimè & nonnunquam assiduè cum proximis versari, cuiusq; tandem illi sint connexionis, sexûs, status, ætatis, prout vel proximorum utilitas necessitasq; vel caritas obedientiaq; nostra postulabit, evidens est, hominibus Societatis, seu con-
A versaturis, seu conversantibus inter proximos, non defuturas occasiones, in quibus oportet illos accuratam puritatis Votiquè sui rationem, ac custodiam habere, perfectioneq; & studio, ac zelo, necnon prudẽtia tuendæ Castitatis excellere ut in offerentibus se occasionibus, firmi, inconcussi, integri stare quantum ad omnem virtutem & nominatim quãtum ad hoc Votum possint; aliàs poterunt facilè detrimentum pati, cum iactura suæ alienæq; salutis, cum scandalo proximorum, cum iniuria com-
B muni &c.

Cuius rei atq; difficultatis bene gnarus S. Fundator Religionis, ea media instituit Deo docente, in hac Religione, quibus nihil aut ampliùs addi & efficacius reperiri possit ad consecutionem, conservationemquè puritatis eius Voti. Ejusmodi sunt. 1 Delectus personarum in admittendo ac retinendo in Societate. 2. Probationum experimentorumq; varietas & longitudo. 3 Meditationum & exercitiorum spiritu-
C alium usus quotidianus 4. Examinum & reflexionum super suam vitam quotidianam frequentia. 5. Votorum & spiritus instauratio & renovatio. 6. Annuæ semestres, & crebriores etiam pro cujusq; diligentia Collectiones. 7. Manifestatio Conscientiæ propriæ, integra, crebra, non tantum quoad peccata & errores, aliasquè indigentias interiores, sed etiam quoad dona & gratias cælestes virtutumq; exercitationem, & in eis profectum, proficiendi-
D què & procedendi modum. 8. Regularũ & instructionum in omni officio & occupatione directiones & cancelli. 9 Mortificatio passionum, ac præcipuè judicij & voluntatis, 10. Dependentia in omnibus à Superiorum arbitrio, sine ulla limitatione & exceptione, præter solum manifestum peccatum. 11. Mortificationum externarum, publicarum privatarumq; usus pro cujusq; personæ viribus necessitatibusquè cum

cum superiorum concessione, ac imperio. 12. Obligatio cujusq; ad manifestandam necessitatem, tentationem, imperfectionẽque alienam apud Superiorem, dummodo extra confessionem, aut naturale secretum cognita ea sit. Ad quam manifestationem, seu delationem sui ab alijs ad Superiorem perferendam omnes statim ab ingressu Religionis obligantur, suoq; ad id jure expressè cedunt. Et est hoc Religionis hujus substantiale, estq; unum ex præcipuis, tam ejus ipsius, quam personarum ejus omnium, totiusq; Disciplinæ & boni ac famæ communis conservandi medium, ac malorum omnium periculorumq; à Religione ac filiis ejus amovendorum remedium, inventumq; sicut planè necessarium, ita planè divinum 13. Sacramentorum sacrificiorumq; usus, in sacerdotibus quidem quotidianus in non Sacerdotibus octiduanus semper, frequentior sæpè. 14. Præsentia socij unius vel etiam plurium, qui sit semper & ubiq; oculatus testis vitæ morum conversationisq; nostræ.

A Hæc media tuendæ Castitatis, quæ in Societate IESU, omnia simul in usu sunt, ejusmodi sunt, ut ijs nihil efficacius inveniri, nihilq; amplius addi possit, eaq; in usu & praxi esse quantum ex parte sua est Religio dat omnem operam, restat tantùm ut persona quælibet suo muneri in eorum accurato usu non desit Et certè deesse tam nullo modo debet, quàm officio finique suæ Religionis, ac per hoc, etiam suo deesse illi non licet. Quare & tanta ne-

B cessitate, & commoditate tanta mediorum quilibet Societatis filius, summe provocari debet ad studium in se maximè promovendum semperq; continuandum tum in omni virtute, tum nominatim in Castitatis perfectione, ejusdemq; diligentissimâ observatione.



TRACTATVS DE OBEDIENTIA RELIGIOSA.

Caput de septem motivis Religiosæ obedientiæ.


CAPVT I.

Ad obediendum impellit Dei voluntas.

PRimum ergo Caput ex quo subjectionem ad Superiores servare tenemur est Dei præpotentis, cujus opera manuũ sumus, Sanctissima voluntas. Vult Deus noster hoc, ut nos subditi subjectiq; simus aliis quos ille nobis præposuit. Quid tu Religiose? non te pudet tam ignavum esse & minimè strenuum in subjectione servanda? Quomodo non te pænitet, toties contra Superiorum tuorum voluntatem fecisse, dixisse, cogitasse? non erubescis, recogitans tecum, quoties subaudis aliquid Superiores tuos statuisse, vel etiam non statuere velle in illa verba prorupisse. Hoc quid ad rem est? cui bono? quæ necessitas istius? his nihil aliud curæ præter vexare & mortificare alios &c. Et cujus quæso hæ voces fuerunt? Religiosi an magis sæcularis hominis? tu ipse judex esto. Et quæso contra quem fuit murmur tuum? contra homines? an contra Deum? *Subditi estote* (ait scriptura) *omni humanæ creaturæ propter Deum*, sive imperantem id vobis, sive optãtem id à vobis, sive ut ei gratam rem faciatis, sive ut voluntatem ejus impleatis. Quodsi Deus vult nos subjici omni homini, quantò magis omni Superiori, quem ipse peculiariter nobis præposuit? de qua re ipse ad illos ipsos dicit: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Et adhuc accuratius, *qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Pupillam ergo oculi Dei tu
A spernes? nonne hoc scelus esset & crimen pessimum? nonne hoc esset à Deo recudere & apostatare? siquidem ergo voluntas Dei est, te subjectum & dicto audientem esse Majoribus tuis, vide ne mandata eorum, esto levissima videantur, esto gravissimi appareant, contemnas.

Ama voluntatem Dei, eiq; obedi, cui ipse Deus præ omnibus obedit, & per omnia obsequitur. Quem timeas errorem aut
B deceptionem in voluntate Superiorum? quando hæc eadem est voluntas Dei sapientiæ? quem formidas errorem in tuis actionibus, quando te illa omniscientia gubernat per superiores tuos? Est hoc primum obedientiæ fundamentum atq; principium *facere quod Deus vult.* Deus vult me subesse alteri, Deus vult me ab illo homine regi, seu vult me per illum hominem ipse re-
C gere, vult ergo me obedientem esse, immo vult me sub specie illius sibi obtemperare. Ama ergo Dei voluntatem, ama & tuam subjectionem. Voluntas Dei est subjectio tua: imple istam & imples illam, sicut vis à Deo gubarnari, ita velis & à Superiore dirigi. Divinum enim regimen gubernatio Superioris est. Et quid te securius ne dicam

beatiùs. Obedientia enim beatitudinis felicitatisq; Mater. Ergo *obedite ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino & non hominibus Ad vocem Superiorũ, perinde ac si à Christo Domino egrederetur, quam promptissimi simus, re quavis atq; adeò litera imperfectâ à nobis incoatâ necdum perfectâ relictâ.*



CAPVT II.

Ad obediendum impellit exemplum Christi.



CHristus *factus est Patri obediẽs usq; ad mortem,* mortem autem Crucis. Erat subditus Matri, Iosepho putativo Patri: obedivit iniquis Iudicibus, crudelibus carnificibus. Obedivit Deus Deo, æqualis æquali. Obedivit Deus homini, obedivit Deus impio, obedivit affligenti & percutienti, obedivit usq; ad mortem, immo & post mortem, quia neq; post mortem descendit de cruce, nisi per alienam voluntatem. Perdidit vitam, ne perderet obedientiam. Natus est ex obedientia, vixit obedientia, mortuus obedientia Quid est ergo Christus? nisi vel filius obedientiæ, vel obedientia. Vides o Religiose typum obedientiæ obedivit Christus, ut obediret Christianus; quantò magis Religiosus?

Vides quam te trahit exemplum Domini tui ad obediendum non solum Deo, non solum superioribus bonis, sed etiam molestis & discolis, neq; solum his, sed etiam inferioribus, non tantùm in mollibus & levibus imperiis, sed etiam in gravissimis, quibusq; & ignominiosissimis, deniq; in morte ipsa, eaq; non minùs probri quam doloris plena. Et tu audes promere illas voces, grave est hoc quod imponitur, facilè est imperare, etiam ego scirem ita imperare alteri: Si ipsi superiores facerent, utiquè non imperarent, Esto mi Religiose, nunquam hoc sit superior ipse jussus vel passus, quod imperat tibi numquid Christus non est amplius passus, quàm imponitur tibi? Quis est, cui obedis, Christus an Homo? Cujus exemplo obedientiæ Votũ ac jugum subijsti? utiq; non hominis, sed Christi. Quodsi exemplô Christi obedientiam vovisti, nonne mentiris in Caput tuum, cum dicis Superiorem tuum passum tale nihil, quale imponit tibi? Nunquid non exemplo præivit tibi, nunquid jam exemplum illius transcédisti? Nunquid usque ad sanguinem, & alapas, & sputa, ad
A flagella, ad spinas, ad calumnias, ad Crucem, ad mortem Crucis obedientia te trahit? nunquid perdenda est tibi vita propter obedientiam, sicut Christus quia mandatum dedit illi Pater, posuit animam suam? O te Martyrem delicatum! o servum improbum! o filium procacem! Vidistine servum aliquem, qui non alia conditione vellet obedire Domino, vel Patri filius, nisi ut priùs ipsa imperata faciat Dominus
B vel Pater? vel nonnisi ea imperentur, quæ placeant servo, lubeantvè filio! At tu de hoc servorum filiorumq; minimè utroq; dignorum nomine, numero es. Hoc utiq; est, neq; servum, neq; filium Christi esse, hoc non est tollere Crucem post IESUM, sed est eam abjicere & proijcere in IESUM

Si ergo vis esse verus obedientiæ filius, si Christi imitator, si discipulus, si servus, si
C filius, disce à Christo, quid sit obedire homini pro Christo, tanquam Christo, & adinstar exempli quod vides in Christo. Obedientia, non sumpsit nomen a visione, sed ab auditione, audita enim facit non visa, audita voce imperantis, id explere officium obsequentis. Non quia videt gratũ, sed quia audit imperatum. Unde etiam obedientia est cæca, sed non surda, nunquam dispicit imperium quale sit, sed tantum audit

dit

dit, ut impleat quod audit. Cæca ergo obedientia cum sit, cæcos quoq; filios, veros scilicet obedientes facit. Qui cæcus non est, ejus non est. Non est filius obedientiæ ille, qui audiens imperium majorum, hæret ad singula, rationes inquirit, moras nectit, murmur exerit, querelas interserit, aures occludit, sed ille est obedientiæ verus filius, cui audire sufficit, nec ullas imperij causas scrutatur; nullas emollientes suasiones expectat, priusq; imperio effectum dare, quàm ejus finem audire incipit.

In qua re obedientia Fidem Christianam æmulatur. Nam & in fide non ideo credimus, quia scimus v.g. Deum Trinum & Unum, sed ideo scimus, quia credimus. Ita in obedientia, non ideo Superioris imperiū facimus, quia illius rationes justas honestasq; novimus, sed potiùs ideo justum honestumq; credimus, quia imperium audimus & novimus. Et planè sicut in fide creditionem sequitur scientia, ita in obedientia auditionem sequitur approbatio sive visio. Et sicut Fides auctoritatem sequitur revelantis sine ulla ratione: ita obedi- A entia voluntate nititur imperantis sine ulla alia persuasione, tantumq; in opere utitur obedientia suis manibus, pedibus, viribus, nunquam autem oculis seu rationibus & discursibus. Superiori relinquit, ut videat expendatq, quid imperet; sibi verò reservat, ut quod imperatur audiat, approbet, expleat. Dixerat quondam S. Pater noster Ignatius cuidam viro Principi, se jussu Superioris sui commissurum mari, navicu- B là qualibet, sine velis remisq; aliisq; subsidijs. Cum verò vir ille hæc audiens: Ecquæ esset ista prudentia diceret? reposuit S. Pater: Domine prudentia non est penes obedientem, sed penes imperantem.

CAPVT III.

Ad obediendum impellit Natura.



Atura rerum omnium creatarum rerum hæc est, ut subdantur alteri: ut nobiliori subjecta sit vilior, Superiori subsit inferior. Invenies hunc ordinem in omnibus rebus creatis. Cum enim sint rerum gradus, unusq; altero Superior, semper altiori subest inferior, aut subesse laborat, ita ut si non subsit, vim se pati mox ostendat, & natura duce feratur ad ordinem debitum. Ita semper terra sub aquam, aqua sub aerem tendit. Ita semper ignis supra aerem evolat: ac nisi assequatur, vim se pati ostendit. Servant eundem ordinem res animatæ, nam herbæ & plantæ subsunt animalibus, animalia bruta subsunt homini rationali, terra, aqua, aer, ignis, alunt herbas & plantas, plantæ, animalia bruta, hæc, homines. Et hunc ordinem omnia servant, omnia tuentur. Per quod nihil aliud clamant, nihil inculcant homini, quàm subjectionem esse ili aliquam naturalem ac necessariam. Nam cùm videat, omnia sibi subjecta & servientia, ad quorum subjectionem nihil ipse con- C tulerit, proindeq; esse aliquam vim superiorem, ob cujus imperium, ista sibi habeat obsequentia, incipiat etiam ipse inquirere, quisnam sit ille qui hæc fecerit? quis, inquam, hunc rebus omnibus ordinem dederit, qui hominem ipsum omnibus præfecerit creaturis, & nulli illarum eum subdiderit. Quem ubi homo cognoverit Deum esse, incipiat natura duce, ipsum nosse, ipsū colere, ipsum amare. Nosse quia Cōditor, colere quia Dominus est Possessor, amare quia Benefactor & bonum summū ejus est.

D Est namq; manifestum homini, se à se ipso non esse id quod est; neq; habere id quod habet. Est etiam eidem per se evidens, esse alium, & non alium præter Deum, à quo & se ipsum, & alia omnia à se habeat. Est quoq; eidem notum per se se: obligari se naturali debito ad Deum Auctorem sui & omnis boni sui, noscendum, colendum, amandum

mandum; tum ob se datum sibi, tum ob omnia alia creata, sibi ab eodem in usum data & subjecta, ideo natura duce in hunc ordinem deducitur, ut omnia illi, ille autem Deo subdatur; quandoquidem nullam aliã creaturam supra se habet cui jubente Deo subdatur. Etsi enim Angeli natura sint præstantiores homine, hos tamen Deus non fecit Dominos hominum, neq; eos eorum usui & potestati subjecit, sed acsi Angeli in rerum natura nulli essent, hominem omnibus rebus reliquis præpositum, uni sibi soliq; subdendum ac subdendum ac possidendum reliquit.

Discit ergo homo, ab subjectis sibi naturaliter creaturis, ut sicut illæ omnes hoc ipsum Deo impendunt obsequium, quia homini ex ejus voluntate subsunt, ita & homo id officij impendat Deo, illi se subdendo, tã quia creatura est, quàm quia sibi subditas ab eo creaturas habet: ex quarum subjectione assidua, tanquam ex quotidiano Magisterio audiat & discat lectionem doctrinãq; hanc: subdere homo Deo, sicut omnis creatura subdita est tibi jubente Deo.

Ex quo patet eam esse homini naturâ inditam conditionem ut subsit, & quidem non alteri quam ipsi Deo, neq; ullum esse aut maius debitum, aut melius bonum, aut honorificentiùs, quàm subdi illi, à quo omnis boni fontem habet, & præter quem nihil melius habere potest, & à quo si recedat, vel excidat, nihil perniciosius damnosiusq; subire ac perpeti potest. Manifestũ est enim, homini nihil esse melius, quàm esse cum eo cohærentem, (quod fit subjectione. Nam æqualitate & superlatione cum ipso, multoq; minus eliberatione ab ipso fieri potest) à quo se habet per omnia existẽtem, & omni bono affluentem, siquidem, eundem opus est fontem esse conservationis humanæ in bono, & esse, qui fuit fons constitutionis humanæ in illo eodem Bono & Esse.

Manifestum quoq; est, & necesse est, ut sit manifestissimum homini, nihil esse perniciosiùs quàm recedere & excidere à Deo, sui Esse & omnis Boni fonte, quia hoc est incipere & recidere in omnis mali primævam originem, videlicet in nihilitatem & corruptionem & si hic recessus fiat spontanea voluntate, tunc manifestum est, nihil esse malitiosius iniquiusq; hac recessione. Nam talis recessus malitia pura est, injustitia & rapina est, rebellio & seditio est, quâ repugnat & rebellat effectus suæ causæ, figmentum figulo, opus artifici, creatura creatori, possessio possessori, mancipium immo jumentum Domino, Homo Deo; vultq; ei subjectus non esse, à quo habet esse, vult ejus non esse, à quo habet se. Quæ malitia tanta est ut mirum non sit, ejus in pœnam æternitatem infernalem assignatam esse:
A quoniam æquissima ratio exigit ut ille in æternum privetur auctore sui esse, cui noluit subesse, utq; æternum supplicium patiatur in suo esse qui noluit cum beatitudine atq; præmio subesse, à quo accepit omne esse.

Enim verò non erit homini admodum difficile præstare obsequium & subjectioné Deo auctori ac Domino suo, si quemadmodum carebat creatura cui ex natura subderetur, ita caruisset inimico, à quo ad subjiciendum se creaturæ, subtrahendum autem
B creatori fraudulenter impelleretur. Sed enim insidiatus est, & adhuc insidiatur homini Diabolus (immo & ipse sibi homo stultus) seq; Dominum hominis constituere satagit, eumq; finem unicum omnium suarum fraudum & tentationum statuit, ut hominem à Dei obedientia retrahat, & consequenter à summo Bono summaq; beatitudine, quàm mens humana optimè capere potest, quæq; in plena ad Deum subjectione posita est, excidere faciat: in omnis autem
C nequitiæ & per hoc hoc omnis simul miseriæ barathrum præcipitet. Igitur homini contra istum hostem (atq; etiam contra se ipsum) continuò depugnandum est, & nullis ejus fraudibus, se à Dei voluntate Dominio subjectioneq; avelli sinat: sed omni actu, motu, conatuq; suo hoc inviolatum, immobile, Sacrosanctumq; suæ ad Deum subjectionis jus ac debitum retineat.

Verum ad hoc quis idoneus? quis ipsi sibi sufficiens? quando primus homo qui sapientissimus creatus erat, ad hoc minimè
D sufficecit. Opus est utiq; altiori quopiam auxilio, altiori quopiam consilio, altiori quopiam gubernaculo. Hoc autem nullum commodè aliud esse potest præter Divinum sed in eo ipso, quàm paratum periculum, quam certa incertitudo; si revelationibus, si Angelico mediante ministerio res transigatur, transfigurante & immiscente se Angelo sathanæ pro Angelo lucis. Quid igitur fecit Bonitas sapientiaq; æterna cognoscens figmentum nostrum? ecce quomodo disponit

nit omnia suaviter, quomodo attingit à fine ad finem fortiter. Dat hominibus Vicarios suos à quibus regantur, & in via quâ gradiantur, instruantur, à quibus in omnibus periculis protegantur, à quibus in dubiis, in necessitatibus, in agendis relinquendisvè omnibus, in loco, tempore, modo, omniq; circumstantiâ operationum suarum recurrant, à quibus consilium exquirant, auxilium habeant, lucem accipiant, securitatem obtineant. Erga hos præcipit hominibus, ut sint affecti tanquam filij erga Parentes, tanquam oviculæ erga Pastores, tanquam infantes erga nutricios, si decipi, si errare, si perire nolint. Id, ut factu facillimum foret hominibus, noluit Deus hos Vicarios esse ex Angelis, sed ex hominibus ipsis, ut & naturæ similitudo facilius subditum Superiori sociaret, & Superior ex his quæ ipse experitur, miserijs subditorum cōpati disceret.

Hanc rem ut hominibus tantopere faceret commendatam, quantopere noverat necessariam, ipsemet Deus voluit esse speculū obedientiæ & subjectionis hominibus, non tantùm modestis ut Matri & Iosepho, sed etiam discolis ut Caiphæ & Pilato: ut discerent homines subdi hominibus videntes Deum subdi ijsdem: utq; severos se scirent sub eorum regimine coram Deo, qui viderent ipsorum regimini subjectum esse Deum. Hinc nata est obedientia Evangelica, hinc natæ tot Religiosorum Myriades, quorum nullus suô vivit arbitriô, sed alterius se accommodat voluntati, alterius pendet à placito, idq; non in uno alterovè opere vel die, non in primo tantùm spiritualis vitæ initio, sed per vitam planè universam, perq; omnē vitæ & actionum circumstantiam, mollis ceræ instar, paratus fingi & refingi in omnem figuram, volubilis instar globi facilis volui & revolvi de omni loco in omnem
A locum: senilis instar baculi promptus servire utentis manui in omni ejus arbitrio. Hæc nimirum est illa Indifferentia, alias de fæcatissima obedientia, quæ ita subditum omnem & semper, in manu Prælati ponit: & quocunq; se illius voluntas inclinaverit, huc & subditi animus. omnibus in quibus ullatenus detinebatur studiis, negotiis, curis, planè relictis, toto intentionis pondere feratur non moras nectendo, non imperij
B importunitatem pensando, non temporis, modi, loci, socij, rei, incommoditatem, vilitatem, ineptiam, indignitatem oggerendo. Talem te si finxeris, obedientiæ filius, felicitatis alumnus, Soc: IESU dignus palmes es.

P. Consalvus Sylveria, Martyr Societatis inclytus, ejusdemq; in India Provincialis, sæpè fratres studijs deditos, nulla vel levissima de causa abstractos à studiis ad culinæ opera mittebat, ut eos doceret sanctam
C hanc maximè homini Societatis necessariam virtutem, quam indifferentiam vocant. Eadem de causa fratres juniores etiam exacto Tyrocinio inter Tyrones aliquantum esse jubebat, indifferentes esse jam etiam in tenera illa Societatis vita ut discerent.

CAPUT IV.

Ad obedientiam impellit Electio propria seu Votum.



Njuriam à me sibi fieri putaret mens humana generosa & liberalitate cum Deo creatore suo certare assueta, si eam naturâ suâ servam & servitati natam assererem; agnoscit quidem pius & humilis animus, se ita creatum esse à Deo ut serviat Deo, nihilominus ipse se in hoc ultra supra vel conditionem hanc, adjuvante auctore ipso suo erigit, & quod necessitate suæ naturæ acturus erat, agere studet libertate animi. Nimirum & ipsi est Cœlestis origo; imitari studet discipulus Magistrum. Videt æternum Patris Verbum

IESUM Christum, quodammodo cum esset ex omnibus liber omniumq; Dominus, omnium tamen se fecit servum, *Factus obediens usq; ad Crucis mortem*; erubescit ergo ex necessitate sola servire, placet addere etiam Electionem, immo ex electione adsciscit etiam necessitatem, hoc est amplectitur electam necessitatem, nam quia cognoscit mobilitatem voluntatis suæ, scitq; se folium esse, quod à levi vento rapitur, ideo electioni ac libertati suæ electionem novam imponit, Deo se, & propter Deum etiam Homini subdendi. Facit & instaurat votum integræ, perpetuæ, promptæ obedientiæ. Electa verè necessitas & mirifica animi natura! libertatem dum quærit in servitio Divino, dumq; dedignatur tantùm servire ex obligatione naturæ, delegit servire ex obligatione Voti.

A

Quid hoc monstri excogitavit, libertas an liberalitas animi humani? vel potiùs, quid Deus noster tam dulciter imposuisti nobis? Dicebas, te velle & exigere à nobis servitium spontaneum, & ecce imposuisti nobis obligatorium! Quam dulciter suis quæq; nectis ordinibus ô æterna Sapientia? Vis ut sponte subdamur Tibi, & ideo id nobis liberum permittis, & nihilominus æternô voti Sacramentô, nos tibi ad subjectionem adstringis, mirô modô socians Electionem necessitati, Votum libertati. Liberè vovemus nos tibi servituros, & tamen quia vovemus, liberi non sumus. Nimirum in hoc ipso maximè liberi, quia liberè atq; etiam liberaliter non liberi. Quid ergo? Liberi sumus? Non servi: ne id quidem. Quid igitur? dicam confidenter Deus meus: Sponsæ sumus tuæ: nupsimus per votum Obedientiæ. Num sponsa est ancilla sponsi? plus etiam quàm ancilla: nec tamen ancilla. Amor eam sponso adstrinxit, servit amore, amat servitute, sed quia amat, non servit: etsi quia amat, servit. ideoq; nec ancilla nec libera est, sed sponsa, quam amor servam facit, & de proprio jure depulit. Sic est ô Deus: sponsæ tuæ sumus: subjecimus nos amore tui, tibi, sed quia amore, ideo non sumus servi sed sponsæ. Sponsæ proprium est amare, amando servire, serviendo amare, servitutemq; amare. Ita ergo Obedientia, amore nascitur, proinde & amore movetur, amore etiam complenda & perficienda est.

B

Pretiosa res amor Obedientiæ, quô illam voves, pretiosa res non minus, immo & amplius amor, quô obedientiam imples. Pro quantus pudor! amore vovisse & non amare quod vovisti, non implere amore quod promisisti, scriptum est, vovete & reddite: vovere parum est, reddere parum est, vovere & reddere Divinum est. Videas jumenta, equos & boves, sponte accedere ad juga & vincula, asellos sponte onera subire, aviculas, sponte ad manus, ad caveas, ad vincula advolare, libertatis oblitas, servitutem amare: facit hoc in eis altera natura cõsuetudo, & educatio: at in te ô Religiose, non faciet amplius, non faciet aliquid vel tale fervor amoris & amor voti atq; Religio. Vovisti obedientiam, vovisti perpetuam, vovisti Deo & homini propter Deum, seu vice Dei, vovisti in minimis juxta & maximis, & in omnibus, vovisti, quia voluisti, vovisti liberè, vovisti ex amore, vovisti liberaliter, vovisti libenter, vovisti amans & gaudens te vovisse. Quid his speciosius? quid generosiùs? quid ampliùs? quid tibi? quid Deo dulciùs? multùm id sanè: sed nõ totum, vovisti, redde: *Si quid vovisti ne moreris reddere*, hoc desideratur, hoc adde, hoc addere delige & sufficit. Si reddere piget, vovisse non prodest, & obest. Ama & reddes: ardenter ama & libenter reddes. Non enim ibi durâ necessitate servitur, ubi diligitur quod jubetur, & ubi servitus ipsa in amore delicijsq; habetur.

C

P. Albertus Sylveria supra laudatus multum interesse dicebat, quam citò obedientia à subdito Religioso impleretur, & quantùm in Collectione beneficij, tantùm in executione Imperij moram valere: nam sicut qui citò dat bis dat. Ita, qui citò obediit bis obediit, hoc est duplici merito obediit: uno quidem obedientiæ, promptitudinis altero. Sic è contra, qui tardè dat, non dat, & qui tardè obedit, non obedit, quia nempè sicut gratiam, sic obedientiam tarditas ingratam reddit: Et quod docuit Pater hic, exemplô fecit. Nam aliquando longissimũ iter, superiorum jussu ingressus est pedes, & eos quidem nudus, cum nec horæ unius moram calceis reficiendis dare vellet.

D



CAPUT

CAPVT V.

Ad obedientiam impellit institutum Societatis IESU.

INstitutum Nostræ minimæ Societatis IESU, ejus est naturæ, ut omnibus nobis obedientiæ necessitatem, amorem, cultum exercitiūq; peculiari modo præ aliis virtutibus imponat. Cū enim fundamentum, ac veluti mater altrixquè Societatis sit obedientia; debet etiam esse eadem omnium filiorum ejus, totiusquè Corporis virtus valdè propria. Deniq; in Societate quicquid est, aut est ipsa obedientia, aut promanat ex obedientia, aut stat conservaturq; obedientiâ.

Quid facit in Societate obedientia? faciliùs quidem erat dicere, quid non facit, quia nimiùm nihil non facit? Dico tamen eam facere omnia Nam quicquid in Societate non facit obedientia, pro nihilo sunt, nihili & nihilum sunt omnia. Quod facit anima in corpore, succus in arbore, navarchus in navi, sol in mundo, ratio in anima: addo, etiam Deus in mundo, hoc facit in Societate obedientia. Ducem si amittat exercitus; pastore si grex careat, infans si nutrice destituatur, oculus si in tenebris sit, instrumentum ab artifice sejunctum, quod est ac potest, hoc Societas sine Obedientia valet. Societas IESU si hoc non haberet, Societas obedientium, vel ordo obedientiæ dici non deberet. Sicut homo nullum tempus habet, quo non aerem spiret vel adspiret: ita filius Societatis semper obedientiam spirare & respirare debet. Alioqui tam hic spiritualis, quàm ille corporalis vitæ periculum subeat necesse est. Esse in Societate IESU, & obedientiam non amare, non æstimare, non facere, est matrem suam, est animam, sanguinem, vitamq; suam odisse, est à generis sui nobilitate atq; stemmate familiæ, deficere, atq; degenerare.

In Societate obedientiam non discere, est in schola ætatem trivisse, nec disciplinam scientiamq; inibi traditam didicisse, quod vel stolidi asini, vel negligentis atq; discoli est. In Societatem obedientiam non amplecti, nec curare est chordam in cythara, A ab aliis dissonam vocem dare, & musicam impedire- est grege ac Pastore deserto, oviculam áberrare, & lupo se in pastum dare.

In Societate esse & obedientem non esse, est spurium vitulamen, & prolem adulterinam, mortuumq; à corde fætum esse. Quēadmodum reprehensibile est quapiam in Regione natum & adultum esse, nec tamen mores ac linguam ejus didicisse, ita absurdū est & probri plenum, in Societate esse, neq; B tamen mores & linguam obedientiæ in ea vivendo combibisse. Lingua enim & Idioma Societatis est obedire.

Sicut corpus nonnisi ad motum animæ imperiumq; movetur, ita Societatis tam Corpus totum, quàm particularis homo quilibet, ad obedientiæ nutum motumquè movetur aut quiescit. Sicuti in homine, quod sine ratione fit, bene non fit, & in eodem quod sine gratia fit, meritorium non C est. Ita in Societate, quod sine præscripto fit obedientiæ, nec approbationem, nec præmium, nec meritum habet, neq; ex mente ac norma Societatis, factum censeri potest. Sicut anser inter olores, lupus inter oves, graculus inter columbas quantumlibet versentur, & similibus vestiantur, suis se tamen produnt indicijs, & non sunt quod mentiūtur, ita quantumlibet quis in Societate vivat, duret, perennet, nisi ex mente obedientiæ Societatis vivat, per inobedientiam, ex- D traneus esse à Societate convincitur, atquè cognoscitur. Deniq; quò differt vivus à mortuo, hôc differt obedientiæ deditus Societatis homo ab obedientiæ neglectore, hic enim omninò mortuus est, nec vita vivit Societatis, quantumlibet sibi etiam florere videatur.

Ex his facilè est colligere, quàm exigat à Filijs Societatis obedientiam Religio & institu-

ſtitutum Societatis. S. noſter Fundator nos ita alloqui non dubitat. Ego ſanè cum vos omnibus donis ornamentiſq; ſpiritualibus perfectos. tum verò inprimis obedientiæ virtute præſtantiſſimos eſſe cupio, & adhuc amplius addit dicens: Ab aliis Religioſorum ordinibus faciliùs patiamur ſuperari nos jejuniis, vigiliis & cætera victus cultuſq; aſperitate, quam ſuo quiſq; ritu ac diſciplinâ ſanctè ſuſcipiunt: verâ quidem perfectaq; obedientià, atq; abdicatione propriæ voluntatis ac judicii maximè velim, Fratres Chariſſimi vos eſſe cõſpicuos, quicunq; in hac Societate Deo ac Domino noſtro deA ſerviunt, ejuſdemq; Societatis veram ac germanam ſobolem, hac quaſi notâ diſtingui quod nunquam intuantur perſonam ipſam cui obediunt, ſed in ea Chriſtum Dominum cuius causâ obediunt.



CAPVT VI.

Ad obedientiam impellunt fructus obedientiæ.



OBedientia arbor eſt, cujus radix Humilitas, truncus abnegatio Iudicii & voluntatis, rami indifferentia, executio folia, flores fervor, ſuccus charitas, cortex patiẽtia, firmitas & duratio, perſeverantia. Fructus verò pax & puritas mentis, ſubjectio carnis ad ſpiritum, ſpiritûs ad Deum, Sanctitas ſecuritas, meritorum & gratiarum theſaurus indeficiens, vita ſine labore in virtutibus ſemper creſcens, victoria ſine pugnæ periculis ac vulneribus, navigatio ſemper proſpera, ubiq; portus ſecurus, in cælo deniq; immenſum gloriæ pondus. Dies non ſufficiunt immenſis obedientiæ fructibus recenſendis, ſed veri obedientes plures percipiunt re ipſa, quàm ea enarrare poſſet aliqua verborum affluentia. Paradoxum videtur quibuſdam, obedientiæ vitam, parare pacem, quietem & ſecuritatem. Quæ pax eſt, inquiunt, & quies viventibus ſemper in inquietudine, in mutationum expectatione, ſine ulla certitudine, pendentium ab alia voluntate, ſæpè etiam ab impotentis, vel imprudentis animi libidine. Es in officio ac loco, in quo ad mentem vivis, & egregiè, cum fructu animarum, cum tuo guſtu, cum Fratrum bono, cum gloriæ incremento vivis; & ecce ſubitò, non ob ullam cauſam juſtã niſi quia ita placuit, aut quia ita æmulis viſum eſt, aut quia explorare virtutem ſcilicet libuit, mutatio & migratio indicitur, datur locus & munus, odii, tædii, nauſeæ laboris abundans, ſolatio & commodis carens, non abſq; infamiis & ſuſpicionibus, quæ iſta pax? quæ iſta quies? quæ ſecuritas? in iis tamen ludis vivunt, qui ſcilicet ſub obediẽtia vivunt. Hæc ganniunt Filii Belial, filii rebellionis & adverſationis, hæc obſtrepunt in quorum corde habitat ſtultitia, à quibus exulat ſapientia, quæ eruditis & diſciplinatis intereſt cogitationibus, elongat autem ſe ab his qui ſunt ſine intellectu.

His ergo reſpondet ac ſatisfacit experientia omnium ex lege obedientiæ viventium. Da enim mihi obedientem verum, da inquã Religioſum ad nutum & mentem obedientiæ factum, quid illum perturbare poteſt? Metus injungendi officii? paratus eſt ſubire, metus deponendi? paratus eſt deponere, metus mutandi loci? paratus eſt diſcedere, metus incepta deſerendi? paratus eſt deſerere, metus infamiæ? una illi infamia eſt inobedientem eſſe, maxima fama obedire. Quo illum turbabis? qui ſupra turbas omnes eſt, qui omnium fontem turbarum, radicitus excidit, & expulit propriam voluntatem. Atquè iſte ſupra omnem turbarum ſortem tanquam ſupra nubes cum ſit poſitus, turbari neſcit

næſcit, conſequenter pacem hæreditat, & requiem poſſidet opulentam.

Iam, quid ap hoc ſtulta ſapientia mancipiorum voluntatis propriæ dicit. Poteſtne timor aliquis eſſe aut error in executione voluntatis Divinæ? Si hanc exequi ſecurum ſatis non eſt, quid erit? Atqui obediens, tam certus eſt ſe Dei voluntatem facere, A quam certus eſt ſe obedire, unde ergo aut quis illi metus? Quid iſto ſecuriùs, qui poteſt dicere teſte conſcientia, fidejubente obedientiâ. Domine feci quod juſſiſti. *Quid? quod vir obediens loquetur victorias?* ſemel licet obedivit, multas tamen obtinuit victorias, & quidem cum tanta felicitate, cum quanta quis loqui poteſt, aut optare victoriam cupiditate. Obedientem vinci, cadere, errare, turbari impoſſibile eſt. Obediens B enim in plano ſemper, in certo, in tuto, in luce, in ſolido ſemper verſatur. Obedientiæ obediunt omnia, & obedientibus obſequuntur ad nutum. Obediunt mentes, obediunt aquæ, fluvij, maria, venti, obediunt Dæmones, obedit deniq; ipſe Deus. Obedientem tam impoſſibile eſt errare, quàm impoſſibile eſt Deum in aliquo falli, vel in aliquo fallere. Obedientem tam eſt impoſſibile damnari, quam eſt impoſſibile Deum voluntatem ſuam improbare. Obediens omni æſtu curarum vacuus eſt, nec ulla ſolicitudo acceſſum ad eum habet, præter hanc unam, ut de nulla ſit ſolicitus, ſed obedientiæ expectet & expleat nutus.

S. Dorotheus initio ſuæ converſionis, cum omnimoda pace mentis foveretur, eaquè perpetua ſuſpectus eſſe ſibi de illa tranquilitate cæpit; conſulens autem probatos vitæ Magiſtros, ne fortè illuſus eſſet ab adverſario: bono animo eſſe juſſus eſt. Eam enim animi jugem pacem atq; ſerenitatem fructum eſſe obedientiæ illius, ſine qua nihil omnino ageret in vita ſpirituali. Neq; id mirum eſſe cuiquam debet: aliter enim fieri non poteſt. Nam obedientiæ quantum ex parte hominis eſt humilitas & paupertas Spiritûs, quantum ex parte Dei eſt providētia, quæ in ſui diſpoſitione non fallitur. Ex hujus conſideratione naſcitur in homine plena & fiducialis ſui permiſſio atq; provectio omnis cogitatus in eandem providentiam, tum conſurgit reſignatio, indifferentia, contentatioq; animi de omnibus à Dei providentia ordinatis atq; diſpoſitis, huic ſuccedit obedientia mentis & operis perfecta: tandem pullulat pax & ſecuritas tanquam flumen interruptionem neſciens, cui C obediens innatat iugiter, & tandem in mare beatitudinis invehitur æternæ.

CAPUT VII.

Ad obedientiam impellunt damna inobedientiæ.



Ltimum nos ad amorem exercitiumq; obedientiæ impellēs caput, ſunt damna Inobedientiæ, quæ tanta ſunt, tam multa, tamq; manifeſta, ut mirū ſit, pleroſq; hæc in ſe ipſis expertos & experientes nequaquam tamen ſapere, aut exoſum, miſerabilem vitæ ſuæ ſtatum habere, neq; tamen ad cultum veræ obedientiæ ſeſe transferre.

Inobedientia eſt ſuperbiæ filia, arrogantiæ alumna, contentionum ſoror, malitiæ parens, vivit murmurationibus, lactatur querelis, ſaginatur detractiobus, & ſuſurrationibus, pingueſcit mēdacijs, induitur cōfuſione, habitat in excuſatione, nidificat in D damnatione. Inobedientia odioſa eſt Deo, peſtis humani generis, ſponſa Diaboli, communitatis ſcandalum, perturbatio fratrum. Inobedientia eſt peccatum ſupra modum peccans, ſacrilegum adulteriū animæ, Apoſtaſia à Deo, ſeditio & averſio naturæ, deniq; infernus. Inobedientia eſt fons vitiorum, procelloſum mare, animi cæcitas

citas, durities cordis, contumacia mentis, principium Schismatum, Hæreseos origo, virtutum omnium maximè Religionis, devotionis, humilitatis, modestiæq; venenum. Ab inobediente exulat Deus, abest gratia, procul est Caritas, patientia extorris, omnis vita spiritualis in ruinam soluta. In corde inobedientis regnat superbia, residet tepiditas stertit pusillanimitas, personat iracũdia, præest rixa, dominatur amaritudo, habitat tristitia. Inobediens in seipsum semper armatus. Inobediẽtia exsiccat ossa, corpus tabefacit, vires absumit, exsugit cor, exhaurit spiritũ. Inobedientia est peccatum. Inobedientia est peccatum Idololatriæ & scelus augurandi ac ariolandi, & cum Dæmone cõsortium habendi.

Aspice inobedientem protervumq; Religiosum. Quis illi vultus, qualis sermo? quis incessus? quales metus? turbata mens, torvus intuitus, impetuosus gestus, præceps sermo & incessus, amarus animus, absorpta cogitatio, profunda suspiria, duri gemitus, querelæ perpetuæ, vita infernali statui par. Inobediens Religiosus, gravis Superioribus, terribilis communitati, pestifer fratribus, odiosus omnibus, externis scandalosus, abiectus à Deo, venenosus sibiipsi, ludibrium Diaboli, spernit monita, repellit consilia, duratur pænis, rejicit solatia, ridet beneficia, pallet vultu, scintillat oculis, spirat ultionẽ, offensam servat, nutrit odia, serit discordias. Inobediens amarum silet, horridum loquitur, socios amaritudinis vestigat, inventos diabolo immolat, cæteros aspernatur, Superiores odit. Nec verò putandum est hæc fieri à magna tantùm inobediẽtia & lethali protervia: etiam in minutis esse inobedientem Maioribus, eosdem, pænè sal tẽ eosdem fructus parturit: Nihil ut referat in quanta re, materiave sit inobediens, modò sit inobediens. In parvo obiecto imperii forsitan, major affectus ac per hoc etiam effectus inobedientiæ.

Sed quid multis ista pestis explicetur, cũ A in oculis mundi sit, quam malum sit etiam in minimis non obedire. Quod minus? quod minutiùs præceptum, si materiam spectes, quam ab unius arboris fructu abstinere, inter omnes delitias Paradysi? non obedivere huic minuto præcepto Parentes nostri, quis satis explicet mala hujus inobedientiæ? omnia mala culpæ & pœnæ, damni & sensus, omnes pœnæ huius alteriusq; vitæ effectus sunt, fructusq; hujus inobedi- B entiæ, in materia tam vili. Sed quanto præcepta res minor, tanto inobedientia maior, malitia gravior & pæna justior. Si hoc supplicium inobedientiæ parvum est, addatur illi mors Unigeniti Dei, quàm necesse fuit ab eo subiri, ut virus inobedientiæ unius aboleri posset. Et quod obsecro volumus expressius, inobedientiæ etiam in minimis commissæ damnum vel supplicium, quam C est totius mundi, totius humani generis temporale æternumq; exitium, & insuper Unigeniti Dei in Cruce tormentum: levissima Adami inobedientia, exprimi satis non potuit, per omnium hominum æternam pœnam, sed sanari debuit per difficillimam capitalemq; Filij Dei obedientiam? Ergo saltem hoc impellat nos, ad servandam obedientiam.



CAPVT VIII.

DE OBEDIENTIÆ VOTO Ejuſq; perfectione requiſita in Societate IESU.

Quantùm requirat obedientiam ejuſque perfectionem Societas.



QUomodo S. P. Noſter Ignatius filios ſuos in obedientiæ virtute ac Voto voluerit eſſe perfectos, id cognoſces ex ejuſdem S. Fundatoris verbis quæ in Epiſtola de Obedientia ſcripſit. *Ego ſanè cum in omnibus vos donis, ornamentiſq; ſpiritualibus, tum potiſſimum Obedientiæ virtute præſtantiſſimos eſſe cupio, idq; non ob eximia ſolum & ſingularia eius bona, quæ tot tamq; illuſtribus ſacrarum literarum teſtimoniis, atq; exemplis comprobantur, ſed etiam quia obedientiá ſola virtus eſt, quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertaſq; cuſtodit. Hæc dum floruerit, procul dubio florebunt reliquæ, edentq; fructus, quales & ego in animis veſtris exopto, & ſuo iure poſtulat is, qui humanum genus, neglectæ obedientiæ ſcelere afflictum ac perditum ſalutari ipſemet obedientiâ reparavit, factus obediens uſq; ad mortem mortem autem Crucis.*

Expende accuratè hæc verba S. Fundatoris, in quibus vult filios ſuos obedientiâ præ alijs virtutibus præſtare. 2. Præfert hoc ipſo omnibus virtutibus doniſq; ſpiritualibus unam obedientiam. 3. Vult eſſe nos in ea præſtantiſſimos, hoc eſt, vult eam à nobis in gradu non qualiquali ſed præſtantiſſimo poſſideri. 4. Ejus rei cauſas ponit graves, 1. Obedientiæ commoda ex ſacris ſcripturis nota. 2. Quia illa inſerit alias virtutes menti. 3. Quia inſertas cuſtodit. Quia florere facit alia bona & fructificare. 5. Quia obedientia reparavit genus humanum per inobedientiam perditum. 6. Quia id Chriſtus Dominus exigit à nobis ſuo jure A peculiari, quod in eo eſt ſitum, quia quos ſalvavit ſua obedientia, meritò a nobis exigit præſtantiſſimam obedientiam.

II. Quomodo adhuc S. Ignatius & cum eo Societas exigat perfectam obedientiam, agnoſces expenſis ejus verbis, quibus dicit: *Ab aliis Religioſorum ordinibus facilius patiamur ſuperari nos ieiuniis, vigiliis, & cætera victûs cultûſq; aſperitate, quàm ſuo quiq; ritu, ac diſciplinâ ſanctè ſuſcipiunt: vera quidem ac per-* B *fecta obedientia, abdicationeq; voluntatis âtq; iudicii. maximè velim, Fratres Chariſſimi, eſſe cōſpicuos. quicunq; in hac Societate Deo ac Domino noſtro deſerviunt, eiuſdemq; Societatis veram germanamq; ſobolem, hac quaſi notâ diſtingui, quod nunquam intueantur perſonam ipſam cui obediunt, ſed in ea Chriſtum Dominum, cuius cauſâ obediunt,*

1. Non vult ſimpliciter ſuperari nos ab C aliis Religioſorum Ordinibus, in auſteritate vitæ, nam etiam hæc Societati neceſſaria eſt, ſed conditionatè loquitur: ſi ſuperari debemus in aliquo ab aliis, ſuperari nos potiùs patiamur in auſteritate corporali, quàm in obedientia prrfecta. 2. In ea vult omnes nos eſſe maximè conſpicuos, excellentes, perfectoſq;, non tantùm in executione imperatarum rerum, ſed præcipuè in abdicatione voluntatis judiciiq; noſtri proprii. 3.

Vult nos in Superioribus nostris nunquam considerare Personas proprias ipsorum, sed Personam Christi Domini cujus nomine illi præsunt & imperant, nosq; obedire debemus. 4. Atq; hanc Personæ Christi in Superioribus considerationem, vult esse notã, & differentiam quâ essentialem aut propriã nostram, discernamus ab aliorum Religiosorum Ordininum filiis. Sicut animalia unius speciei distinguuntur ab aliorum animalium individuis suâ propriâ differentiâ. Diligenter ergo expende quantùm per hoc tempus curæ posueris, quantumq; profeceris in hac nota & differentia tua, an verò vix in mentem tibi venerit hactenus istam notam curare. nedum in ea perfectum fieri.

III. Quomodo adhuc S. Pater desideret in nobis perfectam obedientiam, cognosces perpensis illius verbis. *Atq; idcirco in Societate tam diligenter hanc virtutem obedientiæ exerceri, vigere percupio, quasi in ea Societatis nostræ bonum ac salus universa consistat.* Certè valde difficile est invenire, quo pacto S. Pater potuerit, magis Societasq; possit studiũ obedientiæ commendare suis filiis, immo obligare ad amorem, cultum perfectionemq; illius. Nam si Societatis nostræ bonum universum ab obedientiæ exercitio dependet; ergo bonum omne Societatis conservat, totiq; Societati vitam & omne aliud bonum procurat, immo dat, quisquis obedientiam in ea strenuè pro sua parte exercet. Econtra verò omnibus bonis, vitaq; & substantia universa Societatem, quantùm in se est, defraudat is, qui in obedientiæ amore, cultu, observantiaq; negligentior est. Nec ullo modo pejore potest de Societate universa mereri, quam contemptui habendo, & facilè transgrediendo, virtutem, exercitium, votum perfectionemq; obedientiæ.

Quocirca quàm quisq; amat Societatem, quàm ei omne bonum exoptat, quàm ad ejus incolumitatem, pro sua parte omnibus viribus obligetur, tam obligatur ad perfectissimæ obedientiæ studium exercitiumq;, quoniam in hac omne bonum, totaq; salus Societatis consistit. Ad hunc lapidem Lydium, explora studium, laborem, diligentiam, amoremq; tuum in obedientiam, inquè ejus Voti observationem, & perfectionis ejus exercitium. Et adverte quod in tantum sis universi boni salutisq;, Societatis negligens ac destructor, in quantum es Voti vir-
A tutis perfectionisq, obedientiæ neglector, & tepidus exercitator, aut facilis transgressor, nec illius per omnia perfectionis puncta à S. Patre tradita & explicata sectator.

IV. Quam diligenter adhuc nobis S. Pater & Societas perfectæ obedientiæ assiduum studium commendat, cognosces id ex eo exemplo, cujus vi expugnare studet omnem nostrum in colenda obedientia torporem, ab exemplo inquam, obedientiæ Christi, quæ
B sine dubio, sicut fuit perfectissima, ita ab ea salus humani generis & pependit & manavit. Ea propter S. Pater, sicut ab eo exemplo Christi Epistolam suam de Obedientia inchoaverat, ita etiam eodem repetito eandem concludit dicens: *Vos ergo per Christum Dominum nostrum obtestor, qui se se nobis non modo Præceptorem, sed etiam exemplar præbuit obedientiæ, ut ad eam toto pectore incumbatis.* Sane suffecisset præceptum Christo Do-
C mino de obedientia dedisse: sufficiebat etiã si S. Pater Christi Domini nobis idem præceptum proposuisset, sed prout Christus voluit esse non tantùm Præceptor verùm & exemplar, ita & S. Pater, non præceptum tantùm, verùm & exemplum Christi obedientiæ nobis ob oculos ponit, & tanquam acerrimo stimulo, nos ad obedientiæ studium impellit, ut toto pectore in eam incumbamus.

D Adverte ergo quantùm distes ab obedientiæ Christi perfectione, quàm procul absis à difficultate rerum tibi & Christo imperatarum? quam procul absis ab exacta obedientiæ observatione? Certè tibi nunquam imperata est mors, nunquam mors Crucis, sed longè res factu facillimæ & tamen tua vacillavit obedientia sæpissimè,



CAPVT IX.

Quid sit obedientia? & fundamenta illius?



I. OBedientia Religiosa, est virtus, quæ voluntatem hominis, voluntariè, sincerè, perfectè ac plenè, Dei, ac propter Deum, Vicariorum ejus voluntati subdit eamq; subjectionem Votô confirmat.

Vel: est virtus quâ homo, suæ propriæ voluntati, suoq; proprio arbitrio, Regimini ac curæ renuntians, omnem sui curam & gubernationem, voluntariè in Deum, ejusquè Vicarios, Superiores refundit, ad idq; Votô se perpetuo adstringit, cupiens, & paratus, & gaudens, se à Deo per Superiores suos, Vicarios autem ejus in omnibus gubernari. Expende singulas particulas harum obedientiæ descriptionum, tibiq; applica. &c.

II. Fundamenta Religiosæ obedientiæ, Primum fundatum est, in absoluto Dei super omnem Creaturam Dominio, & in absoluta creaturæ omnis ad Deum subjectione: manante ex eo, quia Deus est Creator, & Auctor, & Parens, atq; fons omnis creaturæ, tam quoad ejus primum esse, quàm quoad omnes perfectiones, potentias, actionesquè, quàm quoad durationem permanentiam conservationemq; in iisdem omnibus, quam deniq; quoad exercitium omnium virium, partium, potentiarumq;. Ex quo sequitur: ut Deus sit absolutus, Dominus, possessorq; creaturæ omnis, & illa vicissim sit absolutè subdita subjectaq; Deo secundùm omnem suam realem circumstantiam, conditionemq; Quare Deus, potest quicquid vult ordinare, statuereq; de omni creatura, omni tempore, creatura autem tenetur, omni naturali jure subdi & parere, cuicunquè Dei ordinationi voluntati ac legi. Usq; autem adeo hoc Dominium in Deo & hæc creaturæ subjectio in ipsa est, intrinsecum, & essentiale, & imbibitum, ut nec Deus Dominiô istô in creaturam se privare, nec creatura ullo modo subjectionem exuere possit.

Atq; hoc est primum obedientiæ Religiosæ fundamentum, valdè profundè in natura omnis creaturæ radicatum. Licet autem Deus homines & Angelos liberô arbitriô præditos creaverit, non tamen per hoc, Angeli & homines eliberati sunt ab hoc natu-
A rali Dominio Dei, & ab hac naturali sua ad serviendum Deo obligatione, quasi possint quidem si velint non subdi; sed potius contra, ad naturalem, omnibus aliis Creaturis communem inditamq; obligationem, Deo se ac ejus voluntati & legibus subdendi, habent Angeli & homines alium novum propriumq; sibi modum & motivum & ligamē, seu pondus, quo se Deo subdere tenentur,
B scilicet propria sua voluntate, ita ut quod naturaliter tenentur, sicut omnes aliæ creaturæ irrationales, hoc ipsum præterea voluntariè & sponte, atq; ex electione facere quoquè teneantur: & nisi faciant id sponte sua, pœnis quidem & iræ Dei subjaceant: & nihilominus naturali illa & omnibus communi subjectione, Deo inviti quamvis subsint plenissimè: & quam Dei voluntatem bonâ ac libera voluntate sua nolunt explere cum
C merito, hanc naturali subjectione explent, Dominioq; Divino subjacent cum supplicio & ita nihil aliud, malâ sua voluntate recedēdo à Deo, lucrantur, quàm quod à Deo placato recedentes, accedant ad Deum iratum.

III. Aliud fundamentum Obedientiæ Religiosæ est situm in modo, quem Deus servat in gubernatione creaturarum suarum, præsertim rationalium. Est autem talis modus Quia Deus non semper, immo valde rarò
D & paucas creaturas per se solum immediatè gubernat, sed adhibet ad id alias aliasq; creaturas, quarum alias aliis præponit, alias subjicit aliis, & utrasq; in hoc sibi obedire iubet, ut præpositæ aliis, imperent propter obedientiam quàm Deo, imperare iubenti, debent, subiectæ verò aliis subsint & obediant, etiam propter obedientiam, quàm Deo, subesse obedireq; iubenti debent. Unde

tam Superiores peccarent in Deum, si habētes sibi à Deo impositum onus imperandi, imperare nollent, quàm peccarent in eundē Deum subditi, si habentes impositum sibi à Deo onus obediendi, obedire ac subesse nollent. Non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem à Deo ordinata sunt itaq; qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.

Quia ergo Deus creaturas gubernat, & tam hæ quam illæ obedire tenentur Deo, sive imperando aliis, sive obediendo, fit ut obedientia quæ Deo debetur duplex sit dupliciterq; præstetur, primò quidem immediatè ipsi Deo, secundò mediatè quidem, mediantè scilicet creatura alia v g. homine, quem Deus Supereriorem aliis dedit pro se ipso & locò sui. Non ita quidem pro se, quasi ipse Deus nihil agat curetq; homines subiectos alicui homini Superiori à se instituto, sed ita ut Deus per hominem, tanquam per suū instrumentum homines regat, hominumq; personæ & imperia & actiones sint actiones & instrumenta, sint instrumenta personæ Dei & imperiorum & actionum. Sicq; Deus subditos dupliciter gubernat, & per se immediatè, sed invisibiliter, & mediatè per alios homines Vicarios suos tanquam sua instrumenta. Ac sicut quis non obediendo Deo per se solùm immediatè aliquid imperanti, peccaret sine dubio graviter in Deum, prout patet in Adamo, ita perinde peccat, si quis non obediat Deo, mediatè imperāti, per aliquem hominem à se adhibitum. Ideoq; ipse dixit: *Qui vos audit, me audit*, &c. *qui vos spernit, me spernit.* Et Moyses rebellibus dixit: *Non est murmur vestrum contra nos, sed contra Dominum* Nam qui sumus nos? non dixit, quasi me spernit, vel, murmur vestrū est quasi contra Dominū, sed simpliciter, me spernit, contra Dominum est murmur: quia scilicet, sicut directè Deus est, qui præest ac imperat in persona hominis & nō ipse homo, ita etiam Deus est, qui auditur & honoratur, spernitur & reijcitur in persona hominis, & non ipse homo.


Duo proinde hoc in pūcto cognoscenda & penetranda sunt. Unum est, Deum esse ipsum omnino imperantem & gubernantem sive per se, sine homine, sive per se mediante homine, ac per hominem gubernet & imperet. Alterum, obediendum esse æqualiter acquiescendumq; voluntati & Providentiæ Divinæ, tam quando Deus per solum se, quam quando per mediātem hominem providet & imperat. Et ratio manifesta atq; conveniens est: Quia cum Deo debeatur obedientia, ut in puncto secundo vidimus, eadem omnino illi debebetur, tam quando sub sua persona propria, quam quando sub & in persona hominis vicarij sui præcipit. Neq; enim Deus desinit esse Deus, quando Vicarium adsciscit per quem imperet: Neq; homo desinit esse Dei subditus, quando Dei jussu
A subditur ipsi Deo sub persona hominis Vicarij: immo pertinet hoc ad fidelitatem & plenitudinem subjectionis humanæ ad Deum, perinde promptè ac reverenter obedire Deo sub persona Vicarij, quàm etiam sub persona sua.

IV. Tertium fundamentum, quod ex prædictis ac maximè ex ultimo emanat, Obedientiam Religiosam fundat & omni perfectione exornat. Nempe in Superioris Persona, Divinam Personam propriam intueri,
B inq; voluntate Superioris, voluntatem Dei, inq; auctoritate hominis, Auctoritatem Dei, in potestate hominis potestatem Dei. Revera enim in homine non est potestas humana imperans principaliter & primariò sed tantummodò instrumentaliter & per modū velaminis cujusdam & denuntiantis voluntatem Dei, potestatem & auctoritatem ejus. Non secus ac in Eucharistiæ Sacramento species Panis aut Vini, per accidens & per modum velaminis vehiculiq; suscipiuntur & manducantur: re autem ipsa & per se, pri-
C mariò Corpus & Sanguis Christi suscipitur & manducatur. Sic & in obedientia quæ fit homini, per accidens quasi homini redditur, per se autem ac primariò Deo ipsi, ac potiùs voluntati & Auctoritati. Hoc fundamentum à S. Patre nostro Fundatore sæpissimè inculcatur filiis Societatis, ut nunquam in Superioribus agnoscant personam hominis sed Dei, cupitq; S. Pater. *Nos sedulo in eā curam & exercitationem incumbere, ut Christū Dominum in quolibet Superoore agnoscere studea-*
D *mus, in eoq; Divinæ Maiestati reverentiam atq; obedientiam summa cum Religione præstemus.* Hanc etiam vult Sanctus Pater, *Esse notam veræ & germanæ sobolis huius Religionis, quia non intuentur personam cui obediunt, sed in ea Christum Dominum, cui obediunt.*

Hujus fundamenti defectu Religiosæ Obedientiæ virtus, votumq; vacillat necessario semper, neq; quisq; perfectus esse ullo modo potest in obedientia, donec in hoc fundamento solidissimè fuerit constitutus, do-

nec

nec inquam, per continuam & diuturnam praxim sibi non tantùm familiare & facilè, sed etiam naturale fecerit, in Superiore quocunq; etiamsi vel umbram Superioris habeat, non hominem sed Deum ipsum agnoscere, auctoritatemq; Dei revereri & voluntatem ejus adimplere. Hunc igitur ex præsenti meditatione & præsertim ex hoc puncto ultimo fructum decerpere stude, ut firmissimè statuas, exercere te diu, continuò, infatigabiliter in Superiore Deum agnoscere, colere, audire, revereri, & voluntatem ejus, tanquam omninò & revera Dei præstare, donec ipso usu assiduo hæc res vertatur tibi in naturam, & delectationem facilitatemq; perinde ut usu nobis venit in naturā facilitatemq; quoties in altari videmus expositum SS. Sacramentum, non respicere ad vilitatem specierum panis, sed ad veritatem
A majestatem, dignitatemq; Christi ipsius delitescentis sub speciebus Panis. Ab hoc enim exercitio, Deum in Superiore quolibet intuendi, manabit omnis perfectio & excellentia obedientiæ, quàm S. Pater à nobis exigit, & ad quam hæc virtus extolli natura sua potest.



CAPUT X.

De alijs fundamentis obedientiæ Religiosæ.

1. Constat imperfectissimam Intellectus nostri cognitionisq; ac scientiæ ac prudentiæ naturam; de qua dictum est in scriptura. Cognitiones nostræ timidæ, & incertæ Providentiæ nostræ. Primò enim vix aliquid scientificè, evidenter ac infallibiliter, intellectus ac ingenij nostri, vi perspicaciaq; cognoscimus: paucissima certè, & quæ vix cum labore invenimus & novimus, immo ad ea quæ sunt notissima per se ac natura sua, noster intellectus sic caligat & cæcutit, teste Philosopho. Sicut noctuarum oculi ad solis lucem.

2. Deinde sumus in omnibus pleni dubijs, opinionibus, suspicionibus, incertitudinibus, potissimùm in practicis, & quæ sunt agenda, quæ honesta, quæ licita, quæ recta, quæ vera, inde perpetuis involuti sumus, errandi & impingendi periculis.

3. Præterea rerum, & negotiorum, agendorumq; circumstantias & conditiones, vix unquam ita omnes nosse, omnésq; discutere & ad omnes advertere possumus, ut non plures, atq; graviores nobis sint absconditæ, quo fit, ut qui videbamur optimè ponderasse, circumspexisse, tamen sæpè sæpiùs inveniamur, vel inveniamus nos parum benè expendisse & ordinasse, erumpentibus subitò circumstantiis quas non videremus, & ob quas aliter longe fuit de toto negotio statuendum, quod quotidie, & in magnis parvisq; rebus, æquè etiam diligentes prudentesq; experiuntur.

4. Adhuc intellectum nostrum in pra-
B vum à recto, in falsum à verò, detorquere plurima v. g. Affectus nostri, Amor nostri, ira, desiderium, odium, tristitia, timor, spes, desperatio, item studium placendi aliis, metus offendendi alios, exempla aliorum, naturalis cupiditas ad illecebras, consuetudo & usus inolitus. Hæc similiaq, faciunt nos, in rebus, negotiis, consiliisq, vel cæcos, vel ipsi lumini rationis rebelles, ut non rationē sed affectum sequamur.

5. Accedit, quod quantumlibet multa benè despiciamus ac statuamus per judiciū
C & intellectum, tamen ad pauca sufficiamus propter renitentiam affectûs & voluntatis, aut propter alia obstacula, seu infirmitates corporales, seu ab extrinsecis impeditoribus objecta. Insuper sæpè fit, ut pro intellectuali cognitione illudat nobis phantasiæ & cogitativæ apprehensio evertens rationem, aut certè formidinem illi incutiens, ut in luce evidenti rationis, nihilominus hæsitet ac formidet, immo & erret, deterrente illum à recta rationis regula & detorquente in stul

tum

tum errorem, sub specie securitatis cujusdã, ineptæ phantasiæ imaginationisq, & apprehensionis vehementis perplexitate, ut evenire solet scrupulosis, qui cum ubiq, velint esse securi, nullibi sunt securi, sed magis magisq; perplexi semper in omnibus, quia ipsã rationis regulam, seq; ipsos suspectos habẽt, & non obsequi apprehensionibus timent; quô fit, ut quantô prudentiùs,cautiùs,circũspectiùs, securiùsq; agere volunt, tantò ineptiùs stultiùsq; agant, & perplexi, ac tandẽ etiam insani evadant.

Hæc similiaq; sunt incommoda nostri Intellectus; propter quæ, dixit monendo sapiens: ne innitaris prudentiæ tuæ, & Apostolus monuit : non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. His omnibus incommodis, exquìsitissimè efficacissimè, solidissimèq; medetur obedientia Religiosa, per hoc solum, quia pro Regula agendi quilibet habet sapientiam & voluntatem ipsius Dei; quæ cum nec fallere, nec falli possint, hinc fit, ut quisquis ad normã & ductum earum agit, (agit autem quisquis ex obedientia omnia facit) extra omne periculum erroneè, imprudenter, illicitève agendi, sit. Hæc expende benè & ad animum demitte; sunt enim fundamentum obedientiæ, & his quicunq; sapit ad amplectendam obedientiam ejusq; amorem & exercitium necessitate ipsa cogitur, cogiq; se lætatur.

II. Imperfectio voluntatis nostræ ac libertatis adhuc pluribus defectibus ac periculosis magis scatet malis quàm intellectus. 1. Primo enim est maligna per se & malitiæ omnis seges, adeò quidem, ut quantumlibet per intellectûs lumen proponatur illi malitia sua, malitiaq; facti, in quo prorumpit, tamen præceps & velut cæca ruat in illud sciens, volens. Deinde est ad bona tarda difficilisq; tum ex se se,tum ex consuetudine tum ex affectibus pravæ concupiscentiæ aliarumq; passionum effreni um, tum ex illecebris sensuum externarum, rerumq; sensibus blandientium, ac voluntatem in sui voluptatem trahentium.

2. Adhæc eadem voluntas, esto aliquando bona sit, id est, se ad bonum convertat, illùdq; appetat, ad illud tendat, est tamen mutabilis, & convertibilis à bono facillimè unde vel cessat omninò à bono, vel languet in illo, vel in oppositum malum tendit, vel dilatione se ipsam eludit, vel difficultatibus veris, fictisve frangitur, vel blanditiis sensualibus vanisq; emollitur.

Præterea est intellectui rebellis non rarò immo passim, agitq; & fertur contra scientiam & lumen rationis, indeq; rabiem in se provocat conscientiæ remordentis.

5. Ad hæc autem, etiam ipsa sibi rebellis est, non vult, quod vult; & vult, quod non vult. tanquam fluctibus oppositis mare æstuans,& fluctus suos inter se se collidens. Unde non tantum est illud verum dictũ à quodam: video meliora proboq;, deteriora sequor, A sed illud etiam Apostoli: non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malũ hoc facio. Propter quod alius queritur se factum sibimet ipsi gravem. Valde enim grave est, se sibi contrarium pati, & tanquã in duos divisum, & esse quod non est, & nõ esse quod est, velle quod non vis & nolle quod vis,

6 Præterea esto velit intellectui voluntas concordare, non tamen etiam sic est tuta. Nam cùm intellectus obnoxius sit tot B malis, ut visum est in primo puncto: voluntatem, esto cum ipso conjunctam, ijsdem obnoxiam esse.

7 Deniq; est inefficax & morbido homini similis,qui licet se vellet movere loco, non tamen potest ob infirmitatem membrorum: ita voluntas nostra sæpe licet videatur sibi velle, non temen revera vult, sed tantũmodo vellet finem assequi, si id absq; labore qui est in mediis,posset confici: vult finem sine mediis; quod perinde est ac velle volare C sine alis, velle videre sine luce & oculis, velle pervenire non eundo, nec viæ molestiam tolerando. Ita sæpe volumus pacem sine patientia, volumus patientiam sine molestiis, humilitatem sine humiliationibus, volumus scientiam sine studiis, volumus victoriam sine pugnis &c. His incommodis voluntatis,medetur mirifice obedientia præsertim Voto firmata; omnia namq; hæc incommoda prorsus amolitur, & Sapientia voluntateque Dei explodit atq; explet, ut vidimus,

D III Notandæ sunt perfectiones Dei quædam super quas fundatur Obedientia Religiosa, ejusq; Votum, & quas Deus obedientiam voventibas obligat 1. Deum esse sapientiorem quàm nos sumus. 2. Esse meliorem quàm nos sumus 3. Esse potentiorem quàm nos sumus. 4. Esse amantiorẽ nostri quàm nos sumus. 5. Esse fideliorem quàm nos sumus. 6 Esse digniorem quàm nos sumus. 7. Esse deniq, diligentiorem circa nos, quàm nos sumus. Hæc utique

nemo

nemo ſanus negabit in Deo eſſe meliora & perfectiora quam ſunt in nobis. Hæc autem omnia bona ſua, Deus obligat ijs qui ſe illi per obedientiam ſubdunt, ſeu qui propter ſe obedientiæ jugum ac Votum ſubeũt. Ex quibus conſideratis vel obiter, non poteſt non enaſci immenſa quædam cupiditas obediendi Deo, ſimulq; ſecuritas obedientis, ac tandem felicitas: deniq; magiſterium perfectiſſimè obediendi in obediendoq; ſemper & libenter perſeverandi. Si enim Deus eſt ſapientior, quàm tu ô homo, melius igitur & ſapientiùs te gubernabit, quàm tu te ipſe gubernare poſſes. Depone igitur ſapientiam & prudentiam tuam omnem, & confide ſecurus Divinæ. Si Deus eſt melior quam tu Religioſè, meliora igitur Tibi volet, quàm tu velle poſſes. Ejus igitur bonitati confiſus, curam tui omnem, de commodis ac bonis tuis cogitationem omnem depone & jacta omnem cogitatum tuum in eum. Si Deus eſt potentior quàm tu Religioſe? faciliùs ergo illi erit ea omnia tibi præſtare vel efficere, quæ ſciverit tibi vel neceſſaria, vel ſalutaria, quàm tu qui es infirmus, impediri facilè potes, & frangi, ipſe autem eſt omnipotentia ipſa & ejus velle eſt poſſe. Si Deus eſt amantior tui, quàm tu ipſe tui Religioſe? amplius ergo de illius in te caritatè confidere, ab ab eo ſperare potes, quam à te ipſo, amoreq; tui poſſes, Exue ergo te amore tui, & amandum te Deo nudum ab ipſo te trade. Si Deus eſt fidelior tibi, quàm tu ipſe tibi? ejus igitur curæ ac providentiæ totum te crede, & omnia tua, quoniam ille & de omnibus & ſuo quoq; tempore, in omni pondere, numero, menſura circumſtantiaq; tibi providebit, teq; curabit, tuaq; omnia ordinabit, & omnia tibi promiſſa, tam in hac quam in altera vita explebit, & tantummodo ut tu quoq; illi fidem ſerves, obedientiam Votivam ſemper expleas, nequè gloriam illius tibi uſurpes, allabora. Si Deus eſt dignior quam tu? utiq; eſt dignior, ut tu illi potiùs quam tibi ſubſis, dignior eſt ſapientia, & bonitas & omnipotentia & Caritas & Fidelitas, ut ab illa guberneris, utq; illi credas, fidas, protegaris; ab illa ameris potiùs quàm à tua ſapientia ſtulta, bonitate falſa, potentia infirma, dilectione prava, fide infideli. Si Deus eſt diligentior quam tu circa res tuas, ſecuriùs ergo conquieſces in ejus cura quàm in ulla tua, quoniam ecce non dormitabit, neq; dormiet qui cuſtodit Iſrael, ſed habet omnes oculos ſuos intentos ſuper te, conſiderans omnes vias tuas, in abſconditas quaslibet partes, cuſtodiens omnia oſſa tua, omneſq; capillos capitis ſui habens numeratos apud ſe. Ex his cõſideratis bene adverte quàm optima & planè invidenda ſit conditio Religioſorum, quia Deo obedientiam ſuam vovent. Habent A enim tanta bona Dei ſibi obligata. adeò ut ſicut Religioſi obligati ſunt Deo per Votum obedientiæ, ſuamq; omnem libertatem, voluntatem, ſapientiam, prudentiam, ſcientiam & efficacitatem, & omnia, quicquid ſunt Deo obligarunt; Deiq; fecerunt, quæ Deo ſubtrahere, & ſua voluntate præter Divinam uſurpare non poſſint, ſine infidelitatis rapinæ ſacrilegiiq; nota, ita quoq, Deus & illius bona enumerata obligata maneat Religioſis, nec ea Deus, illis negare poteſt abſquè nota infidelitatis, uſq; adeò, ut ſi Deus de a- B liis creaturis ſuis nollet fortaſſe cogitare, curamq; illarum agere, tamen Religioſorũ Voto obedientiæ ſibi obligatorum illudquè fideliter obſervantium, teneretur peculiari quadam fidelitatis obligatione, cura gerere.

O Religioſe, numquid non dices tibi cũ Propheta? *Iacta cogitatum tuum in Dominum, & ipſe te enutriet*, &: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ*. Bonitatis, ſapientiæ, caritatis, omnipotentiæ &c, *ibi me collocavit*.

C IV. Porrò hæc omnia bona ſua jam propoſita depoſuit Deus in Superioribus tuis & per eos tibi omnia impendit, ut tantò certiùs, faciliùs, evidentiùſq; tibi ad manum ſint ſemper, quantò tibi ſuperiores tui ſunt notiores, viciniores, acceſſu faciliores. Nec quidquam tibi imminuitur de illis Divinis bonis, per hoc quod ſint tibi apud Superiorem, inq; illius voluntate ac imperio & Regimine depoſita quin potiùs, tibi quodammodo ſunt aucta, certè magis in promptu, D magis ad manum. magis ad uſum propoſita, atq; ad ſecuritatem certitudinemq; applicata.

Quare non minùs debes Deo, te per Superiorem aliquem, quiſquis ille ſit, qualibuſcunq, qualitatibus præditus, gubernanti fidere, nec minùs diligenter perfecteq; illi obedire, quàm ſi immediatè facieq; ad faciem te Deus regeret ipſe per ſe: immo illud eſt tibi ſuaviùs, ſecuriùs, faciliùs, meritoriumquè magis.

CAPUT

CAPVT XI.

De tribus gradibus Religiosæ Obedientiæ.



PRimus gradus Obedientiæ à S. Patre nostro positus in eo ut mandata subditus opere exequatur. Hunc obedientiæ gradum S. Pater imperfectum vocat, & Virtutis nomine etiam indignum, si ab aliis gradibus sejunctus sit, & nisi ad alterum quoq; ascendat. Est tamen iste gradus omninò necessarius, & aliorum fundamentum atq; finis eorum. Quid enim prosunt, immo quid sunt reliquæ obedientiæ perfectiones, si hæc una desit, ut opere ipso perficiatur ab obediente, id quod ab auctoritate superioritateq; imperatur. Ergo licèt infimus sit iste obedientiæ gradus, si solus sit, nullus tamen alius satis est si hic solus desit. Sed omnes Reliqui in illum tendunt, illum ornant, illum supponunt, illum coronant. Habet tamen iste gradus, licèt infimus, hoc præ aliis, superioribus gradibus, quod ille solus, non sufficit ad virtutem sufficit tamen ad exteriorem satisfactionem, cum id in aliis non ita fiat, quin, quantumlibet subditus consentiat voluntate & judicio, nihil tamen hoc ad obedientiam proderit, nisi ad affectum executionemq; imperij, quantum prævalet accesserit, ipsaq; reali efficacia imperatum negotium peregerit.

Propter hæc habet iste ipse gradus obedientiæ primus infimusq; suas perfectiones proprias, quamvis non omnino ab aliorum graduum perfectione sejunctas. 1. Executio imperatæ rei debet esse prompta, & omninò velox, moras non nectens ullas, sed statim, eò quod in manibus est, opere etiam imperfectò desertò, ad inchoationem peractionemq; ejus quod imperatur, voce vel signo sese accingens illicoq; conferens. 2. Executio debet esse integra, ut opus quod imperatur exequatur integrè, tam quoad omnes operis partes, quàm quoad finem & absolutionem ultimamq; manum quatenus obedientia exigere videbitur. 3. Executio debet esse indifferens, æquè magna ac parva, leva ac ardua, vilia, ac honorifica, obiter ac graviter imperata perficiens. 6 Executio A debet esse sincera & fidelis, idemq; diligentiæ & fidelitas tenore faciens omnia quæ imperata sunt, sive palam & in oculis sive sine arbitris & privatim facienda sint, sive sint ventum in manus superiorum sive nemine conscio facienda veniant: *ex Animo*, ut ait Apostolus: *& sicut Domino omnia faciendo*, qui ubiq; dignus est perfectâ obedientia & fideli executione.

Secundum gradum obedientiæ Religiosæ, S. Pater noster ponit in eo, ut voluntas obedientis consentiat cum voluntate imperãtis ut scilicet idem velit ac nolit quod Superior vult, ut amet imperium, & rem imperatam, & ipsum imperantem. Etenim ibi non durâ necessitate servitur (utitur verbis Leonis Magni S. Pater noster) ubi diligitur quod ju- B betur. Estq; hujus manifesta ratio, quia repugnante voluntate non potest fieri bona & fidelis, & aliis, jam expositis partibus absoluta executio imperatæ rei. Non est autem difficilè amare & velle hoc quod videmus Superiorem velle, si consuescamus in Superioris Persona, non Superioris, sed Dei Personam, & in Superioris voluntate, non humanam sed Dei voluntatem agnoscere. Id enim si fiat, vix est possibile in Religioso aliquo esse tam miseram voluntatem, quæ non libenissimè velit, quod Deum videt velle in Superioris sicet hominis volũtate. Dei enim voluntas sive sit nuda & ipsius Dei, sive sit palliata, & vestita voluntate Vicarij C sui, eadem est, & æquè amanda, æquè appretianda, æquè executioni mandanda perfectè. Est enim valdè ridiculum velle Deum honorare & audire in sua persona, non autem velle in aliena, sicut stultum est velle Regem honorare in sua persona, & in oculis præsentem, nolle autem post cortinam aut velamẽ aut in Prorege constitutum & mandantem.

Hic

Hic gradus obedientiæ est longè præstantior priore, etsi dirigatur ad priorem & fundetur in illo: alioqui sterilis, & planè otiosus, ne dicam ridiculus sit absq; illo. Habet præterea hæc obedientia voluntatis, suas perfectiones quibus exornari vult, ut sit omnibus numeris absoluta, sed eæ melius aliô locô expendentur. Nunc sufficiat ex hoc puncto considerato statuere firmiter cũ animo suo, omnem Superioris voluntatem, Dei voluntatem reputare, credere & agnoscere, tanquam talem amplecti & executioni mandare. Hoc est enim in animo & ex cordis plenitudine obedire; hoc est etiã quod Deus vult velle, & secundùm Cor Dei esse.

Tertium obedientiæ gradum, S. Pater ponit in intellectu, ut scilicet idem sentiat & judicet sapiatq; obediens, quod imperans: non discrepans suo judicio ab ejus judicio, sed sicut in fide captivamus omnem intellectum in obsequium fidei, cessantq; omnes discursus rationis, ubi aliquid audimus esse de fide, esse à Deo revelatum, & tanquam tale ab Ecclesia definitum: ita & in obedientia captivamus omnem intellectum ingenium, discursum, judicium, in obsequium Divinæ voluntatis ac Sapientiæ, & auctoritatis, cessantq; omnes ratiocinationes, omnes discursus, omnia examina, quare quomodo imperatum sit: statim ut audivimus esse ita imperatum, ita visum, ita placuisse, ita decretum esse à Superiore, vel potiùs ab ipso Deo, interprete ac declaratore internũtioq; Superiore. Perinde, ut cum quis præconis voce audit promulgatum edictum Magistratûs, statim inclinat animum ad parendum Magistratui & ejus decreto, per internũtium, præconis vocem, intimato. Neq̀uè expendit secum dignitatem aut sapientiam præconis, sed attendit ad dignitatem, potestatem, sapientiamq; Magistratûs. Hic gradus obedientiæ fundatur & vigorem sumit ex sapientia Dei, primæq; & æterna veritate ipsius, cujus dictamina & sensum exponit Superior subditis ipsaq; se se per Superioris mentem ac vocem manifestat ijsdem.

Quare subditi, mentem sensumq; Superioris non debent accipere nec attendere tanquam sensum hominis errori ac cæcitati obnoxij, sed tanquam revera sensum propriũ judiciumq; æternæ sapientiæ, primæq; rationis ac veritatis æternæ. Itaq; sicut nemo auderet disquirere, aut sub censuram vocare id, quod sciret ab æterna Sapientia Dei ordinatum statutumq; esse. Ita revera nemo debet discutere id quod novit ab æternæ sapientiæ Vicariis, seu potius ab ipsa illa æterna sapientia per Vicarios suos præscriptum & imperatum esse. Numquid enim dicere potest figmentum figulo Quare ita facis? certè Deus longè justiùs dicere potest, tam quando ipse, quàm quando per Vicarios aliquid ordinat subdito: nolo ut scrutemini consilium meum; & illud: Fac sicut velle me nôsti, &: benedicat tibi anima mea. Sanè Diabolica est illa prudẽtia quæ exquirit: cur præcepit Vobis Deus?

A

Atq; hæc est illa Sanctorum in obedientia cæcitas & stultitia, omnibus sapientiis oculatior, quæ nihil examinat, quod imperatum est: cui pro omnibus rationibus, probationibus, convictionibus, demonstrationibus, est hoc unum: imperatum est, ordinatum est &c. Quod si quando aliquos discursus adhibet super imperata, ad hoc adhibet, ut sibi tantò ampliùs faciat probabilia & justa, & recte quæ sunt imperata, licet non ideo sit obediendum, quia nobis probantur, sed ideo à nobis sunt probanda quia imperãtur: ita, & quilibet subditus quando agnoscit & audit Superiorem ita ordinasse vel imperasse, sic accipiat, acsi audiret illum dicentem solemne illud: visum est Spiritui Sancto & nobis. Visum est æternæ menti & sapientiæ, omnipotentissimæ voluntati Dei & nobis. Hæc intellectûs obedientia, & cum Superioris voluntate sensuq; consensio si adsit, obedientia perfecta est, & nihil illà suaviùs, nihilq; Voto illo ad observandum faciliùs. contra si absit, necessario labat omnis structura obedientiæ. Nam repugnante, ratione facile etiam voluntas subditi repugnat. hac autem repugnante, executio vel nulla, vel frigida, vel non constans est. Nemo enim exactè ac libenter facit, quod invito affectu, repugnante judicio suo facit. Qui autem non libenter facit, non ex animo, non constanter, non perseveranter, sed servili & abiecto, & amaro facit, Et ita totiùs obedientiæ nitor, sapor, vigor, virtusq; perit.

B

C

D

Hæc diligenter expende & ad omnium istorum graduum obedientiæ consensionem, assecutionemq; te accinge, practicasq; resolutiones facito. Contingit enim Religiosis, in negotio obedientiæ, quod aliis fidelibus in negotio fidei: Ut enim isti plurimos, etiam practicos fidei articulos credunt & norunt, præcepta Dei, & Christi doctrinæ sciunt

sciunt, neq; tamen servant, & licet pro ea-
rum veritate mori parati sint, eas tamen in
vita sua, re ipsa servari & exequi passim ne-
gligunt, ita non raró Religiosi, virtutem o-
bedientiæ, obligationéq; Voti summè æsti-
mant, & omnem Religiosi hominis, statuf-
qué vitam ab ea pendere fatentur, sciunt e-
tiam quod Superiores sint Vicarij Dei, Per-
sonamq; Christi gerunt, & quod Deo in il-
lis, illisq; tanquam Deo obediendum sit,
practicè tamen id non præstant, sed in Supe-
rioribus Deum non attendentes, humana
tantùm respiciunt, obediuntq, illis tanquã
hominibus, unde incidunt Religiosi in il-
lud periculum à Deo denuntiatum, *Qui vos
spernit, me spernit.*



CAPVT XII.

De Perfectionibus Obedientiæ Societa-tis, juxta Regulas ejusdem.



DE Obedientiæ perfectioni-
bus, & necessitate, & cura,
studio, exercitioq; in Soci-
etate tot sunt Regulæ, ut A
de nulla alia re, vel virtu-
te, sint vel plures vel exacti-
ores, vel minutim distinctéq; singula expli-
cantes. Has igitur in compendium reda-
ctas expende. Cum ergo S. Pater dixisset:
*Expedit inprimis ad profectum & valdè necessa-
rium est, ut omnes perfectæ Obedientiæ se dedãt,*
depingit deinde genuinis coloribus obedien-
tiam.

1. Perfectio obedientiæ Societatis est, Su-
periorem quicunq; ille sit, supremus scili- B
cet, aut medius, aut infimus, magnis natu-
ræ gratiævè donis præditus, vel parvis, vel
nullis, nihilominus locô Christi Domini a-
gnoscere, eumq, interna obedientia & amo-
re tanquam Christum Dominum prosequi.

2. Perfectio obedientiæ Societatis est, o-
mnia imperata Superioris exequi integrè,
promptè, fortiter cum humilitate debita, si-
ne excusationibus, sine murmurationibus C
licèt difficilia, licèt secundùm sensualitatẽ
repugnantia jubeat.

3. Perfectio obedientiæ Societatis est, ha-
bere intriùs plenam resignationem, & ve-
ram abnegationem propriæ voluntatis atq,
judicij, conformando illam & illud cum eo
quod Superior vult & sentit, in omnibus o-
mnino rebus, ubi manifestum peccatum nõ
cernitur.

4. Perfectio Obedientiæ Societatis est,
voluntatem & judicium Superioris, habere
pro Regula & norma, propriæ suæ volunta-
tis & libertatis, judicii & prudentiæ. Non
secùs ac artifex normam facit sibi pro Ma-
gistra & regula directioneq; operandi, à quâ
ne ad latum unguem recedit. Si enim rece-
dit, errat, & vitium est in opere; si autem
accedit ad illam, & tenet, opus perfectum
& omni parte absolutum censetur. Ita
prorsus Religiosus subditus voluntati & ju-
dicio Superioris, tanquam normæ & regu-
læ suarum operationum debet mordicus ad-
hærere: quô enim perfectiùs & tenaciùs ei
adhærebit, exactiùs conformabitur totus cũ
omnibus suis potentiis & operationibus.
(primæ illi & summæ regulæ omnis bonæ
voluntatis ac judicij quæ est æterna Bonitas
& Sapientia.

5. Perfectio Obedientiæ Societatis est,
relinquere superiori liberam dispositionem
de se deq; rebus suis omnibus, cum vera o-
bedientia, nihil clausum occultatumq; Su-
periori tenendo, ne conscientiam qui-
dem propriam, neq; illius judicio ullate-
nus repugnando, ut per unionem sententia-
rum voluntatumq, nec non per debitam
submissionem subditus melius in Dei obse-
quio conservetur & progrediatur.

6. Perfectio obedientiæ Societatis est,
non solùm in rebus obligatoriis, & culpam
post se, si non fiant, trahentibus, sed in o-
mnibus omninò rebus, etiam adiaphoris o-
bedire Superiori.

7. Per-

7. Perfectio obedientiæ Societatis, obedire ad tenuissimum quodvis signum, quo innotescat voluntas Superioris, esto nullum expressum sit audiaturq; præceptum imperans vel prohibens.

8. Perfectio obedientiæ Societatis. Ad vocem Superioris ita promptum esse, ac si illa Christi Domini vox esset, re qualibet atq; actione, etiam litera inchoata, imperfecta, relictâ.

9. Perfectio obedientiæ Societatis est, non solum Superiori Societatis, vel domûs, sed etiam subordinatis Superioribus qui ex illo, auctoritatem acceperint, sive ille sit cocus, sive quilibet officialis, quatenus officium illius exigit obedire cum magna humilitate in rebus omnibus ad ejus officium pertinentibus.

10. Perfectio Obedientiæ Societatis est, assuescere non respicere quis sit ille (supremusne domûs Superior vel Ordinis, ac Cocus, an quis alius) cui obeditur, vel potius cui obediendum est, qui est Christus Dominus.

11. Perfectio obedientiæ Societatis, habere semper ob oculos Deum ac Creatorem nostrum & Dominum nostrum propter quē homini Obedientia præstatur.

12. Perfectio obedientiæ Societatis est, obedire non in spiritu & perturbatione timoris, quod est mancipiorum & jumentorum, sed in spiritu amoris, quod proprium est ingenuorum, filiorumquè.

13. Perfectio obedientiæ Societatis est. Ad eum scopum vires omnes ac intentionē in Domino convertere, ut sancta obedientia, tum in executione exteriùs, tum in voluntate ac intellectu interius, sit in subdito, semper, omni ex parte perfecta.

14. Perfectio obedientiæ Societatis est, obedire cum magna celeritate.

15. Obedire cum spirituali gaudio, mentisq; exultatione, ex eo potissimum, quod certus sit qui obedit se Dei voluntatem facere, eaq; quæ placita sunt Deo: & in ijs quæ Patris cœlestis sunt distineri & occupari.

16. Obedire cum perseverantia: quicquid injunctum fuerit obeundo: omnia justa, (immo Divina Deoq; placita) esse, sibi persuadendo.

17. Obedire cum omnis sententiæ ac judicij nostri proprij, contrarii fortè Superioris judicio, per cæcam quandam obedientiam, abnegatione.

18. Perfectio obedientiæ Societatis est *Persuadere sibi, quod qui sub obedientia Societatis vivunt, se ferri ac regi à Divina providentia per suos Superiores debere, perinde ac si cadaver essent, aut senis baculus, qui ad nutum tenentis se, & volentis tractari se sinit.*

Hæc sunt quæ S. Pater noster in suis Constitutionibus Regulisq; variis, nobis de obedientia proponit.

A II. Ad hanc porrò perfectionem obedientiæ filios Societatis adspirare convenit. 1. Omnes omninò, cujuscunq; sint ætatis, in vita vel statu Religioso quibuscunq; muneribus perfuncti vel fungantur, qualiumcumq; sint talentorum naturalium vel supernaturalium, qualemcunq; gradum in Religione teneant. 2. In omni prorsus occasione, negotio, materiaq;, excepto solum hoc uno, si peccatum manifestum à Superiore imperaretur, tunc enim obedire, nō B esset obedire, sed obedientiam Deo violare; aliàs nihil omninò excipit obedientia Societatis. Unde nostrum obedire juxta Regulam, est obedire semper, in omnibus rebus, unô solôq; exceptô peccatô manifestô, si præciperetur: quod si manifestum non sit, sed tantùm videretur esse, possit autem non esse, obediendum est potiùs, quàm peccatū fingendum. 3. In omni loco & tempore. 4. Omnibus viribus, totaq, intentione mētis ac voluntatis, ita ut omnes perfectæ obe- C dientiæ se dedant, tanquam filios Matri, tāquam subditos Reginæ, tanquam creaturas ac jumenta ac mancipia, Omnipotenti voluntati ac Dominæ, Creatrici, quæ omnes ex nihilo, per absolutam obedientialemquè potentiam in esse eduxit, & sibi omnimodè subditas condidit. Nulla ergo in conditione, nulla in circumstantia, Societatis filius debet se putare exemptum ab obedintiæ rigorosa, perfecta, excellentiq; subjectione, sed omni tempore in ea excellere conariq; ac D studere omnibus uiribus totaq; intentione debet. Proinde cavebit ab illa persuasione plebeiorum Religiosorum, se jam excrevisse metas subjectionis, se non Novitiorum more Iuniorumq; tractandum, jam sui rationem habendam, & à similibus nugacibus tepidorum conceptibus. Immo persuasum habeat, quantò est adultior ætate, quantò magis veteranus in Religione, quantò magis perfectus in virtute, tantò se debere esse magis vegetum, viridem, juvenem Novitium, Novellumq; in obedientiæ simplicitate, sin-

te, sinceritate, alacritate. Sicut videmus Dominorum sæcularium famulos veteranos, longè pluris æstimare, perfectiusq; laborare, in voluntate domini honoreq; zelando, quã hodie in familiam adscitos servulos.

Adverte verò supra enumeratas Obedientiæ Societatis perfectiones, esse à Sancto Fundatore, non ita tantum quasi per modum Spiritualis cujusdam exhortationis ad perfectionem propositis, sed in Constitutionibus ac Regulis, quodammodo præceptas, & ut in executione sint, hoc est re ipsa à filiis Societatis curentur, exerceantur, habeanturq; per modum legum voluntate Legislatoris intimatas. Quare non solius amore perfectionis ad earum celsitudinem assequẽdam invitamur, sed etiam eo vinculo ac pondere, quo, ad Regularum exactam, ple- A nam, absolutam ad literamq; observationẽ tenemur, eas obedientiæ perfectiones, eo quo sonant verba, modo, assequi & exercere debemus. Si enim Regulæ sunt, servandæ sunt, alioqui tantùm in Religiosi officium, quantum in Regulas peccabimus.



CAPVT XIII.

De Imaginibus Obedientiæ Religiosæ, ac speciatim Societatis IESU.



Imago prima Obedientiæ perfectæ, qualem Societas à suis filiis requirit est Christus Dominus; qui etsi in omni vita sua propositus esse debet. Hominibus Societatis in Exemplar, peculiari tamen ratione, in obedientiæ perfectissimo gradu & exercitio: sicut etiam hujus virtutis exercitium fuit peculiariter in tota vita IESU, quàm cursus & praxis obedientiæ, adeo ut non dubitaverit dicere Dominus, obedire Patris æterni voluntati non solum in minimo apice, sed etiam in ipsa quoque Crucis morte, esse suum cibum, esse suum potum, esse suam vitam. Ad hoc ergo Exemplar, sicut & aliorum Sanctorum, qui Christum in Obedientia imitati sunt, effingere te debes, si Socius IESU esse voles, ut vivere, ut spirare aut moveri te nullatenus absq; obedientia, possis aut scias, aut velis.

Secunda Imago Obedientiæ, quæ sumitur à cadavere Hominis mortui, de quo S. Pater sic ait: *Qui sub obedientia vivunt, se ferri, ac regi, à Divina Providentia per Superiores suos velint perinde acsi cadaver essent, quod quoquo versus se ferri, & quacunq; ratione tractari se sinit.* Expende ergo quanta sit obedientia mortui ad omnem vivorum voluntatem, quanta indifferentia, ad omnem eorum providentiam circa se. Non deligit enim sibi mortuum cadaver locum, non tempus, non solemnitatem, pompamve sepulturæ, B non facit delectum loculi stannei, ærei, argentei, lignei, marmorei, non extorquet, ut hoc vel illo vestitu ornetur, aut nudum in fimeto abijciatur, non exigit aromatibus condiri, aut insepultum abijci: Nihil interesse sua causat humine an sublime putrescat. Ita per omnia resignatum est cadaver ad omne placitum viventium, curantium, negligentiumq; se. Ad hanc imaginem cura reformare tuam obedientiam, indiffe- C rentiam, resignationem, projectionem, & veluti negligentiam tui in Divinam Superiorumve de te providentiam, voluntatem, ordinationem.

Tertia obedientiæ Societatis IESU Imago, desumpta per Sanctum Patrem à senis baculo. *Qui ubicunq; & quacunq; in re eo velit uti qui eum tenet, ei inservit* Non laborat certè Scipio à quo manu teneatur, sitne ille gra- D vis vir an juvenis, prudens, an rerum expers? sinistra an dextra gestetur, per lutosam saxeamne viam adhibeatur, in marmoreo, an argillaceo pavimento sit ejus usus. Dives, nobilis, an pauper, abjectusq; aliquis eum portet, hoc, vel illo tempore, die, no-

cte,

ate, sereno, pluvio cœlo, brevi, longo, tempore feratur; ad hunc illumvè usum adhibeatur, manu teneatur an sub axilla, locetur in angulo an sub scamno: sustentet incedentem hominem, an canibus allatrantibus objiciatur admordentibusq; auro, argento, ære, an ferro ornetur, an rudis relinquatur. Hæc omnia perinde sunt scipioni baculoq; senis, quem S. Pater, adeoq. Dei sapientia Ideam obedientiæ filiis Societatis IESU ad exprimendum vita factisq; proponit. Ad hæc ergo omnia etiam tuam præteritam obedientiam expende, futuram autem compone, Divinum auxilium pro dono & exercitio perfectæ obedientiæ precare, propter Obedientiam Christi &c.

Quarta obedientiæ Societatis Imago desumpta à capite & membris. In corpore sunt variæ partes totum componentes, maximaq; inter se unione ac dilectione conspirationeq; in totius ac in mutuum bonum, & obsequium connexæ. Eminet tamen caput, & situ seu loco, & sensuum complexione, comprehensioneq; , & rationis ac imperij quadam possessione: reliqua verò illi subsunt, non tantum subjectione locali, sed etiam exhibitione obsequij, & executione mandati. Caput omnibus providet, omnibus consulit, omnia dirigit, omnia tuetur, omnia curat, capiti omnia obsequuntur. Neq; considerat membrum, quale sit suum quod præsidet imperatq; Caput, sitne elegans conforme, proportionatum, an verò difforme & distortum, æquo majus vel minus, glabrum an pilosum, multis an paucis animæ dotibus præditum &c. Ad hæc inquam in capite non attenditur à membris, sed eis sufficit, quod caput, sit caput, quod in eo singularius anima resideat, & eo mediante in reliqua membra, vitam & motum & sensum, & curam & directionem influat ideoq; illa in capitis sui potiùs sententiam eunt, non verò caput in membrorum; monstrum esset, si caput pedibus aut manibus aliisve membris obsequeretur &c. Talis esse debet cõsensus, in Domibus hominibusq; Societatis, Superiorum & subditorum, illis curam his obsequium in commune afferentibus; subditisq; ad nutum, ad sensum, ad regimẽ Superiorum suorum, sese conformantibus; neq; ad hoc quod caput sit etiam pars corporis, eaq; sic vel sic conformata attendenti bus, sed propter hoc, quia Caput est domus animæ & instrumentum dominatricis, regnatricisq, facultatis, & quia Regia rationis, sedes providentiæ ac prudentiæ, auctoritatem capits recognoscentibus, reverentibus, & mandata exequentibus, omnemq́uè sui curam in caput & animam illius præsidẽ abjicientibus.

A Quinta Imago Obedientiæ Societatis sumpta à cœlestibus orbibus, in quibus est etiam admirabilis obedientiæ disciplina. Omnes cœli sunt nobiles naturâ figurâ, situ, motu, substantia, qualitatibus, capacitate, in terram & inferiora hæc Elementa beneficiis. Omnes sunt ornati stellis & planetis, pauci oribus alij, pluribus alii, quidam eorum habent in se fontes luminis & caloris & generationis, ut sol Et tamen isti orbes tanti tamq; admirandi per omnia, mutuo sibi insunt & subsunt, & omnes Primo Mobili includuntur, quod licet videatur, omnium esse maximæ molis & stellis, ac luce privatum

B omnia tamen alia corpora cælestia suo ambitu complectitur, omnia ad motus sui proprii velocitatem rapit & rotat, omnia ab ortu per occasum versat. Et quamvis universi singuliq, alij cæli suos motus proprios habeant eos tamen unius Primi mobilis motui omnes attemperant, & ita suis motibus contrariis desperatisq; licet, intendunt, ut tamen mobilis primi motum, nec ad momentum retardent aut excludant. Esto sit cælum Solis, esto sit cœlum Iovis, sit cœlũ

C Lunæ, sit cœlum Mercurij, sit cœlum firmamenti, tamen Primo mobili omnes subsũt, astraq; sua, & lucem suam & qualitates suas submittunt. Nec objectat cœlum solis, lucem suam solemq; suum, nec Luna aut Iuppiter, aut Mercurius, aut Mars efficacias suas, nec firmamentum tantam suam multitudinem astrorum, Primo mobili his omnibus destituto opponunt. aut exprobrant, sed cum omni constantia ei subsunt, ab eo se moveri rapiq; à tot sæculis facile sinunt. Talis sit opus est obedientia filiorum Socie-

D tatis. Qui omnes, esto subsint cœlo, nullis stellarum ignibus distincto, esto sint ipsis clarissimis naturæ & Gratiæ dotibus ornati, esto sit maxima eorum, in Ecclesia Dei, in populo Christiano, in Religione ipsa, utilitas, auctoritas, commendatio: moveantur tamen hi omnes ad motum & nutum mobilis primi, & ad normam ejus, omnes motus suos, omnes ignes, omnes qualitates, omnes facultates, talentaq;, omnes actiones suas componant & dirigant. Quin immo

non

non tantùm mobili primo, sed etiam sibimet mutuo insint & subsint, ut sint verè cælis similes, immò vero cœli ipsi, à terra quidem valdè dissiti, terræ tamen valdè proficui supra nubes constituti, nubibus tamen dominantes, & in ipsis terræ visceribus, efficacitatem suam exercentes.

CAPVT XIV.

De variis Actibus Religiosæ Obedientiæ.



VArij sunt Actus, variæquè perfectiones Religiosæ Obedientiæ, quas exercere possunt, & ad quas eniti debent quicunq; in hac virtute excellere desiderant, uti omnes filij Societatis IESU desiderare tenentur: tanquam ij, quibus vi naturaq; instituti sui omnis perfectio obedientiæ necessaria est. Propterea infra sariptos gràdus actusq; ejus virtutis expendere, ac quotidiano exercitio in eorũ possessionem te inducere contendes

1 Actus primaq, perfectio Obedientiæ Religiosæ, & quidem fundamẽtalis uti supra sæpiùs dictum est. In Superiore Deum cognoscere, intueri, audire, honorare, ita ut quemadmodum in rebus fidei Christianæ, ad solam Dei revelationem, per Ecclesiam denuntiatam acquiescimus, captivantes intellectum & voluntatem in obsequium fidei, ita imperiis obedientiæ, ad solam Dei auctoritatem in Superioris voce personaq; residentem, ac quid velit Deus, denuntiantem plene consentiamus, captivantes omnem intellectum, voluntatis & executionis facultatem in obsequium auctoritatis Divinæ obedientiæ. Tanti autem, hæc Dei in Superiore recognitio, momenti est, ut obedientia sine hac nihil omninò sit. Itaq; huic par est nos assuescere, ut ea quæ à Superioribus constituũtur vel præcipiuntur, non tantùm pro justis & Sanctis reputemus, non tantùm sanctiora, justioraq;, quàm omnes nostras alienasve intentiones credamus, sed prorsus Divinæ Sapientiæ oracula voluntatisq; Divinæ decreta, ac Prædestinationis nostræ media, agnoscamus, acceptemus, veneremur & exequamurq;. Id nisi fiat nihil est in obedientia quod placeat Deo, quodvè habeat meritum, Id verò si fiat, nihil suaviùs, sanctiùs, utiliùs, ad perfectionem compendiosiùs erit, jugô & Votô obedientiæ.

2. Actus est Firmiter credere, omnia esse salubria, sancta, facilia & possibilia, quæ obedientia statuit ac præcepit, non secus ac de fide fiduciaq; dictum habemus: si potes credere, omnia possibilia sunt credẽti. Hoc valet ad omne sapientiæ humanæ amori, voluntatiq; propriæ jugulum incidendum. Nihil enim est hac in re efficaciùs quàm tentationibus Diaboli, & discursibus proprijs objicere, præ omnibus armis & rationum causis: Deus est qui imperat, ergo sanctum, ergo salubre, ergo possibile, ergo facilè est: ego autem idcirco ordinem sum ingressus, ut subsim, & in me voluntas Domini impleatur.

3. Actus obediẽntiæ est, non tantum ipsis Superioribus majoribus, sed aliis etiam subdelegatis, & delegatam potestatem habentibus, juxta potestatis eorum mensuram administrationis exigentiam, perinde obedire ac ipsis Superioribus, hoc est atq; ipsi Christo, eadem est enim utrobiq; auctoritas, esto non eadem mensura. Immo obedientis perfecti est, etiam antiquis senioribusq; Religiosis, perinde ac ipsis Prælatis obedire, ac monita libenter accipere: siquidem ipsi ea ex priscæ observantiæ praxi desumpta dare possunt ac solent; unde pro Regula quadam haberi debent. dummodo non repugnent ipsis statutis ordinum vel Superiorum. Qui sic se exhibere didicerit, omnium seu

um seu monitis seu postulatis mitem promptumq; hûc nulla unquam majorum monita, consilia gravabunt.

4. Actus. In statutis Superiorum, quæ habent connexum aliquid honorificum, aut blandum, aut commodum, subdito repugnãtiam habere convenit, dummodo non obstinatam, nec modestiæ limites egressam. Expedit enim à talibus objectis proprium amorem redolentibus mulcentibusq; refugere, & nonnisi ad ea invictum cogi. E contra veró in statutis majorum, quæ habent annexam aliquam humiliationem, mortificationemq; ac depressionem subditi, ad ea alacriter convolare, & ambitione quadam sacra in eam ferri. Sic enim amatorem mortificationis decet, sic continuam in rebus omnibus mortificationem & abnegationem sui captantem convenit.

5. Actus Superiori vicinus est in hoc, quod aliquando Obediens debet addere de suo in obediendo, etsi id Superior non expresserit in imperando. Omnia namq; imperari omninò non possunt, tum quia prævideri nequeunt, tum quia onerosum id Superioribus valdè foret. quin & ipsis subditis; quorum industriæ, fidei, fidelitati, alacritati & pietati, non pauca possunt ac debent permitti, & tanquam haud dubiè à subditis præstanda supponi, ita ut subditus Superiorẽ veluti securum ac certum reddat, exactè id à se factum iri, quod sibi fuerit imperatum; non sicut illud. quicquid infectum voles, huic manda, sed potiùs contra, sufficiat Superiorem dicere subdito: fac sicut me velle nosti. Hoc est enim esse subditum, juxta cor Dei & Superiorum, hoc etiam est facere omnes voluntates Dei. Quando ergo subditi voluntati ac prudentiæ & fidei committitur aliquid, eam exserat, sed ita ut ad placitum Superioris principaliter in omnibus respondeat, ac sicut eum velle noverit, omnia faciat.

6. Actus obedientiæ est, libenter prævenire omnia imperia Superiorum, si modo constet ea secutura, posito quod Superiori res in mentem notitiamq; veniat. Id quod potissimum locum habet in operibus ac materiis abjectioribus & à commodis laudibusq; remotis. Est igitur præclaræ admodum obedientiæ conjicere de Superioris voluntate ac judicio etsi nondum in ullum exterius mandatum & signum prodierit, dummodo nobis in mentem de ejus placito veniat: ad eum modum quo piæ animæ, inspirationibus Divinis extrinsecè tantùm mentem attingentibus, deq; agendo aut committendo hoc, illo, collustrantibus, & commonentibus. Porrò conjicere Superioris mentem non est difficilè. Indicare namq; illam potest, Primò connexio negotij cum negotio. 2. Commoditas explendi eandem, eâdem opera, eodem sumptu, labore, conatu, A opere, tempore. 3. Simile præceptum, in simili objecto, & casu. 4. Generalis quædam usitataq; & de Superioris usu proficisci solita facultas & declaratio ac voluntas & sensus. 5. Exemplum, quo Superiorem constat probasse factam in similibus conjecturam, vel improbasse non factam, optasseque ut facta fuisset. 6 Cum constat Superiorem optare tale aliquid à subditis vel in subditis. Hæc similiaq; satis indicant, incumbere subdito, ad mentem Superioris acB cedat sponte, neq; exigat expectetq; singula præcipi, sed præparationi cordis Superiorũ suorum obediat, eorumq; desiderium impleat, & radices desideriorum exaudiat. Tales subditos habere, unà felicitas est Superiorũ; ac sicut subditos delectat habere superiores, ita in commodum illorum attentos, ut conjectẽt, etiam præveniantq, eorumdesideria, ac postulata. Si hoc in ipso Deo laudat scriptura, quod præparationem cordis nostri audiat & expleat, quidni credamus, etiam Deo gratissimum, si ejus ipsius, Vicariorumque C illius Vota præveniamus. Certè amici, amicorum, sponsi etiam inter se, quin & boni fidelesq, famuli dominorum suorum ita cognoscunt intimè sensa, propensiones, desideriaq; hic & nunc si in mentem res veniret futura, ut ea præcognoscant, præveniant, & præimpleant, cum summa voluptate Dominorum, sponsorum, amicorum, nec non cũ incremento obedientiæ erga obsequiosos hoc modo. Quidni ergo talibus etiam subditis gaudeat Deus sive in ipso se, sive in Vicariis suis, qui scrutentur voluntates eD jus. &c.

7. Actus obedientiæ est, vicinus supraadicto, offerre suam operam Superiori ad aliquid faciendum, etiamsi ille non vocet, nec imperet, nec roget, modò constet velle ac desiderare, esse si menti succurrat. Ita Christus Dominus in Psalmo cum Patre æterno egit: Cum enim cognovisset in creatione sua Christus, quod in Capite libri scriptum esset de se, statim ait, Deus meus volui, &

legem

legem tuam in medio cordis mei posui, Ita & Isaias dicenti Domino: quem mittam, aut quis ibit nobis? mox sese obtulit, dicens: Ecce ego mitte me. Signa porro hujus indagandæ voluntatis majorum, nostræ autē offerendæ, (in laboriosis & abiectis præcipuè non pauca sunt. 1. Si videas superiorem aliquid enixè quærentem, vel de quapiam re solicitum. 2. Si videas Superiorem per sese exequi, quod alioqui per alium deberet curare. 3. Si videas agentem aliquid, sed ob incidentem aliam causam eogi ad petendum ægre quid. 4 Si advertas ignotam Superiori occasionem rem benè agendi, quam ille sine dubio non sineret elabi, si cōpertam haberet. 5. Si ultro inquirat modum, viam, occasionem, aliquid agendi. 6. Si indicet gratum sibi fore, si hoc vel illud fiat, esto nec imperet, nec roget. 7. Si cō-
A mendet vel reprehendat aliquid &c. Hæc & similia satis ostendunt subditis mentem Superioris, illiciuntq; & auxilio sunt, & ut sponte sua ad exequendum se offerant, maximè autem, in vilioribus & laboriosis, nec tamen importuni sint, in sua opera obtrudenda.



CAPVT XV.

De aliis adhuc Perfectionibus, actibus, dotibusq; Obedientiæ Religiosæ.

I. Unt adhuc aliæ perfectiones, dotesq; Obedientiæ excellentes, quæ etsi antea positæ sint ex Regulis Societatis, tamen hic pleniùs, declaratas atq; in suam excellentiam adductas expedit considerare.

1. Actus est obedientiæ perfectæ, agere omnia imperata tanquam propria sua negotia, seu eò modò, quò homines ad rem attēti curare solent sua propria commoda negotiaq;. Sicut enim nemo sibi infidelis esse vult aut solet, in rebus præsertim magni momenti, ita Religiosus, si imperata curat tanquàm sua propria, non potest non esse fidelissimus in agendo.

2. Actus est, omnia imperata peragere, non solum ut propria, sed etiam ut commissa à Deo, Superioris sui Principe. Sicut enim Legatus sui Principis commissa, ita agit, ut in omnibus dignitatem mentemq; Principis conservet, & adæquet, & augeat, esto etiam cum sui suarumq; rerum jactura. Ita Religiosus obedientiæ mandata tanquā Legatus Dei & Superioris aget ex dignitate Dei, impensis etiam suis.

3. Actus est. Ex spiritu vocationis suæ obedire, & juxta normam ejus. Quam ad rem supra spiritus obedientiæ Societatis explicatus est Nunc adverti potest, ex tribus Capitibus spiritum hunc adverti posse. 1.
B Caput est Legislatoris seu Fundatoris, & exemplum & doctrina, & finis atq; scopus ab eo in Religione intentus, institutusque. 2. Caput est. Praxis primitus inducta, receptaq, a Majoribus nostris in Religione. 3. Caput est, Divinum placitum quocunquè modo cognitum & Majoribus probatum. Secundùm hæc tria obedire, & ea obediendo assequi, atq; æquare satis est: altiùs enim nos nulla ratio elevat aut dirigit humana.

C 4. Actus Religiosæ Obedientiæ, discernere inter superioris Auctoritatem quæ Divina est, & fragilitatem, quæ humanitùs adjacet eidem, illi quidem inhærere mordicus, nec de illius veneratione ac amore quidquam ob istam (scilicet infirmitatem diminuere. Itaq; quantumlibet Superior in imperando ac regendo suas imperfectiones, passiones, erroresq, manifestet, hos ta-
D men subditus benignè sustineat, & prout in lege amicitiæ dicitur: Superioris vitia noverit non oderit; neq; ea ex auctoritate Divina, Vicariatuq; superno manare putet, sed ab illo secernat, & semper præsumat,

Supe-

Superiorem optima quæq; velle perfectiora-que intendere, ac imperare, quantumvis ipsemet alia faciat. Quomodo in vitis Patrum, cum laude narratur quidam discipulus irati sui Magistri peracerbis mandatis, hospiti, omnia mollissima retulisse, & tandē internuntium Caritatis inter ambos extitisse. Nimirum verus obedientiæ filius non attendebat, quid exerrans Superior volebat, sed quid velle debebat agebat, sublimemque illam Superioris mentem sagaciter indagabat.

A

5 Actus propter obedientiam, ejusq; amorem, amare etiam malum, etiam odientem, etiam inimicum Superiorem, nec quidquā de obediētiæ cultu remittere. (modo nè manifestè peccatum præceptum sit) Hoc enim pertinet ad providentiam Dei, ne subditus obediens etiam tali Superiori, detrimētum animæ spiritusvè subeat. Esto Superiori sua malitia noceat, esto etiam damnum aliquod temporale, aut corporeum aliquando subditus subeat; in quo tamen subeundo maximum spiritus lucrum magnusq; in virtute profectus à Deo accipitur. Sicut enim Sacramēta ab indigno sacerdote administrata prosunt recipienti ritè disposito, non efficiente Ministri nequitia, ita imperium ab improba licet Superioris mente proficiscens, obedienti ritè ac debitè, proficit in bonum, non obstante Superioris malitia vel odio. Nimirum hic etiam potest usurpare subditus. Tu cogitasti de me malum, Deus autē illud vertit in bonum.

B

6. Actus obedientiæ est, non obsistere tātùm difficultatibus obnitentibus, sed etiam ipsas ultro difficultates animosè in obedientiæ gratia confidendo aggredi, constanterq; pervincere, ac sese obedientiæ non impēdere tantùm, sed etiam superimpendere, totā & certa fiducia innitendo auxiliatrici providentiæ Dei ad cooperandum obedientibus semper intensæ, ita pro eorum fiduciæ resolutionisq; mensura, suam quoq; efficacissimam, immo sæpissimè miraculosam cooperationē exhibere non dubitet. Qui sic obedire noscitur, is est Superioribus, locus refugij, & portus voluntatis eorum, & Divini cordis solatium, atq; voluntatis ejus requies, est providentiæ Divinæ theatrum. In eum enim & Deus, & Dei vicarii, omnia securè conjiciunt, quantumlibet sint ardua, vel abjecta, vel vulgo metuenda, vel neglecta, certi facturum omnia secundùm cor Dei, factur um fideliter ne jota quidem, nec pūcto, nec apice neglecto, nec momenti mora deniq; sine tristitia vel gemitu, sed cum gaudio.

C

7. Actus est, Humilia, minima, abjecta, & ab aliis vel horrori, negligi solita, non solùm demandentur subire, sed etiamsi non demādentur, immo ut demandentur, ultro ambire, & tanquam spicas, messorum manibus decidentes, colligere, & præ illis, omnia speciosa, honorataq; negligere & defugere & deprecari cum modestia, atq; verecundia, cedendo ea aliis potiùs quibuslibet, sibi verò extrema quæq; & odiosa apud obedientiam exambire, tanquam sua, tanquam sibi propria debita & maximè congrua.

D

8. Actus obedientiæ est talenta, dona, seu naturæ seu Gratiæ recondere ab oculis aliorum, nec ea nisi necessitate obedientiæ caritatisq; propalare, idque ea moderatione ut mensuram necessitatis non excedat, ne vanitas obrepat, nevè quis existimet nos supra id quod verè sumus. Verus igitur obediens communiter quidem & inordinaria sua vita sperabit nihil præter sui contemptū, neglectum, pauperiem bonorum, insufficientiam, & ineptitudinem ad magna & speciosa, tractationem verò abjectorum & vilium munerum, tāquam sibi connaturalem: vix autem revelabit ea quæ intrinsecus latēt, vix loquetur Sapientiam inter perfectos, urgente, simulq; limites ponente necessitate jam dicta obedientiæ caritatisve.

9. Actus est simplicissima quadam mentis mansuetudine tractabilitateq; ad omnes esse: ita ut obediens vulgò fit ad omnium mentem factus, omnium vulgò subsidium, supplemētumq; omnium penè servus & mācipium, non Superiorum tantùm: sed prorsus omnium, etiam inferiorum: ita ut nemo vereatur accedere, nemo repelli accedens.

10 Actus obediētiæ est gratitudinem cordialem Superioribus exhibere semperq; servare, etiam tunc, quando jam Superiores esse desierunt, verè tanquam magnis benefactoribus, Divinarumq; in se gratiarum canalibus, & aquæductibus, tanquam interpretibus voluntatis ac sapientiæ Divinæ, tanquā Ducibus certissimis ad salutem ad profectū, ad gratiam ad gloriam Dei, tanquam protectoribus & Patronis, Tutoribus, ac Parentibus, asylisq; & refugiis & oraculis certissimis tutissimisq;, tanquā, verbo dicam, Diis.

11. Actus obedientiæ est, eam tantùm noti-

notitiam ſuperiorum ſuorum curare, ut ab eis ſubditus eſſe ſciatur; nihil aliud gratiæ, opi nionis, venerationis, reputationis apud eos habere ſtudendo. Ambitioſi hoc enim eſt vanitatiq; vicinum, evacuans non rarò vim obedientiæ & detorquens intentionis ad Deum rectitudinem mercedemq; æternã abolens, vanam & temporalem obtrudens. Vero & perfecto obedienti ſufficiet, ſe Superiori eatenus ſolùm notum eſſe, ut is imperare ſe poſſe ſciat ſubdito, & velit, libenterque faciat, benevolentias autem maiorũ, nec captat, nec reputat. nec in eis confidit, neq; jactat. Neq; tamen aſperum ſe mai oribus objicit, nec metuendum facit Sic enim à ſe non benevolentiam tantùm, ſed imperandi animum abſterreret, quis enim ſpinas libenter tractet, aut malum benè poſitum moveat. Curat ergo verus obediens hoc unum, ut ſuperior non tantùm audeat, imperare quælibet, non metuendo repulſam, excuſationem, querelam, triſtitiam, tarditatem, ſed etiam ſperando, immo ſciendo adſuturam in obediente, ad omnia alacritatem, fidelitatemquè.

12 Actus obedientiæ eſt, ſecurè & gaudenter conquieſcere, in virtute, operibus, ſtatutiſq; obedientiæ, de nulla ejus ordinatione, (in qua manifeſta non ſit culpa) triſtando aut formidando, ſed illi in omnibus tanquam Divino oraculo, tanquam obligatæ ſapientiæ, potentiæ, prudentiæq, Dei fiducialiter firmiterque incumbendo. Ex quo naſcetur in mente, pax quieſq, ſecuriſſima, ac demum conſequetur ſerenitas animi & gaudium mentis inconcuſſum: eò, quod in ſe obedientiæ cultor agnoſcat, omne quod eſt honoris, gloriæ, virtutiſq, Dei, & quod eſt eius ſpiritus, hoc pacto ſuper ſe requieſcere, in virtute, Deumq, veluti aliorum oblitum, circa ſe gubernandum ſolùm occupari. Hoc enim qui attendit, non poteſt non plenus eſſe, non ſuperabundare gaudio, & conſolatione ſpirituali.

13. Mos obedientiæ eſt. Ad ea quæ imperanda, vel imperata ſunt à majoribus, omnem intellectus ſui prudentiã, & voluntatis notam affectionem cõvertere. ita omnia A ordinentur, diſponanturq; quàm commodiſſimè, in executionemq; veniant, quàm fieri poſſit efficaciſſimè. Sic enim fiet, ut imperiis ritè diſpoſitis tranquillê fiant omnia, ſtrepitu, quereliſq, careant, omnia ſuo tempore, loco, modo, peragantur: numerus moleſq; mandatorum, non perturbet: media peragendorum ſemper ſint parata quia præviſa: obſtacula item non gravent, quia præmeditatione, vel ſubmota, vel leviora reddita; nihil agatur temerè, nihil etiam oſcitan- B ter, nihil turbulentè, confuſè nihil.

14. Obedientiæ mos eſt, nihil imperatarum à majoribus rerum, relinquere inceptũ tantùm, non autem perfectum, ſed omnia Obedientiæ ſacrificia ita complere, ita ut in eis nec cauda, nec ungula, nec pilus deſit. Obedientia enim ſi plena eſt, uti eſſe debet, perficit omnia, ad finem deducendo partes omnes operis injuncti explendo, partium etiam minutos quamvis ornatus operi adhi- C bendo, ut nihil omninò deſit obedientiæ, non finis, non pars, non partibus, non toti corpori ornatus ſuumq; congruum decus. Nam ni hæc obedientiæ plenitudo integritaſq: perfectionis adſit, frivola eſt perfunctoriaq; obedientia, damnum temporis faciens impoſtoriè Superioribus alludens, mercedé apud Deum evacuans gratiam Dei in vanum ponens malum infidelemq; operarium arguens, ac demum ex holocauſto Dei ruinam faciens.



CAPVT XVI.

De malitia, damnis ac pœnis, inobedientiæ.



MAlitia cognosci potest inobedientiæ, ex natura illius, ex damnis, & ex pœnis. Posteriora duo, in sequentibus punctis expendes, in hoc natura inobedientiæ expēdenda proponitur, quia hæc est fons & causa damnorũ atq; pœnarum. Natura ergo inobediētiæ, in hoc suam malitiam manifestat, quia per inobedientiam violatur omne jus quo debetur Deo obedientia, atq; subjectio. Sicut enim per obedientiam omne jus servatur Deo ab homine & à quavis creatura: ita per inobedientiam omne jus violatur. Est autem non unum jus quo Deo debetur subjectio atq; obedientia, sed præcipuum illud, quia Deus est absolutus ex nihilo, gratuitusque Creator & Conditor hominis, consequenterq; absolutus ejus Dominus, Possessor, herus, ex quo jure, manant alia jura, ut conservationis, gubernationis, beneficentiæ, dilectionis, eminentiæ, seu dignitatis, potestatis &c. Inobediens igitur, & hæc omnia, & illud inprimis ius violat primum, & quantum in illo est. Deo illud eripit, sibi arrogat, seq, suum facit: Dei se esse, subdivé debere negat, non subdi autem, factoq; opereque, ipso ostendit. Quòd cum suo ambitu complectatur immo & transgrediatur omné malitiam, manifesta evadit ex hoc natura malitiosa omnis inobedientiæ.

Eandem autem adhuc demonstrat illud, quòd inobedientia, non tantùm infringat jus Dei & violat, sed etiam quòd per summã malignitatem, jus nullo modo sibi competens arroget. Etenim cum homo sit, naturâ tam servus, mancipium ac jumentum Dei, quàm est natura totus à Deo ex nihilo conditus, perpetuoq; in hoc esse à Deo actualiter dependet & conservatur. Inobediens tamen naturam hanc essentiamq, suam (quæ est esse à Deo, ac subdi Deo) omnem evertit ac rescindit, seq; contra suam naturam & Essentiam non servum, sed tanquam onager, liberum se natura putat. Excusso igitur, quantum in se est, jugo naturalis ac essenti- A alis servitutis, se liberum à Deo, independentem ab ipsius Dominio, potestati ejus non subjectum, suum se, absolutumq, à subjectione facit, & ex eo consequenti, se facit quasi à se, facit se Deum, suiq; Dominum facit se alium Deum, facit Deum non Deum. Deus enim, non est Deus, si præter eum est aliquid Deus, vel si præter Deum, est aliquid ipsi non subditum, nec subdi obligatum.

Et hæc est radix, ex qua pullulat, quod in- B obediens sit seditiosus, sit rebellis Deo, æmulus & hostis Dei, & AntiDeus.

Ex eadem radice pullulat, quod Anti-Deus, sit Idololatra, sit Ariolus, sit Idolum, ut meritò dixerit ad Saulem inobedientem Samuel. Quoniam quasi peccatum Ariolandi est repugnare, & quasi scelus Idololatriæ nō obedire, nolleq; acquiescere. Ex eadem radice pullulat, ut inobediens, quantum in i- C pso est, sit Deicida & homicida, seu potius naturæcida: Interficit enim Deum, quem non vult esse Deum, interficit hominem, si se ipsum, quem non vult esse hominem, id est naturâ Dei servum, sed facit se liberum à Dei jugo, consequenter Deum, ac per hoc Idolum & nihil: Scimus enim, quia Idolũ nihil est in mundo, ac tandem facit se occisorem naturæ omnis. Sublato enim Deo, necesse est tolli naturam omnem, sicut subla- D ta causa necesse est tolli effectum. Ex eadem radice pullulat, inobedientiam, majus esse scelus quàm fuerit Christicidium. In morte enim Christo illata, tantum est destructa humanitas Divinitati unita, Deitate tamen illæsâ sed inobedientia Deum ipsum in substãtia essentiaq; petit, & enecat quantum in ipsa est. Impossibile enim est Deo extorquere absolutum Dominium super omnia, nisi extorque-

torqueatur simul & ipsa Divinitas, atq; essentia.

Atq; hæc, nisi fallor, satis superq; malitiam inobedientiæ declarant. Quæ malitia reperitur non tantùm tunc, quando in valde magnis præceptis graviterq; imperatis rebus committitur, sed etiam quando in minutis; de quorum genere, videri, nostro sensu posset præceptum, de non edendo fructu scientiæ boni & mali, quod habuit Adam & Eva. Præterea hæc malitia reperitur, non solùm quando quis inobediens est Deo, immediatè per se imperanti, sed etiam quando non fit obedientia ejus vicariis per quos ille mediatè imperat: quod ostendunt omnes inobedientiæ in mundo factæ. vix enim aliquis fuit inobediens imperanti per se se Deo, sed semper per interpositam personam, sive Angelicam, sive humanam, ita ut vix exstet obedientiæ immediatæ ad Deum, sed tantùm mediatæ exemplum. Ex quorum exemplorum malitiis & calamitatibus cognoscimus malitiam inobedientiæ, si quæ fieret immediatè ipsi Deo. Habes ergo unde exhorrescas inobedientiam: omnibus & singulis Superioribus summis æquè ac infimis, in magnis ac minimis materiis.

Hanc malitiam inobedientiæ auget cumulatq; inobedientia Religiosa duobus minimũ ex capitibus. 1. Ratione Voti Obedientiæ Deo facti. 2. Ratione pacti cum Deo initi per Votum statumq; obedientiæ. Sicut enim Obedientia Religiosa accipit maximam dignitatem coram Deo, maximamq; utilitatem ex Voto & pacto: quorum illud Deo fit, totusq; homo in holocaustum immolatur, istud autem cùm Deo fit, Deusq; homini obligat se se ad regendum illum in omnibus, homo autem ad obediendum in iisdem, ita vicissim inobedientia summam malitiam summamq; irreverentiam contrahit, ex violatione Voti, & rapina, non partis, sed totius holocausti, ratione cujus Capitis inobedientiæ est sacrilegium, & ex violatione pacti cum Deo initi, votoq; firmati, quod per inobedientiam rescinditur, & perfidè cum Deo agitur, contemnitur tota providentia Dei, eiusq; curæ contemptibiliter ac malitiosè renuntiatur; ita ut meritò indignans & & irritatus dicat hujusmodi Religioso Deus: confregisti jugum, rupisti vincula mea, dixisti non serviam.

Damna inobedientiæ infinita sunt, tam numero, quam mole, quàm tempore, ut nihil aliud nos hac de re certos reddat, peccatum inobedientiæ Adami in paradiso ad certificãdum de omnibus sufficit. Quot enim? quanta? & quo tempore? intulit, infert, inferet, ad judicii diem, immo in omnem æternitatem humano generi universo, una illa infelix transgressio & inobedientia? sed paucula de pluribus expendenda veniunt.

A 1 Damnum est amicitiæ cum Deo unionisq; cum ipso & gratiæ apud ipsum, pro qua succedit

2. Damnum, positiva & mutua hostilitas, professum indictumq; bellum ac duellũ. Ex professo enim inobediens resistit Deo ejusq; leges & voluntates, ac sapientiæ decreta oppugnat & impugnat. Vicissimq; Deus inobedienti repugnat, ejusq; in omnibus est adversarius, ita ut non tantùm deserat in omnibus inobedientem, sed etiam hostiliter oderit, persequaturq; tanquam professum

B hostem.

3. Damnum, privatio protectionis Divinæ, & traditio in potestatem regimenq; Diaboli. Etenim quia inobediens, repulso Deo, se ipsum Ducem sibi statuit, & Principem, desertus ille à Deo, occupatur à Diabolo, & ea pravitate ab illo impletur, ut etiam oculis corporeis videri possit. Inobedientes parum à furiosis, arreptitiis, obsessisq; differre, ob spiritus rapidi turbulentiam modumq; agendi & loquendi amarulentum & perturbatum, quod est signum tam obses-

C sionis à Diabolo, quàm derelictionis à Deo internæ.

4. Damnum accedit maledictionis Divinæ, quæ non tantùm in imprecatione mali consistit, ut fit cum homo homini maledicit sed etiam in illatione illius efficaci.

5. Est damnum pacis, incursus autem inquietudinis, immo prædamnationis cujusdam. Inobedientes enim quodãmodo prædamnari videntur in hac vita: ita sunt deserti à Deo, eiusq; providentia, & pace, & benignitate, pleni autem in dies maiori ra-

D bie, rancore, obstinatione, amaritudine, desperatis propria resolutionum spiratione, & conceptione, ex qua fit, ut ab omnibus cohabitationibus in domo, & præcipuè majoribus sint infesti, & planè hostes, murmuratores, scandalosi, graves, contagiosi lupis ferocibus aut arreptitiis non absimiles.

6. Damnum est æternæ temporalisq; pœnæ ac damnationis, apostasiæ à Deo, à virtute, à statu, à Religione, ad quæ omnia, inobedien-

bedientiæ scelus ostium est, Expende hæc damna diligenter & malis potiùs in specie & alieno periculo illa ediscere atq; abhorrere, quàm in proprio experimento cognoscere, Roga Deum diligenter, ut te ab omni specie inobedientiæ conservet, neq; te animo irreverenti & infrunito tradat, sed mansuetum, mitem, & humilem corde, tractabilemq; animo per omnia faciat.

A Pœnam inobedientiæ, quas in Exemplis super inobedientes, à Dei severissima Iustitia editis optimè cognosces.

Primum sit Exemplum Adami & Evæ quod præ omnibus exemplis esse potest & debet

2. Exemplum Dathan, Core, & Abrion, quos ob inobediētiam Moysi & Aaroni præstitam, cum omni substantia & familia eorū terra vivos absorbuit, descenderuntq; in infernum vivi.

3. Exemplum sit Saulis Regis Israel, quem propter inobedientiam, abiecit Deus, & à Regno & gratia sua in æternum.

4. Prophetæ Domini: quem cum alius falsus Prophetes quasi in nomine Domini induxisset ad comedendum in loco, in quo Deus sumere illum cibum prohibuerat, à leone in via interfectus est, asello illius quo vehebatur illæso, immo per leonem custodito & servato, ut pateret hominem inobedientem furori leonis objectum, iumentum autem obedientiæ assuetum eidem negatum

5. Sed nullum exemplum severioris pœnæ in inobedientiam exercitæ habemus, quam quod in Christo Domino edidit Pater æternus, quem propter scelus inobedientiæ nostræ percussit & occidit. Itaq; tota Christi Passio, vita & mors, & Crux pœna fuit inobedientiæ nostræ, eiusq; simul expiatio & abolitio, Si ergo Deus Pater in Filio suo inobedientiam nostram non sæva morte puniri, perq; eius, usq; ad mortem Crucis, exhibitam sibi obedientiam, pro illa sibi satis fieri voluit, quid te miserrimum homuncionem severitatis Divinæ exspectabit, si inobediens fueris, si inquam, in statu & Voto, & vita S. obediētiæ a Deo plantatus, enutritus, obedientiæ per omnia perfectæ sectator non fueris. B



CAPVT XVII.

De S. Patris Nostri Ignatii sensu, quem ille testatum Societati voluit, quid ejus animo de Obedientia sederet.



Quæ subjiciuntur verbis S. Patris, Ribadeneira, Testamentum S. Patris nuncupabat, cùm sæpè illa Sociis proponeret.

1. In Religionis ingressu, vel postquam ingressus sum, debeo omnino & in omnes partes, coram Deo Domino meo, coramq; Præside meo resignatus esse. Est autem Resignatio Religiosis viris, certa & liberalis voluntas, qua inferiores omninò permittunt se se atq; tradunt potestati arbitrioq; Regentium.

2. Debeo optare, ut ab eo Præside regar & ducar, qui ad judicii mei & intelligentiæ meæ abnegationem intentus sit.

3. Debeo cunctis in rebus unde peccatū absit, voluntatem ejusdem Præsidis & non meam sequi.

C 4. Triplex est Obediēdi modus. 1. Cū ex virtute obedientiæ jubeor, & bonus est. 2. Cum proponitur solùm, ut id vel illud agam, hoc est, cum ita parata est ad obtemperandū voluntas: ut non exspectet præceptum, isque est melior. 3. Cum quid efficio ex aliquo tantùm signo cognita voluntate præsidis, quamvis nec jubeat, nec proponat, isq; est longè

longè optimus, nempè qui obediendi alacritate, nec imperii summi necessitatem, nec mandati denuntiationem exspectat.

5. Nullam debeo rationem habere, num qui mihi præest, maximus sit an mediocris, ac minimus, verum omnis mea devotio Obediētiæ esse debet, propterea quòd locum Dei teneat, nam ea distinctio vim obedientiæ perdit.

6. Cùm opinioni ac Iudicio meo, id quod Præses mihi injungit contra conscientiam meam aut peccatum videtur esse, & Præsidi contrà videtur debeo ei credere, ubi clara ratio non repugnat. Quodsi id à me nequeo impetrare, certè debeo, meo judicio, meaq; sententiâ abdicatâ, rem permittere judicio ac deliberationi alterius, aut duorum, aut trium. Huc verò nisi perveniam, longè sum à perfectione & partibus iis, quæ in homine re ipsa Religioso desiderantur.

7. Debeo non esse meus, sed ejus qui me creavit, & ejus qui locum illius teneat. Ut quemadmodum pillula ceræ, duci se sinit, ita ego me tractari duciq; sinam, vel in scribendis recipiendisq; literis, vel in alloquendis hominibus, his aut illis, devotionem meam omnem, in eo, quod mandatur mihi reponens.

8. Debeo habere me perinde ut cadaver, cui nec voluntas, nec intelligentia subest, deinde ut parvula effigies Crucifixi, quæ sine ulla difficultate, verti se, quamq; in partē sinit. Postremo debeo me fingere, quasi baculum in manu senis, quem uti voluerit, & ubi ei commodum sit, ponat. Ita ego debeo paratus esse, ut Religioni usui sim & obsequar quamcunq; mihi rem mandarit.

9. Nec petere nec rogare ex moderatore meo debeo, ut me in hæc vel illa loca mittat, ut me huic vel illi præficiat muneri, verum cognitiones meas aut voluntates proponere, propositasq; humi abjicere, potestate omni, atq; integra demandandi potestate relicta moderatori, ut quod censuerit ille quodq; mandaverit, pro optimo judicem atquè habeam.

A 10. Licuit tamen in levibus ac bonis rebus veniam petere, ut sacras stationes obeundi, aut aliquid beneficii petendi, & quæ similia sunt, animo ita comparato, ut quod concessum negatumq; fuerit, id præstare, ac melius esse censeatur.

Iem in paupertate nihil habens ducensq; meum, debeo proponere animo, in omnibus quæ ad usum mihi conceduntur, esse me vestitum atq; ornatum non secus ac statuam quampiam, quæ quandocunq; & quacunq; de causa suus ei amictus detrahatur, nullo modo reluctatur.

B

Hæc sunt S. Patris nostri Ignatij effata, & veluti ultimæ voluntatis verba, quæ de obedientia Societati suæ relicta & testata esse voluit. Quæ cum dictus P. Ribadeneira, variis in locis Societati, cui Commissarius præerat proponeret, ingenti omnes alacritate atq; adeò veneratione, ut sacras quasdam Beati Patris reliquias amplexi, tametsi currebant, tamen haud parum ad incitandum gradum, & conatûs & hilaritatis addidêre. Hæc & tu profunda cogitatione penetrans ac animum demittens, dispice, quàm longè sis ab hac obedientiæ perfectione, & ab hoc Spiritu S. Patris tui, ab hocq; sensu de Obedientia.

C



CONSIDERATIONES DE RELIGIOSO MANCIPIO.

In sequentibus Considerationibus proponitur & exponitur, quô spiritû præditum esse oporteat omnem Religiosum in Religione suâ: idq; sub servi ac mancipij typo. Abjectum nomen. sed non ei qui elegit abjectus esse in domo Domini: huic enim abjectio ista tam honor est, quàm honor abjectio. Deniq; mancipium hoc, quod hîc vel docetur, vel suadetur, amoris est. sub quo Domino, sicut est Tyrannis summa, ita & servis libertas maxima. Cui hæc incredibilia sunt. Faciat experimentum, & plusquam credenda cognoscet.

CONSIDERATIO I.

Religiosus est Religionis mancipium, quia est Dei per Religionem mancipium.



I. Omnis creatura est Mancipium Dei, quia illi totaliter subjecta est, cum tota ab eo, & ejus sit. Peculiari tamẽ ratione creatura rationalis est ejus mancipium, & quidem ex multiplici capite. 1. Ex eo quia illam ad serviendum sibi proprio jure condidit. aliæ enim creaturæ non tam dici debent Deo servire (neq; enim se in hoc servitium ipsæ agunt) quam potiùs Deus illis servire, quia eas in servitium suum agit. 2. Ex eo quia creaturam rationalem Deus noluit sibi coactam servire sed liberè, ideoq; liberam fecit: in quo vel maximè Deo servit, quia libertate suâ illi servire debet. Neque enim creatura libera, ideò libertatem habet, ut possit Deo non servire, sed ideo ut possit servire, possit inquam volens, & libens ita teneatut libertatem suam servam facere Dei, ut non possit eam avertere à Deo, nisi velit perire, perdi à Deo. quo fit ut ipsa creaturæ rationalis libertas, sit serva, & per ipsam libertatem efficiatur mancipium. Peculiari tamen ratione magis Christiani sunt mancipia Dei, tum quia redempti sunt à servitute peccati & diaboli, factiq; sunt liberi quidem à peccato, sed servi & mancipia justitiæ, tum quia spontanea Christianæ legis professione facti sunt Christi vera mancipia. Super omnia verò prædicta magis peculiari ratione Religiosi sunt Dei mancipia, quia non tan- A

tùm sunt creaturæ, non tantùm ratione & libertate Deo subditi, non tantùm ratione redeptionis & Christianæ professionis quam sunt amplexi, sed insuper quia nova speciali que ratione in Dei servitium & obsequium obligati devinctiq;, nec solum ad obsequiũ servitiumq; obligati, sed etiam ad promptũ & expeditum obsequium, & quidem perfectum ac æternum accincti, excubantes, parati, ac devoti. Et neq; solùm (quòd sufficit abunde ad rationem & obligationem mancipij) sed insuper consecrati obligati, ac in holocaustum sacrificiumq; Deo conversi, quod est omni etiam servitutis & mancipii ratione maius atq; amplius.

Est igitur Religiosus mancipium Dei per supradicta quidem omnia, sed singulari quodammodo propter Religiosæ perfectionis conditionem.

2. Propter ea ipsa, Religiosus est simul ac indubitatè mancipium Religionis seu Religiosi statûs. Quia enim per illam in Dei obsequium, addictionem, devotionem, conservationem, modo expositam Religiosus, homo efficitur singulari ratione & plenissimo, securissimoq, ac inviolabili iure mancipium Dei, hæc autem addictio, devotio, conservatio, est ipsa Religio & status Religiosus, inde fit ut Religiosa persona per hoc, per quod efficitur Dei mancipium, per religiosum statum, fit inquam ut efficiatur etiam mancipium Religiosi statûs seu Religionis.

3. Quod ex eo patet luculentiùs. Nam duo sunt statuum vitæ humanæ genera in Ecclesiâ, unum ejusmodi ex quo homo eliberare se potest, aut liberari sua vel alienâ potestate, quomodo ex militari statu potest. quis in Ecclesiasticum transire, vel ab Ecclesiastico ad Regularem; aliud, ex quo homo eliberari nullatenus potest neq, ad alium statum transire, quomodo ex statu matrimonij ad solutum transiri non potest. Quia quæ Deus conjunxit, homo non separat, à Sacerdotii statu ad Laicum: primi generis vivendi statum si quis complectitur, is sui statûs mancipium nequaquam efficitur, sed in eo volens tantùm ex sponte suâ perseverat. At verò si quis secundi generis statum vitæ ineat, is status sui ita servus atq, mancipium efficitur ac si compedes & vincula induisset. Et ex hoc secundo genere statuum est status Religiosus, idq, non ex uno capite, in eo namq; homo, & desponsatur verè Deo, contrahitq; quoddam verum spirituale matrimonium cum Deo animarum sponso, &, insuper efficitur sacrificium atq, holocaustũ perfectum & verum Deo, immolatione voluntaria atq, spontaneâ quidem, tali tamen quæ hominem post Vota ex sui ipsius dominio eximit, & totum juris Divini facit, &
A deniq; per hunc ipsum statum, verè civiliter moritur, & mortui instar incapax omnis sæcularis non tantùm vitæ, sed etiam curæ & successionis, & hæreditatis, & possessionis efficitur planè, ac si realiter ac Physicâ seu naturali morte mortuus esset: ea propter homo istum statum complectens, ejusdem verum absolutumq; mancipium & servus efficitur, & quidem ita irrevocabiliter, ut ab hoc statu eliberari nunquam possit.

B 4. Inde manifestum apparet, quod Religiosus homo, & fiat mancipium Dei per hoc quòd fiat Religiosus, se seq; statui Religionis subdat, & contrà fiat mancipium Religionis ac Religiosi status per hoc, quod se mancipium Dei per statum Religionis faciat: subiens siquidem hoc modo hunc statum, trãsfert se de statu vulgari & liberi servitij Divini in peculiarem, nobilem, & necessarium, ac æternitate Votorum firmatum, quod est
C fieri & mancipium Dei & ingredi statum Religiosum: & rursum vice versa subiens prædicto jam modo Religiosum statum subit quendam statum æternum, & efficitur eius totaliter quantus quãtus est, fitq, per consequens eius mancipium, ita ut sicut deserere iam non potest Dei servitium, sic neque Religiosum statum: & si deserat statum, hoc ipso censeatur deseruisse Deum & Dei obsequium atq; servitium.

5. Ex dictis iam expende, 1. quot nomini-
D bus sis mancipium Dei. 2. Quo nomine sis præcipuè mancipium Dei, nempè nomine Religiosi status. 3. Quantô nomine sis etiam mancipium Religionis tuæ, nempe eodem ipso nomine Religiosi tui statûs & conditionis. 4 Vide quale sis mancipium Dei, quale Religionis, quale inquam, quàm utile, quàm subditum, quàm moderatum, quàm compendiosum atq; si non es, cura ut sis in posterum omni meliori modo.

CON-

CONSIDERATIO II.

Religiosus Religionis suæ mancipium est. quia in Religione natus, & Religionis filius est.

I. Constat mancipia nativitate fieri: natus est aliquis ex mancipio, & ipse fit mancipium, partus enim sequitur matrem.

2. Constat etiam filios esse parentum mancipia & servos: unde filii tenentur ad omnia obsequia parentibus adesse: & possunt à parentibus vendi in servitutem propter suã necessitatem. Suntq; parentes filiorum Domini ac Reges.

3. Constat eos qui in aliquâ patriâ nascuntur & educantur ac manent, esse quodammodo jure servos & mancipia illius patriæ, Patria enim ideo dicitur, quòd patris & matris ius habeat & exerceat in eos, quorum patria est. Si ergo Pater vel Mater sunt Domini filiorum suorum, etiam patria erit similiter. Imò majori iure: tenetur enim filii propter patriæ bonum, negligere bonum patris & matris, & suum proprium: ex quo patet majus esse ius Patriæ quàm parentum in filios, patet etiam filios magis esse mancipia patriæ quàm parentum.

4. Religio est nostra Mater, ab illâ enim & in illâ gignimur, parturimur, nascimur, educamur, formamur. Cum igitur illa sit mater, nos sumus filij, quod si filii, sumus etiam mancipia: & Religio habet jus Dominii & Regni in nos. Nos verò sumus illi subiecti per omnia, ad omne obsequium, perinde ac verissimi & geniti filij.

5. Religio est nostra patria, in quâ nascimur, & educamur, & habitamus, cuius legibus vivimus, cuius cura gubernamur, cuius industria protegimur. Igitur Religio tanquam patria, tanquam respublica nostra, eodem jure nos possidet, & nos illi subsu-
A mus, quo Cives possidentur à suâ Civitate & patriâ.

6. Iam considera, quomodo filij parentibus, cives patriæ, conjuncti devinctiq; sint: ut & tu ita Religioni Matri & Patriæ tuæ sis devinctus. v. g. servitutem, obsequium, reverentiam, pietatem debet filius matri, civis patriæ, & tu similiter debes Religioni.

Conditionem & fortunam matris ac pa-
B triæ subsequitur filius & Civis, & tu Religionis tueri debes. Pro parentum & patriæ bono tenetur filius & civis, suam etiam vitam exponere, suas vires, suas opes, suam famam, sua omnia, & tu similiter In omnia filii & civis sui bona, habet parens & patria jus altum, tua similiter Patria atque parens habet tale ius, in te & opera tua.

7. Vide an ita tu affectus sis erga tuam i-
C stam Matrem & Patriam Religionem sanctam, quod quidem facilè poteris assequi, ex operibus tuis, ex sermonibus tuis, ex zelo tuo pro bono, integritate, pro profectu Religionis tuæ. Dole quòd non sis. Cura ut sis, & occasiones dispice ejus affectus exercendi.



CONSIDERATIO III.

Societatis Iesu Religiosus est mancipium Religionis Societatis IESU. quia est de Societate IESU.



I. IESUS fuit mancipium: & ad hoc factus est IESUS seu Deus homo ut esset mancipiũ, & per hoc ostendit se esse Iesum, quia fecit & gessit se ut mancipium. Quicquid in IESU est, totum fuit ad mancipii conditionem factum: sive nativitatem ejus, sive viam ejus, sive mortem ejus aspicias, totum mancipiũ est. In Scripturis Sanctis aliquando vocatur servus, aliquando formam servi accepisse dicitur, aliquando mandatum sibi datum exponit, aliquando cibum suum vocat voluntatem Patris, aliquando jumentum vocatur Dei, aliquando colonus & agricola dicitur. Aliquando & vocatur Agnus, aliquando victima, sacrificium, holocaustum, quæ omnia plus quàm etiam mancipii statum in Christo ostendunt. Sed omissis aliis: mancipii statũ Christus clarissimè expressit, dicens apud Prophetam: In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei: agnoscit enim hic Christus se ex instanti conceptionis suæ factum mancipium Divinæ voluntatis ac dominii, acceptasseq; hanc conditionem animo lubentissimo, & in meditullio amoris cordisq; sui eam collocasse, proinde statim giganteo passu accingi ad currendam hanc viam, & ire ut ministret, non ut ei ministretur. Est ergo IESUS mancipium, & tota vita eius, est vita mancipij.

2. Qualis vita, qualis conditio IESU, talis & conditio servorum, sociorumq; IESU, esse necessariò debet. non enim est servus major Domino suo, nec potest non esse mãcipium, quisquis servit mancipio aut ergo de servis & sociis IESU non es, quisquis es, aut certè mancipii conditionem unà cum servitute ac Societate IESU induisti, & assũpsisti: ac proinde hoc ipso mancipium es, quòd de Societate IESU es.

3. Sed cuius mancipium es, quisquis de Societate IESU es? primò quidem mancipium Dei, deinde mancipium IESU, postremo mancipium Societatis IESV es, quia enim Societas IESV (quæ est Mater tua) est mancipium Dei ac IESU: ideò & tu hoc i-
A pso, quòd huius Societatis filius es, mancipium Dei ac IESU es: filius namq; conditionem sequitur suæ Matris. Iam quia filius est naturale mancipium matris, ideò & tu es cõ naturale mancipium Societatis, siquidem es filius Societatis. Accedit, quod cum IESUS sit mancipium, ejusq, omnis Societas sit quoq; mancipium, inde fit, ut quisquis se se IESU Societati adjungit, mancipio se se ad-
B jungat, mancipiumq; se se, sicut illa est, faciat. Et quia quisquis se Societati adjungit, ideò se se adiungit, ut Societati adjunctus, IESũ socius fiat, Iesuq; hac & cum hac societate serviat, quæ adiunctio nec potest, nec debet aliter fieri, nisi per hoc ut se societati perpetuò tanquam membrum corpori, tanquam filius matri, tanquam surculus arbori, tanquam servus Domino, ipsi quoq; sub potestate constituto adiungat & subdat, & in-
C terserat, ita ut ab ea se se abiungere nullatenus possit, sed illi æternum obligatus & illigatus esse cogatur, inde fit, ut servum se Societatis faciat, & eius mancipiũ voluntariũ quidem, & ex voluntate votis formatâ, necessarium æternumque reddat. Atq; ita quisquis de Societate est, hoc ipsô, quod de illa est, mancipium illius est, per hoc porrò quod mancipium Societatis est, mancipium etiam IESU est. sicq; miro & amabili modo
D fit, ut per hoc, quòd quis efficitur socius ac mancipium IESU, fiat mancipium Societatis IESU, & viceversa per hoc, quod quis efficiatur mancipium Societatis IESU, fiat simul mancipium IESU. ideò namq; fit mãcipium Societatis IESU, ut fiat mancipium IESU, & fiat mancipium Dei cum IESU, & cum tota Societate IESU.

4. Vide iam ô quisquis de Societate IESU es,

es,

es, quàm nobilem conditionem cum hac Societate induisti? per hoc enim factus es particeps conditionis atq; dignitatis IESU Christi. Nihil enim est in IESU Christo digniùs, nihil honestiùs, nihil admirabiliùs, nihil ad salutem, & libertatem, ad meritum ad exemplum nostrum singularius atq; efficaciùs est, quàm quòd mancipium factus, & ut mancipium natus vixit, passus atq; mortuus pro nobis est. Quid mihi digniùs osten des in IESU, quàm quod pro me etiam indigno, omnia factus, natus, passus est? certè quicquid aliud ab his ostenderis, inferiùs his esse cognoscitur. Ibi IESUS mihi dignior, ibi æstimabilior, ibi amabilior, ibi pretiosior, ubi pro me vilior esse dignatus est. Ibi illum plurimùm æstimo, ubi pro me plurimùm contemptus est. Inde illum plurimũ amare debeo, ubi ille etiam odio haberi, & pati, & mori pro me dignatus est. Tanto enim ab hominibus digniùs honorandus est Deus, (ait Gregorius) quantò pro hominibus etiam indigna suscepit. Nam quid magnum egisset pro me Deus, si se Monarcham mundi gloria & honore coronatum, omni cælorum splendore circumdatum ostédisset? hæc si fecisset, fecisset ea quæ illi millies debebantur, & non tam ad me salvandum venisse, quàm ad se ostentandum àpparuisse diceretur. at quando descendit ad humilitatem meam, quando exinanivit semetipsum formam servi acipiens, quando, factus est obediens usq; ad mortem Crucis: hoc est demũ, quod in eo, & videre delectat, & mihi usurpare salutare est, & imitari me addecet, & æstimare atq; totis medullis amare mihi incũbit. Quod si etiam in eorum Societatem advocor, si admittor, si obligor: quid mihi est aut esse potest in cœlo, & à te quid volui aut velle possum super terram mi IESU. Utiq; tu es Deus cordis mei, & Societas tua, pars mea est tecum in æternum, Magna igitur est dignitas Socii IESU, quòd sit de Societate IESU.

5 Ex his cõclude, quanti æstimare debeas tuam hanc Societatem, quæ te ad tantam extollit, & evehit IESU Christi similitudiné, coniunctionem, & dignitatem, quæ te facit conformem fieri Imagini Filii Dei, Domini sui? Vide ergo ut non sis sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, vide ut scias quæ tibi à Deo donata sunt per Societatem, vide ut comprehendas cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum, sciat & supereminentem scientiam charitatis IESU Christi. Vide ut dispicias quæ sit spes vocationis tuæ, quà vocatus es à Deo, in Societatem IESU Christi Domini nostri Hæc meditare, hæc loquere, in his esto, & ambula semper dignè Deo, semper comitare Iesum quocunq; ierit, & Societatem ejus nunquam desere: sed ad instar ejus, induaris semper insignibus eius, & arbitreris te nihil unquam & usquam scire debere, nisi IESUM & hunc Crucifixum, cuius Cruci te quoq; configi oportet, ut vivas tu, jam non tu, sed vivat in te Christus. A quo sensu, quàm longè adhuc absis, quàm parum tibi hæc norma Societatis IESU placeat. tu ipse in te agnosce, confundere, emenda, & labora ut tandem aliquando sentias in te ipso quod & in Christo IESU, utq; sis non tantùm nomine, non sola protestatione, sed ipsamet executione verus Socius IESU. & geminum mancipium Societatis IESU.



CON-

CONSIDERATIO IV.

Religiosus est mancipium Religionis, propter institutionem & curam Religionis.



Ritum & decantatum est inter Sapientes illud Axioma, quòd Præceptores atq; Magistri nostri efficiantur nobis veluti quidam parentes: & quidem tanto potiori jure, quanto efformatio & educatio animi nostri præstantior est efformatione & educatione corporis: Parentes enim nostri dant nobis tantùm ut simus, at verò Institutores faciunt, ut benè, & boni simus: meliùs est autem bonum & benè esse, quàm simpliciter tantùm esse. quo fit, ut maius sit beneficium Instituentium nostros animos, quàm generantium corpora. Quòd si Parentes, ob id quia Parentes sunt, efficiuntur Domini filiorum suorũ, filiiq; illorum subduntur illis jure mancipiorum, consequens est, ut etiam Institutores nostri suo quodam iure fiant Domini nostri nos autem illorum mancipia, & quidem nõ ratione corporum ut parentibus, sed ratione animorum, & illorum cultoribus, atq, effor matoribus. Hinc Sapientes rectissimè judicarunt Parentibus ac Præceptoribus parem gratiam referri nunquam posse: hinc etiam rectissimè laudatus est omni sequenti ætate, qui cum Præceptori suo mercedis loco quid daret non haberet, seipsum in mancipium obtulit.

2. Religionem esse Magistram Religiosorum, & Institutricem animi illorum, non est quod multis probetur: Satis enim superque liquet Religionem esse scholam, esse Palæstram, esse Exercitationis in moribus & omni recta sapientiâ locum & theatrum: esse Magistram & Doctricem, animarum, menti umq; omnium eorum, quos ad se se recipit, sibique aggregat: ut meritò absq; ullâ controversia vocari, & reputari inter informatores & informatrices animorum possit.

3. Id quod sine dubio accrescat longè sublimiùs, si attendere voluerint Religiosi ad institutionis genus, in quo animos eorũ Religio perficit & excolit. Institutio Religiosa est super omnes alias institutiones, etiam eas quæ in Christianâ lege ac perfectione inveniri possunt: quia non solùm ad honestè, nõ solùm ad Christianè, sed ad perfectè sanctè vivendum, atq; in heroico quovis virtutis ac perfectionis gradu excellendum nos instruit, A & à primis usq; incunabulis atq, rudimentis, ad ultimos sanctitatis vertices nos manu ducit: nec priùs ab hac institutione nostri desistit, donec nos ad perfectam IESU Christi imaginem efformatos, ad cœlestis usq, beatitudinis possessionem deducat. Et quis non huic Magistræ se se obligatissimum hoc nomine lubens agnoscet? quis non fatebitur sibi ab unius Religionis institutione plùs ad- B venisse boni, quam non dico aliunde consequi, sed vel sperare, vel cogitare potuisset? Et adhuc hoc institutionis nomine Religionis suæ Religiosus, non omni jure obligatissimus erit? adhucnè in ejus possessionem libens lubensq, sive iure mancipij, sive quolibet alio non cedet?

4. Quid vero erit, si cogitaverimus hanc Institutionem Religionis, quam illa Religi- C osis adhibet longè Religioni laboriosiorem, difficilioremq, esse, quam ulli puerorum institutori advenire solet. Nam institutoribus ac Magistris aliis adveniunt discipuli rudes quidem illi, & quandoq; non multum per ætatem disciplinæ capaces: tales tamen, qui malis & institutioni à Magistris capiendæ contrariis artibus nullo modo imbuti sunt, sed integros animos tanquam tabulas rasas afferunt. At verò Religiosæ Magistræ non D tales adveniunt discipuli, adveniunt nempè animi, non solùm inculti, sed etiam malè culti, malis artibus non tincti, sed planè imbuti ac insuefacti, moribus depravatis affectibus efferatis, intellectu perverso, voluntate non quidẽ semper malitiosâ, sed sæpè tamen ob consuetudines malas, ad bonum difficili, ad malum promptissimâ. Iam si pueros rudes mali perinde ac boni ignaros docere tantus labor est, adultos jam non minùs ætate, quàm pravitate, quantus erit labor,

non

non tantùm docere, sed etiam dedocere? & docere quidem ea à quibus & natura abhorret, & consuetudo opposita abducit, dedocere autem ad quæ naturæ corruptæ pondere rapiuntur, & ad quæ consuetudine inolitâ trahuntur. Ut interim omittam alia, quæ in hoc magisterii, disciplinæq; genere, difficultates pariunt non minimas & verò plurimas. Hoc quod jam retuli satis est ad probãdum ob id tam difficilis tamq; laboriosæ disciplinæ genus quod Religio in suis Religiosis efformandis devorat efficere ut Religiosi Religioni nihil non debeant, nulloq; non jure eius sint, ac proinde etiam mancipia evadant.

5 Accedit, quòd hic Religionis labor circa Religiosos suos non est unius alicujus brevioris temporis, sed vitam prorsus obtinet universam, ita ut dum Religiosus vivit tamdiu circa ejus culturam à Religione laboretur, & quandoq; circa unius efformationẽ sæpiùs idem labor repetitus devoretur.

6 Accedit adhuc, quod hæc institutio quâ Religiosum suum efformat, sit sumptibus ipsiusmet Religionis ac impensis, ita ut nullum omninò sumptum tàm à Religioso, quàm ab ullo alio exspectet Religio, sed ipsa totum impensarum sumptum impediret, summâ vigilantia, charitate, industria, ne quid necessariorũ Religiosis desit, ob quod minùs ij tractabiles ac dociles, disciplinatiq; evadant provideat. Et quid quæso non debebit tali Religioni Religiosus? quo jure illi non obligabitur? quo subjectionis illi genere non subdetur.

A 7. Hæc omnia jam dicta sunt, ubi expenderis, confer cum Societatis Religione, tu quis Societatis huius Religiosus es, & dispice quàm graphicè hæc omnia, pleniùs etiam atq; liberaliùs, quam exposita hic sunt, in Societate reperiantur, tibiq, a Societate tam accuratè, tanta industria, tantis sumptibus, tantô tempore, tantis laboribus impendantur.

B 8. His expensis, jam tandem vide, quæ tuæ sunt erga hanc Societatem partes, an & quomodo, & quo jure illi sis obligatus, an meritò mancipium eius es, an illi ejus in te formando, laborem, industriam, charitatẽ, sumptum dignè repensurus sis: non meritò dices Societati, quod olim Thobias Raphaeli? Si meipsum tradidero tibi in servum, nõ ero condignus providentiæ tuæ. Vide ergo

C & apud te firmissimè statue Societatis tuæ mancipium & esse & te agnoscere, & deniq; te tanquam eius mancipium gerere: illique mancipii obsequio devotum & addictum esse.



CONSIDERATIO V.

Religiosus est mancipium Religionis propter Vota Religiosa.



I. Votorum & promissionum omniũ ea est natura, ut eum qui illa facit, ei cui illa facit subjectũ & debitorem, & obligatum, & veluti subditum servumq; faciant, idq; tamdiu, quamdiu id quod Votum & promissum est, non expletur. Neq; alia est Votorum Religiosorum conditio, quæ fiunt tum Deo in Religione, tum Religioni ipsi propter Deum. quò fit, ut quisquis Vota Religiosa emittit in Religione quapiam, per hoc ipsum Religiosus evadat, Religionisq & membrum & subditus mancipiumq; fiat. Vota enim sicut substantiam Religionis con

D stituunt, ita eadem Religiosum faciunt, & perconsequens Religioni ipsi, ut membrum corpori incorporant. Constat verò nullã esse in rebus humanis servitutem majorem, & pleniorem, quàm est membrorum in corpore, partiumq; in toto, ut proinde nullum possit esse ulli dubium, quod Religiosus, servus Religionis plenissimo jure per Votorum emissionem efficiatur.

2. Quod quidem longè clariùs elucescet ex

ex Votis in particulari consideratis. Ac primum Votum paupertatis luculenter id demonstrat: hoc enim voto Religiosus ablegat à se omnem rerum externarum curam, possessionem, dispositionem independentem, dominium deniq; omne, ipsas quoq; res, & spes propter Deum, quo fit ut nullius omninò rei sit Dominus, nullam rem habere, nullam usurpare, de nullâ possit disponere pro suo arbitratu: inde etiam fit, ut si aliquam rem habet, eam ut non suam habere debeat, sed ut ad usum tantùm sibi concessam à Cōmunitate ac Superiore, cui liberum sit eam rem cum visum fuerit auferre eidem & alteri tradere. Inde fit etiam ut quicquid acquirit Religiosus non sibi, sed Religioni acquirat &c. quæ omnia cui dubium esse potest, quin servitutem & statum mancipij redoleant. Hoc enim proprium est mancipiorū, nihil habere suum, sed totum Domini illius cujus mancipium est. Immo verò si rectè consideremus vix ullum genus mancipii inter homines reperiri tantùm & tam strictū potest, ut est in Religioso respectu Religionis. Nullus enim Dominus mancipium suum ita nudatum ab omnibus rebus, possessionibus dominiisq; desiderat ac supponit, quomodo Religio à Religioso suo requirit: quippè nullus Dominus exigit à servo, ut nō tantùm nihil habeat, sed etiam ut voluntatē habendi à se amoveat, eamq; amotionem ut etiam Voto, & eo quidem solemni ac insuper etiam æterno coram cœlo & terrâ confirmet, quod omnis Religio à Religioso requirit, & usq; adeò requirit, ut nisi id faciat, nisi factum exactissimè deinceps totâ vitâ suâ exequatur, eum Religio non sit inter suos numeratura, sed de gremio suo tanquā proprietarium, infidelitatis, sacrilegii, avaritiæ, ac furti, rapinæq; reum, quàm longissimè ablegatura. Itaq; ut in compendium colligam. Religio exigit à Religioso ut nihil habeat proprium. nihil sine permissu. nihil quod Religio cum libet non possit auferre, nihil aut velit habere, nihil ut propter Votum possit, ut vilissima quæq; velit & ambiat habere, speretq; sibi à Religione nonnisi vilissima offerenda, Et quis unquam istis conditionibus mancipium fuit: quibus apud Religionem Religiosus est propter Dei placitum, propter IESU Christi exemplum, propter animæ suæ salutem.

3. Iam ad Votum Castitatis quod attinet: etsi id Votum, videatur Religiosum à servilissimo voluptatum omnium licitarum, illicitarumq; jugo eximere: tamen hoc ita præstat, ut nihilominùs aliud quoddam, divinioris quidem, simul tamen etiam severioris, servitutis genus homini Religioso inducat. Cuius rei hoc est manifestū indicium, quod Religiosus Voto Castitatis obligatus, sui corporis omnino nullam potestatēm habeat, sed totus quantus est, alienus omninò est: neq; verò alienus tantùm, sed etiam planè mor-
A tuus. Et quamvis hoc sit adeò magnum, adeoq; ad mancipii conditionem Religioso imponendam validum, ut per se se patet, tamen aliud aliquid addit insuper Castitas: nempè severitatem in continendo atq; castigando corpore: Profitetur enim Castitas Religiosa, non tantùm abstinentiam à voluptatibus quibuslibet, sed etiam mortificationē & cruciatum, & crucifixionem corporis cū omnibus membris, cum omnibus sensibus, cum omnibus desideriis, & appetitionibus
B illius: ita ut nullum mancipium, tam durè, tam serviliter, tamq; hostiliter tractetur à suo Hero vel Tyranno, sicut caro propria à Religioso juxta Religionis instituta tractari & debet & solet Quis enim Tyrannus mancipium suum adigit ad hoc, ut non solùm abstineat ab usu, v.g. voluptatum, sed etiam & ut à voluntate, à desiderio, à cogitatione, earum abhorreat, & ita quidem abhorreat, ut inter sacrilegia reputet, vel de illis cogitasse, vel ad illas adspirasse. Quod tamen
C totum Religio à Religioso exigit, & exigit ita, ut ad desideria ipsa expellenda, cruciatū afflictionemq; carnis & passionum injungat, totumq; hoc negotium Voto iusuper Castitatis perpetuò cofirmet ac stabiliat.

4. Porrò ex omnibus Votis per nullum magis verè atq; propriè Religiosus efficitur mancipium Religionis, atq; per obedientiæ Votum. Obedientiæ quippè Religiosæ virtute homo, omni omninò libertate & arbitrio suo proprio exuitur & expoliatur. Ita
D verò exuitur ut nullum jus ad se se, habeat amplius habereve possit, nullo modo se, suavè curare, nullâ in re, nullâ in occasione de semetipso propriâ voluntate disponere, non se loco movere, non labori offerre, muneri subducere, non deniq; sui juris potestatisq; etiam in minimâ re, in minima actione, in minimâ occasione esse possit, sed ubiq; & semper ab alieno arbitrio nutuq; pendere teneatur. Quo quid ad mancipii conditionem possit addi sufficientiùs non video, & addit

tamen

tamen Religiosus aliquid sanè quàm maximum Votum scilicet Obedientiæ, & id quidem perpetuum, & solemnitate etiam firmatum, per quod non tantum mancipium evadit Religionis, sed etiam evadit mancipium æternum, evadit sacrum mancipium, & in jumenti, in victimæ, in Holocausti perfecti, perpetuiq; conditionem translatum.

5. Accedit his omnibus abrenunciatio famæ Voto Religiosæ Obedientiæ aliquomodo annexa. Religiosus enim dum per Votũ Obedientiæ abrenunciat omni suæ libertati, sic abrenunciat, ut Religio operâ, viribus, talentis, industria, ætate, & omni eo quod Religiosus sive habet, sive est, possit pro arbitratu suo uti, ac disponere, etsi aliquando usus ille atq; dispositio, connexam habeat humiliationem, contemptumq; Religiosi, & non fiat absq; diminutione illius honoris & famæ. Quod ipsum etiam videre est in pœnis quas Religio Religioso imponere potest pro culpis non culpis, pro defectibus ac causis inculpabilibus, Religiosus autem eas cum omni modestia & humiliatione sustinere & perpeti tenetur. Similiter id ipsum patet in eo, quod Religio potest Religiosum arcere ab his quæ illi privatim licita, utilia, honorifica, jucunda essent, è contra autem potest exponere his & applicare, quæ illi inutilia, probrosa, pudorem incutientia, aspera & periculosa esse possent. ad quæ tamen omnia Religiosus tenetur æquabili mente & prompta voluntate accurrere, perinde ac si nihil sentiret, ac si cadaver esset, aut statua sensu omni destituta. Quæ omnia evincunt Religionem esse Dominam Religiosi, & Religiosum esse mancipium eius. A

6. Ex his considerationibus jam dispice. 1. An te id quod revera es mancipium Religionis agnoscas. 2. An te prout decet mancipium in Religione geras, an verò Dominus tibi videaris esse, & longè à conditionibus mancipii abesse: corriges deinceps errorem tuum; & conditionem hanc tuam mancipii, humanis fortè oculis vilem, & cælestibus gratissimam & Christo simillimam summè amabis in eaq; tibi complacebis, & eam in omni occasione practicè ostendes atquè exercebis. B

CONSIDERATIO VI.

Religiosus est mancipium Religionis, quia est ereptus de mancipio iniquitatis.



1. EA est conditio tũ omnis creaturæ tũ & hominis cujuslibet, ut absq; Domino esse non possit; sed tam est illi innatum servum esse, quam etiam innatum est, id quod est, esse, proinde hominem conari extra esse dominium alienum esse, nihil aliud est, quàm conari hoc esse, quod nullo modo potest esse. Et quamvis homo libero arbitrio præditus sit, non ad hoc tamen præditus est, ut nulli subsit, sed ad hoc ut ei cui naturaliter & omni jure subditus est, etiam sponte sua atq; ex libertatis suæ motu subsit, per hocq; gratus Domino suo sit: non subsit autem ei cui subditus esse non debet, & cujus subiectioni factus non est, quod ipsum etiam homini ad gratiam Domini sui faciat, ejusq; benevolẽtiam ipsi conciliet: in justitia sanctitateque illum ambulare faciat.

2. Et hoc quidem ita esse debuit sicut dictum est, sed homo mobilitate & fragilitate suæ naturæ, oblitus eius legis qua creatus in libertatem fuit, & ipsam libertatem in injuriam sui convertit autoris, & ei, cui ut liberè serviret, libere servire recusavit, ei autem cuius se servituti liberè negare debuerat libere se se ad serviendum addixit. Bis improbus in Deum: nam & subduxit se illi per injuriam cujus erat per naturam; & illi se subjecit ad autoris iniuriam, cujus non erat per C

ejusdem

eiusdem autoris gratiam. Sic ergo homo ille, qui mite Domini sui jugum effugere, Diabolicum acceptando, voluit, diabolicū quidem sibi superinduxit ad culpam, Divinum autem nequaquam evasit ad pœnam. Itaq; & divinum non excussit quod voluit, & in diabolico captus ac perditus est, quod spontè delegit.

3 At sapientiam non vicit malitia, & cō siliū Domini ex malis elicuit bona meliora, quàm si non fuissent ulla mala commissa. Servientem hominem diabolo, miseratus, & sævientem in hominem diabolum indignatus, misericors Deus, in sapientiâ sua reperit, quomodo & sævitiam diaboli ab homine excluderet, & hominem malè diabolo servientem ad benè sibi serviendum adduceret. Assumpsit hominem, factus homo, inimicū diabolum debellavit, jugum peccati contrivit, mortis imperium evertit, à servitute diaboli hominem eripuit, sed non jam ut ante libertati suæ reliquit; verum illico servum suum mancipiumq; fecit: ut homo qui servus fuerat injustitiæ, jam serviret deinceps Iustitiæ, & qui ante exhibuerat membra sua arma injustitiæ ad iniquitatem, postmodum exhiberet eadem arma justitiæ ad pietatem.

4 Et hæc est lex Christi, quâ oportet omnem hominem servire Christo, sicut antea servierat Diabolo servire gratiæ, sicut ante servierat peccato. Servire Iustitiæ, sicut antea servierat injustitiæ. Sed neq; istud planè ad Votum successit Deo: etiam inter Christianos reperire est, utinam non plurimos, qui intrant latam semitam ducentem ad interitum & mortem, qui post agnitam viam justitiæ, redeunt retrorsum corde in Ægyptum ad compedes diaboli, ad fœdera mortis, ad servitutem peccati. Quanti talium sint greges, nihil attinet dicere, quando manibus ipsis palpamus vix inveniri fidem in terra, refrixisseq; charitatem nimis multorum.

5 Quid igitur facit veritas, quid sapientia excogitat? Ecce instituit Religiones, suscitat piorum ordines, ad quos segregat à quatuor ventis electos, & eos in eis collocat atq; centuriat, & Sacramentis Votorum ad serviendum sibi adigit, mancipiaq; sua, ex diaboli mancipiis facit: & liberam eorum illam sat dubiæ fidei, fluctuantisq; constantiæ voluntatem, necessitatibus Votorum vinculis, sibi suoq; servitio in æternum devinctam & obnoxiam facit, ut ita ij, qui fuerāt servi peccati, iræ filii, damnationis diabolicæ hæredes atq; mancipia, jam ex his omnibus liberati & absoluti, in novam aliam transferrentur servitutem sanctitatis, in vitam gratiæ, in salutis hæreditatem, fierentq; subditi & mancipia beatæ servitutis, & sempiternæ beatitudinis. Atq; hoc est & non aliud quod replet Ordines Religiosos, hoc est quod domos & cænobia regularium frequentat, hoc est, quod regulares in Ecclesia mul-
A tiplicat, atq; etiam (quæ Dei gratia singularis est) multiplicando in lætitia & laude magnificat, non per aliud utiq; ullum miserationis suæ Divinæ genus, quam per hoc, quia ex mancipiis impietatis facit mancipia sanctitatis: & vocat non plebem suam, plebem suam, & misericordiam non consecutam, misericordiam consecutam.

6 Id quod totum in Religionibus cum faciat. ideò omnes qui Religionem ineunt, quem proximè dixi finem, vocat, Religioni ipsi æternùm devovet atq; mancipat,
B adeò ut non aliter servis suis adnumerentur, nisi per Religionem, seu per Religionis professionem: & rursum non aliter Religionibus inserantur, nisi per Divinam servitutem sicq; fit ut Religiosi fiant simul servi Dei & mancipia Religionis, ad quod meritò illos induci, vel hoc unum luculentissimo argumento est, quia qui à Deo ab inextricabili servitute diaboli misericorditer eruuntur, justissimum est, ut eiusdem Dei servitute (quæ est Religio) irrefragabiliter, immuta-
C biliterq; innodentur. Iustè enim optimo Domino in æternum servus est, qui ab improbissimi Tyranni æterna servitute misericorditer ereptus est.

7. Hic tu te ipse convenias in tuâ ipsius conscientiâ Religiose, recogita annos tuos & vide, quam qualemq; in illa tua prima & vana conversatione hujus vitæ atq; seculi servitutem servieris? defueritné aliqua servitutis species in illo statu tuo? potuitné ad calamitatem tuam accedere aliquid amplius?
D supereratne spes libertatis tuæ apud te? & quid dico spes? supereratne vel voluntas liberationis? An non potiùs ita velle ipsum tuum captivaverat sibi inimicus, & catenam tibi ex eo fecerat, ut ad libertatis non tantùm non aspirares; sed etiam horreres nomen, amaresq; infelix malum tuum, scilicet peccatum & peccandi licentiosam necessitatem, timeres autem & omni conatu fugeres omnem à peccato desistendi voluntatem & cogitationem? Hoc si ita fuisse tu ipse testis

es; Iam vide quibus te miserationibus prævenit Deus, qui te vocavit in hoc admirabile lumen suum, & transtulit in Regnum Filii sui, & collocavit super petram Religiosi status pedes tuos, & facit te mancipium servitutis suæ, hoc est, Societatis istius suæ sanctæ. Vide quomodo æstimes hactenùs gratiam Dei, quomodo in vacuum illam non acceperis, quomodo afferas fructum Deo, fructum sanctitatis, justitiæ, perfectionis, obsequij, gratiarum actionis. Age, fac tandem, & te mancipium istius modi esse gaude, fructumq; mancipatus tui apporta.

CONSIDERATIO VII.

Religioso honestum est, esse Religionis mancipium.



1. Servi & mancipij nomen ex se se & communi hominum acceptione, abjectum & ignominiosum quiddam esse videtur: & siquidem de servitute qua servitur hominibus ex necessitate, & conditione status, ex fortunæ iniquitate, sermo sit; non multum vellem repugnare, sit sanè ita, & vulgo esse creditur. Cæterùm servitus quæ Deo, & Religioni propter Deum impenditur, longè aliter se habet ac proinde & longè aliter de ea sentiendum est.

2. Nam inprimis vulgare dictum est ex S. Augustino desumptum: Servire Deo regnare est, quod si verum est (ut verum esse communis approbatio & usurpatio facit) tàm honorificum erit servum Dei esse, quàm honestum est Regem esse: quòd honestum esse, nemo dubitat. Quòd autem hoc Augustini dictum sit veritati consonum, tam certum est, quam quid certissimum. Regnat qui servit Deo: hoc qui nescit: apparet quòd Dei servus non sit. nam si serviret, regnare se experiretur: ac proinde dicti veritatem sciret & fateretur Regnat ergo qui Deo servit, quia nulli subest, qui Deo subest, qui autem nulli subest, hic sanè, vel Rex, vel amplius aliquid à Rege est quod nulli subsit, qui Deo subest, patet quia supra omnia est, solaq; voluntate Dei inferior est. nam si aliquam rem aliam præter Deum & ejus voluntatem haberet supra se, jam res illa ei imperaret, & sic ille non soliùs Dei servus esset: quod si non solius Dei servus esset, Dei servus non esset: fieri enim nō potest, ut quis & Deo, & alicui rei præter Deum non propter Deū serviat: nemo enim potest duobus Dominis servire teste veritate. duobus autem serviret, si quis & Deo & alicui rei serviret. Itaq; servus Dei, solius est
A Dei servus, aliarum rerum nulla ei potest imperare, ac proinde servus Dei ab omnibus rebus aliis est liber, & nulli subest, consequenterq; rex est. Et quidem Rex omni Rege major: quia nullam rem timet, nulli subest, nullam cupit, de nulla dolet, nulla caret; sed Deus & voluntas Dei omnium illi rerū ad instar est, atq; ita qui Deo servit, regnat.

3. Huc accedit aliquid etiam amplius quàm Regem, esse Dei servum, quid veró il-
B lud? Ajo eum Omnipotentem esse: Qui enim servit Deo, omnipotens est, & omnia potest; quid enim non potest, qui omnipotentem Dei voluntatem suam facit voluntatem? facit autem, quia ejus servus est, per hoc enim servus Dei est, quia voluntas Dei voluntas ipsius est. Cùm ergo servi Dei voluntas eadem sit quæ & Dei, & voluntate suâ Deus sit Omnipotens, sequitur servum Dei ab hac eadem voluntate effici omnipoten-
C tem. Est igitur Omnipotēns, ac proinde plus quàm Rex. Iam age homo, dic, velisnè Omnipotens esse? si vis? servus esto Dei, & Omnipotens eris: adeo quidem ut ausim dicere te etiam imperaturum Deo: Nam qui servus est Dei, hic etiam est Dominus voluntatis Dei, & voluntas Dei facit se ancillā servi

ſervi ſui. non ſunt hæc verba mea, ſed ipſius Spiritus Sancti qui ſcrutatur etiam profunda Dei. hic enim ait: quòd Deus voluntatem timentium ſe faciet, hoc eſt, Deus & voluntas Dei, voluntati ſervorum ſuorum obediet ac proinde ſerviet. En quomodo ſervus Dei omnipotens, en quomodo ſervire Deo regnare eſt, en quomodo ſervire Deo, regnare eſt Deo, & non ſolum Omnipotentem, A ſed etiam ſupra omnipotentem eſſe. Quo quid honeſtius?

4. Sed dices, quid hoc ad cauſam? ſervire Deo honeſtum eſſe, quis ambigit? ſervire Religioni honeſtum eſſe, id tãdem quæritur? At enim etiam ſervire Religioni & mancipium eſſe Religionis æquè honeſtum, immo eadem honeſtas eſt. quæ & ſervire Deo. Ampliùs pro hac re nihil dicam, niſi illud quod ſervire Deo regnare eſt, Religioſum eſſe,ſeu quod idem eſt Religioni ſervire, Deo ſervire B eſt, igitur Religionis ſervum eſſe eſt regnare. Honeſtiſſimum ergo eſt Religioſum eſſe, & Religionis ſervum ſeu mancipium eſſe. Quis enim quæſo ſervit Deo, ſi Religioſus non? Et quæ aut ubi ſervitus Dei eſt, ſi Religio & in Religione non eſt? ergo & qui ſervit Religioni, ſervit Deo, & qui ſervit Religioni, Rex eſt: quod honeſtiſſimum eſſe, extra controverſiam eſt. Nemo igitur vilem ſe ſtatum ſubijſſe putet, quando ſe mancipium Religionis factum audit: per hoc enim C Rex, & plus quàm Rex factus eſt, ſi modo ſe eſſe noverit id, quod revera eſt.

5. Totam hanc veritatem ſtabilire ſimul & illuſtrare poſſumus, ex eo, quod Religioſi ſtatus naturæ ſit, non ſolùm ſervum Dei, mancipiumq; facere Religioſum: ſed etiam ita facere, ut nemo (in hac quidem vitâ, nã de Beatâ interim nihil loquor, in quâ Beati perfectiùs longè mancipia Dei ſunt) ex omnibus hominibus pleniùs ac perfectiùs ſer- D vus Dei fiat, quàm Religioſus efficitur. Hujus rei illud ſit firmamentum, quod experientia nos doceat ex Myſteriis fidei hauſta, illos qui aliquo peculiari modo ad excellentem cum Deo conjunctionem divinitùs vocati ſunt, nullo alio magis familiari proprioq; nomine, tàm à ſe ipſis, quàm à Deo ipſo ſolitos fuiſſe appellari, quàm ſervorum mancipiorum, ancillarum. Miſſa faciamus minoris notæ exempla. Attendamus extra controverſiam poſita. Quis propiùs acceſſit ad Deum quàm Chriſtus? quis propiùs attigit Deum, quàm Chriſti Mater MARIA? & tamẽ & ille condigniſſimè ſervus, & iſta decentiſſimè ancilla Domini vocata exſtitit. Neque quiſquam dicet ullam aliam creaturam præter jam dictas duas (Chriſti & Mariæ) veriùs dictas fuiſſe, dicivè debuiſſe ac potuiſſe ſervum vel ancillam, ut Ieſum & Mariam, ſeu fuiſſe, ſeu dici potuiſſe extra omnem controverſiam eſt. Quin potiùs hæc duo exempla attendens & expendens, colligo Deo id moris ſemper fuiſſe & eſſe, ut quantò quem ad magis ſecreta intimaq; ſua obſequia eligit & advocat, tanti illum ſpeciali ratione & affectu ſervum vel ancillam quaſi honoris cauſa indigitet & appellet Ita ut apud Deum, eſſe ejus ſervum eſſe ancillam, eſſe mancipium, eſſe jumentum, ſupra omnes alios titulos ſit, quos Deus creaturæ rationali conferre conſuevetit.

6. Iam igitur agnoſce ò Religioſe, num aliquid de tuo honore detrahat, quod Dei ſervus, quòd Religionis mancipium nuncuperis, an potius tu per id ſummoperè exalteris uſq; ad conſortium titulorum, Ieſu Chriſto & Pretioſiſſimæ ejus Matri ſummè dilectorum, ſummèq; propriorum? atq; ex hoc diſce non erubeſcere, nec refugere ſervitium Chriſti mancipiumq; Religionis ejus, ſed potiùs id tibi ſummo honori laudiq; ducere, cũ id ſit verè honeſtiſſimum atq; laudatiſſimũ. Quamobrem noli erubeſcere ſervire, & ſervum te gerere Religionis, noli refugere mancipium ejus eſſe. Immo verò parum tibi ſit non id erubeſcere, ſi ſapis, etiam gloriari debes & exultare, quòd ſis ſervus mancipiumq; Religionis, cum per hoc ipſum ſis nobiliſſimo modo ſervus mancipiumq; Dei: quòd eſſe, eſt Regem, eſt plus quam Regem, & planè Omnipotentem eſſe. Talibus quiſquis dictaminibus in Religione vivit, quiſquis tali ſpiritu regitur, is demùm Religioſus eſt, is demum Religionem ſapit, qui autem talẽ ſpiritum non habet, is ſpiritum Chriſti non habet: qui verò ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus, quod an in te quiſquis es quadrare velis: tu tamen delibera, tua enim res eſt quæ agitur.

CON-

CONSIDERATIO VIII.

Religioso esse mancipium Religionis, est Beatitudo quædam.

I. IN Religioso mancipatu atq; servitute, quam Religioni homo servit, non tantùm nihil inest probri aut miseriæ, quæ vulgò servituti inesse putatur; sed etiam summa inest honestas atq; beatitudinis propè illius cœlestis participatio: qua quidem re feliciùs esse nihil, omnibus in confesso est. An verò hoc ita sit, expendendum est.

2. Inter Beatitudinis æternæ reliquas cõditiones sanè felicissimas & optatissimas, est etiam necessitas quædam quæ Beatos cogit ad amandum Deum, ad fruendum ipso, ad inhærendum ipsi eiusq; voluntati, & ita cogit, ut Beati non possint non amare, non frui, non inhærere Deo eiusq; voluntati, usque in æternum: quo fit ut beati securissimi sint semper de illo suo felicissimo statu: per hancq; securitatem, eorum Beatitudo completur, alioqui nisi securi essent, beati non essent, porrò securi sunt, quia necessitari se ad inhærendum Deo agnoscunt quæ inhæsio beatitudo est. Atq; ita necessitas illa dulcissima est illis, & honestissima: Quæ necessitas cum sit servitus quædam Beatorum, servitus tamen illa an non sit super omnes alias libertates, immo an sit suprema quædam libertas nihil attinet dicere, sed attinet multum expendere. Certè Augustinus non absurdè dixit de hac servitute ac necessitate: Felix necessitas quæ ad meliora compellit quãquam hæc non ad meliora, sed ad summè bona compellere cognoscitur. Mihi hoc interim sufficit ex dictis collegisse, Beatos sua illa necessitate servos esse, eademq; necessitate beatos esse: consequenterq; necessitatem ac servitutem illorum, simul etiam beatitudinem esse: ac proinde in servitute Beatitudinem inveniri, non inter absurdè, sed inter verè dicta reponendum esse.

3. Iam id ad Religiosa mancipia transferamus. Religiosus est mancipium Religionis: & est per hoc, quod per Vota Religioso statui substantialia, se se Religioni obligaverit ac illigaverit: idq; ideò ut illo suo Religioso statu, tanquam statu Divinæ servitutis, in æternum assumpto, in æternum etiam Dei servus evaderet. Religiosus ergo per Vota sua fit æternum mancipium Religiosi status, & per eadem fit etiam æternum Dei mancipium sive servus. Induit ergo necessitatem
A quandam, æternùm tam in Religioso statu, quam in servitij Divini conditione permanẽdi. Quæ necessitas æternùm Deo serviendi, nil est aliud quàm necessitas Deum amandi, Deo & eius voluntati inhærendi, eumq; laudandi: quam necessitatem sequitur etiam securitas quædam, quâ Religiosus securus quodammodo redditur de sua in servitio Constantiâ ac perseverantia: si non quoad volũtatem, saltem tamen, quoad voluntatis obli-
B gationem: semper enim Religiosus votis obligatus sciet se teneri, voluntatemq; suam obligatam esse ad inhærendum Deo, voluntatiq; Dei. Et licet aliquando experitur Religiosus se tentationibus à Diabolo, carne, mundo, semetipso, provenientibus retrahi ab hac inhæsione ad Deum, eiusq; voluntatem, tamen sub illas ipsas tentationes experitur idem Religiosus se suamq; voluntatem illâ obligatione, illa necessitate, illa devoti-
C one teneri, & ad inhærendum Deo eiusquè voluntati cogi. Immo etiam: quamvis aliquando Religiosus re ipsa victas dat tentationibus manus, & à Dei voluntate voluntatẽ suam avertit, inhærereq; Deo desinit, tamen etiam tunc agnoscit illam in se, inq; sua voluntate necessitatem, quâ inhærere Dei volũtati & adigebatur, & tunc etiam dum aversus est, adigitur atq; obligatur. Tanta est
D illa & tam inexcussa unquam necessitas atq; obligatio servitusq; ad inhærendum Deo, eiusq; voluntati. In quo ut apparet ista necessitas Religiosa, multis modis similis est necessitati illi Beatorum. Nam facit inhærere Deo & eius voluntati, facit amare Deum & servire eidem, facit ut necessariò inhæreat & serviat. facit ut non possit non servire. non inhære-

inhærere saltem quoad obligationem inhærendi & serviendi, facit securum Religiosum quod nunquam sit exuturus huius obligationis & necessitatis conditionem. Ac proinde hæc Religiosa servitus habet plurimam cum Beatorum statu similitudinem consequenterque etiam maximam tùm honestatem, tùm etiam utilitatem atq; voluptatem

4. Quod totum possum commodissimè gravissima Doctoris Angelici autoritate cõprobare, qui cum sibimet ipsi obiecisset, nõ expedire homini, ut aliquid voveat Deo, & nominatim ut se Votis Religiosis obliget: eo quod Vota auferant libertatem, libertas verò sit donum divinitus homini collatum: quo privari non expedit, respondet in hunc modum: sicut non posse peccare, sive non posse à Deo recedere per charitatem non diminuit libertatem, ita necessitas firmatæ voluntatis in bonum, quod fit per vota non diminuit libertatem ut patet in Deo, qui peccare non potest, & in Beatis qui similiter nec peccare possunt, nec a Deo recedere Tum deinde S Doctor addit: Et talis est necessitas voti, similitudinem quandam habens cũ confirmatione Beatorum: confirmatq; dicto August: supra relato: Felix necessitas quæ ad meliora compellit.

5. Habet ergo servitus & necessitas Religiosa per vota contracta similitudinem non levem cum Beatorum necessitate & in bono confirmatione; habet & honestatem, quia ad bonum cogit scilicet ad inhærẽdum Deo, quo nihil honestiùs habet etiam utilitatem propter eandem causam, quid enim utiliùs & iucundiùs quàm Deo inhærere & servire semper, nec posse non servire? habet & felicitatem, quia felicitas est magna, ad meliora cogi. Hoc enim estimalum esse non posse, sed bonum imò optimum esse debere, quò nihil feliciùs.

6. His addi potest ejusdem Augustini dictum illud celebre de libertate. Prima libertas est, posse non peccare. 2da. libertas est non posse peccare. illa est huius vitæ, hæc futuræ illa periculosa, & ideò misera. hæc secura, & ideò vera. Non posse enim peccare, hoc idem est quod non posse malum & miserum esse; non posse malum ac miserum esse, est non posse creaturæ & voluntati creatæ contra Dei voluntatem servire, non posse autem ita servire, summa libertas est. Quæ enim est major libertas quàm ita liberum esse, ut non possis liber non esse. quam ita liberum esse, ut non possis illius servus esse? Non posse ergo peccare, & servitus est, & libertas est. Servitus quidem, quia sic servitur libertati & Dei voluntati; libertas verò quia nec peccato, nec creaturæ, nec propriæ servitur contra Dei voluntatem voluntati. Inter has duas libertates, est tertia media de utraq; priore participans. Et hæc est Religiosorum: quæ & potest peccare, quia adhuc in hac vita mortali Religiosi degunt, & non potest peccare, quia voluntatem suá ad serviendum Deo, non solùm obligatam habent communi creaturæ necessitate & obligatione, qua omnes eo solo, quòd creaturæ Dei sumus, illi servire obligamur, sed alia insuper longè sublimiori, à propria ipsorum voluntate ac libertate, in eandem voluntatem libertatemq; per voti vinculum inducta: quá ita se ad serviendum Deo obligarunt, ut non possint non habere obligatam voluntatem, atq; ita voluntas & libertas eorum, nonnullà ex parte acquisivit illã secundam libertatem quæ est non posse peccare, non posse creaturæ, non posse voluntati creatæ etiam suæ propriæ contra Dei voluntatem servire, quod nihil aliud est, quàm ut D. Thomas dicebat, similitudinem quandam cum confirmatione Beatorum habere

7. O quàm felix est hæc servitus Religiosorum, quàm beata mancipiorum istorum conditio, quæ ante Beatitudinem, degustat beatitudinem, & in vita mutationibus obnoxiâ, acquirit immutabilitatem, & denique voluntatis suæ inconstantiam exuens, confirmatione illam in bono solidat, & felicissimâ necessitate ad meliora, immo & ad optima semper cogit. Cogita hæc ô Religiose & altè ad animum demitte: servum te mancipiumq; Religiosi tui status gaude. & ut fructus istos tui status percipias hac in vita, satage. ob idq; nulli labori, nulli humiliationi, nulli tolerantiæ, nulli difficultati parce. Memento felicissimam hanc esse servitutem quæ facit ut non possis non esse Dei servus: talis autem est Religiosa; hæc autem facit ut tàm non possis non ad Dei servitium pertinere, quàm non potes non Religiosus esse.

CON-

CONSIDERATIO IX.

Religiosus est mancipium Religionis, quia ex merâ commiseratione Religionis super illum, receptus est à Religione ad serviendum Religioni.

1. BEneficiorum ea est vis & natura, ut eū qui ea accipit, ei à quo accipit servum faciant, & quasi vinctum in potestatem ejus tradant. Id adeò verum est, ut hoc etiam communi omnium gentium sermone atq; sensu usurpetur assiduè, quod quidem veritatis est manifestissimum indicium. Quod enim omnes gentes sentiunt falsum esse & erroneum non potest, cum omnium gentium consensus, rationis atq; adeò Dei ipsius sensus & putetur esse, & re ipsa omninò sit.

2. Et omnium quidem est hæc vis beneficiorum: præcipuè tamen illorum quæ conferuntur in eos, qui beneficiorum indigentissimi fuerunt, conferuntur autem ab eis, quos nihil aliud ad benefaciendū movit, præter ipsam indigentiam, miseriamq; accipientium. Talia enim beneficia, accipientibus illa, sunt compedum instar, sunt instar vinculorum servitutis ac mancipii jus in eos inducentium, obnoxiosq; benefactoribus per omnia facientium. Id quod etiam tum res ipsa, tum usus sensusq; communis hominum omnium ab omni ætate comprobavit, ut in eo explicando immorari necesse non sit.

3. Deus certè Dominus hoc ex fonte, copiosissimè ac efficacissimè passim in scripturis sacris exigit servitia & obedientiam, & cultum & amorem ab hominibus. quod eos infinitis ornaverit beneficiis, & quidem tūc cum ipsi essent miserrimi: tale illud est, ut unum de multis locum adducam considerandum. Ezech, 16. 3. Hæc dicit Dominus Deus Ierusalem: Radix tua & generatio tua de terrâ Chanaan, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa, & quando nata es in die ortus tui non est præcisus, umbilicus tuus, & aqua non est lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis, non pepercit tibi oculus ut faceret tibi unum de his, misertus tui: sed projecta es super faciem terræ in abjectione animæ tuæ, in die qua nata es. A Trāsiens autem per te vidi te conculcari, in sanguine tuo vive. dixi inquam tibi: in sanguine tuo vive. Multiplicatam quasi germen agri dedi te, & multiplicata es, & grandis effecta, & ingressa es, & pervenisti ad mundum muliebrem, ubera tua intumuerūt & pilus tuus germinavit, & eras nuda & cōfusione plena, &c. Et juravi tibi, & ingressus sum pactum tecum (ait Dominus,) & facta es mihi. Et lavi te aqua, & emundavi B sanguinem tuum ex te, & unxi te oleo. Et vestivi te discoloribus, & calceavi te ianthino &c. & quæ sequūtur fusè à Spiritu Sancto ibidem proposita, quibus Deus evincit aliud nihil, quàm sibi post tot, tanta, tam miseræ conditionis populo à se exhibita beneficia, debitissimam omni jure fuisse servitutem.

4. Qui quidem sensus etiam in Religione qualibet, respectu Religiosi hominis cujuslibet esse potest, meritoq; iisdem omnino qui- C bus Deus Hierosolymam, Religio quemvis Religiosum suum verbis affari, eandem indigentiam, cuivis ex nobis commemorare, eadem sua in unumquemq; nostrum beneficia Religionis in nos fateri, & nostram Religioni debitam obsequētiam testari, & eidem eandem plusquam servili jure atq; conditione impēdere debemus. Quid enim aut earum miseriarum defuit in nobis, quæ locô D citato in persona Hierusalem recensentur, aut eorum beneficiorum abfuit erga nos in Religione (& mediante Religione in Deo) quæ ibidem collata esse in Hierosolymam copiosissimè enumerantur? nihil sanè defuit: si rectè expenderimus, quare sicut olim Deus ab Hierosolyma; sic modo idem Deus, & post eum Religio justissimo jure pleni obsequii atq; servitutis officia ac studia à nobis

bis reposcere potest, nos verò non aliter quàm nos Dei Religionisq; servos gerere & appellare possumus & debemus.

5. Recordare Religiose status illius tui in quo te vel Vocatio Religiosa invenit, vel Religio recepit: atq; in sinum & gremium suũ blanda veluti mater deposuit. Nonne radix tua & generatio tua de terra Chanaan? Nũquid in die ortus tui præcisus est umbilicus tuus, nunquid lotus es aqua in salutem? Nõnè projectus jacuisti super faciem terræ in abjectione animæ tuæ? Nonne fuisti velut unus ex filiis prodigis? Nonne fuisti velut unus ex ovibus non semel perditis, ac à lupo raptis? Nonne fuisti velut unus ex naufragis quibus tabula vix superfuerit ad enatandum nè descenderent in profundum quasi navis? Nonnè fuisti velut unus ex maleficis captis & damnatis ad Crucẽ atq; pœnam? Nonne fuisti velut unus ex debitoribus non habentibus unde redderent, & jussis venundari in extremam servitutem? Nonne fuisti velut unus ex non habentibus vestem nuptialem: & ligatis manibus ac pedibus missis in tenebras exteriores? Nonné fuisti velut unus ex eis quorum anima erepta est de laqueo venãtium? Nonne fuisti quasi unus ex eis, quorum anima habitasset in inferno, nisi Dominus adjuvisset eos? Nonne fuisti unus ex infixis in limo profundi, & non fuit eis substantia? Talis eras, quisquis in seculo eras: antequam de seculo in claustrum translatus eras.

6. Religio quid fecit tibi? imò quid non fecit tibi, ne talis esses qualis eras. Nonne miserans tui suscepit te, & obviavit tibi, quasi mater honorificata; & expandit amictum suum super te. Nonne operuit ignominiam tuam? Nonne lavit te aquâ, & emundavit sanguinem tuum ex te, & unxit te oleo? Nonne juravit tibi, & ingressa est pactum tecum: & factus es illi quasi in filiũ & nutrivit te cum filiis suis? Nonne vestivit te discoloribus, calceavit janthino, cinxit bysso, induit subtilibus? Nonne ornavit te ornamento, & dedit armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum? Nonnè dedit super os tuũ, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo? Nonne ornatus es auro & argẽto, & vestitus es bysso, & polymito & multicoloribus. Similã & mel, & oleum comedisti, & decorus factus es nimis, & profecisti in Regnum: quia servire Deo, regnare est? Et quid potuit ultra facere tibi, mater tua sancta Religio, quod non fecit? omnia desiderabilia sua dedit tibi.

7. Tu autem quid debes Matri tuæ, Dominæ tuæ, Miseratrici tuæ, Religioni tuæ? Nonne dices ei, quod olim Thobias junior, Raphaeli. *Tob 9.* Religio Sancta, peto ut auscultes verba mea: si me ipsum tradam tibi in servum non ero condignus providentiæ tuæ. Tamen obsecro te ut assumas me tibi in servitium, in mancipium, in jumentum, & servire me facias servitutem omnem tibi, & filiis tuis, Dominis meis, quorum non sum dignus calceamenta portare, nec lavare pedes eorum, nec lingere vestigia pedum eorum.

8. Attende Religiose & expende universa verba hæc: & quo te affectu præditum esse erga Religionem, quo te spiritu in Religione vivere oporteat adverte, quo spiritu vivas recole: quô deinceps victurus sis iam propone. Audi verò Basilium Magnum docentem te, & ejus verba in ipso cordis tui fundo profundè insculpe. sic enim ait: (*Sermone de abdicatione seculi circa medium*) cum vivo in animo tibi fixum stabiliveris, omnium te quotquot sunt mortalium esse contemptissimum, peccatisq; onustissimum & peregrinum ac vagum, & quem sola tantùm miseratione adducti, ij qui priores te, se à seculi hujus curis avocarunt, sibi in Societatem adsciverint, studiosè operam dato, & omnium novissimus sis, ac omnium servus, quando istâ unâ ratione veram tibi ac solidam gloriam paries. Hæc Basilius.



CON-

CONSIDERATIO X.

Mancipij Religiosi conditiones, ex mancipij Civilis conditionibus petitæ.

1. SIve naturâ, sive fortunâ, sive arbitriô, quis mancipium fiat nihil refert: oportet eum nihilominus mācipij cōditione ac jure vivere. Et Religiosus ergo quocunq; tandem nomine mancipium Religionis evadat, mancipii conditiones ut expleat, statusquè istius sui semper meminerit opus est.

2. Harum conditionum Prima est: Honor & veneratio omnium fratrum: quos ideò honorare & venerari debet Religiosus: quia Domini ejus & benefactores sunt. Ille autem omnium servus. Et hoc intelligere atq; facere debet non tantùm Prælatorum & Seniorum respectu, sed respectu omnium omnino, etiam rudissimorum, etiam recentissimorum, omnes enim illi filii sunt (sic persuasum habere debet Religiosus ex suâ parte) solus ille servus & vile mancipium omnium, propter serviendum omnibus, tam ante se in Religione viventibus, quàm post se venturis admissum. Nullum ergo debet contemnere, nullum carpere, nullum lædere, nullum judicare non verbo, non facto, non signo, non corde. sub omnibus esse debet, honore omnes prævenire, quia hoc mancipij conditio poscit.

3. Altera conditio est: Supportatio morum alienorum seu fraternorum: Mancipium suffert, sustinet, devorat mores & morositates omnium sive Dominorum, sive filiorum, sive amicorum ac familiarium. Sint Domini discoli, sint carnales, sint filii Dominorum insolentes, importuni, offensivi, vexantes, sine causâ servum, & percutientes servus tamen omnia suffert: (maximè quando servus ex charitate est, quia charitas patiens est & omnia sustinet) omnia excipit, omnia supportat, nemini malum pro malo reddit: Implet illud Apostoli Petri: servi obedite Dominis vestris, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis. Hæc enim conditio servorum est.

4. Tertia conditio servi est: servitii exhibitio, nemo enim servum gratis servat, sed A ut servitio ejus atq; obsequio utatur, & utatur in omnibus pro suo arbitratu: Ideo servus semper esse debet paratus, semper vigilans, ad omnem motum, nutum, jussionemquè Domini: quandocunq; jubet, quidcunq; jubet, juxta illud Domini dictum: Beatus seruus quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem, quam etiam ob rem Dominus servis præcipit. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: B alibi quoq; idem hortatur servos, ut sint parati, ut Domino sive in 2da, sive in 3tiâ vigiliâ venienti & pulsanti, confestim aperiāt. Religiosus ergo si mancipium se esse agnoscit, servire debet omnibus, qui domi sunt, & obsequia illis præstare, omniumq; necessitatibus deservire.

5. Quarta conditio est mancipii, vilissimo loco esse. hoc est vilissima agere & obire, vilissimè vestiri, vilissimè vesci, vilissimè habitare, vilissimè compellari, vilissimè tracta- C ri, vilissimè cubare, cum vilissimis versari. Non dantur mancipio optima, præstantissima, præcipua, sed ultima, postrema, & postremò. Non accumbunt mancipia primo loco ad mensam; sed primum Domini, filij Dominorum ac amici, tum quæ ab his relinquuntur arrosa, semesa, mutila, hæc mancipio objiciuntur. Quæ filii non planè lacerant, hæc mancipio in vestem & ornatum dantur. Et Religiosi mancipii hic est status D unde illis dicitur in Regula Societatis. 25. Quisq; sibi persuadeat quòd quæ vilissima erunt ex ijs quæ domi sunt ei tribuētur. Hoc Spiritu P. Consalvus Sylveria, cum omnibus fratribus ministrasset, ipse ultimus cum mancipio Æthiopico reliquias aridi & cibarii panis sumebat. Hic spiritus etiam in Evangelio à Christo est intimatus, *Lucæ* 17. 7. ubi Dominus sic ait: *Quis vestrum habens servum arantem & pascentem, qui regresso de agro dicat*

illi:

illi: Statim transi, recumbe, & non dicat ei, para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi, donec manducem & bibam, & post hæc tu mãducabis & bibes. Et quod Christus dicit de cibo, hoc sanè intelligere par est, de omni alio officio: in quo postremas esse mancipii partes nullus relictus est locus dubio. Quisquis ergo mancipium Religiosum est, hoc ei spiritu in Religiosâ domo vivendum est.

6. Quinta conditio mancipii est. Desperatio vel nonsperatio, mercedis, laudis, quie- A tis, gratitudinis. Solvetur aliis merces ut operariis, præstabuntur beneficia & benevolentiæ signa ut amicis, recondentur opes & relinquentur hæreditates ut filiis, agentur gratiæ aliis ut benè meritis, & rectè officio functis, requies & solatium indulgebitur, ut indigentibus & fessis, mancipio nihil horum fiet: Testis est Christus Dominus in Evangelio loco proximè allato, ubi mox subdit v. 9 *Nunquid gratiam habet servo illi, quia facit quæ ei imperaverat? non puto,* & addit ad suos servos converso sermone Dominus IE- B SUS: *Sic & vos, cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Audi hæc, Religiosum mancipium, & hunc spiritum imbibe: non sibi laborat mancipium, non sibi fatigatur, omnis labor mancipii, omnis industria, omnis fructus, non est mancipii sed Domini, quia si ipsummet mancipium quantumcunq; est, totum Domini est, quantò magis ea quæ à mancipio fiunt. Si arbor Domini est, & fructus ejusdem erunt. Unde est Regula Iuris de Religiosis: Monachus quic- C quid acquirit, non sibi sed monasterio acquirit, & causa est, quia non suus, sed monasterii est.

7 Sexta conditio mancipii est: Humillimus domi status: per se id patet, quis enim domi mancipio vilior: vix jumentis præponitur, sæpè & postponitur. Nunquam mancipio venit in mentem primi loci & primarii status in domo. Nunquam cogitat (multò minùs desiderat) se fore domi aliquando primum, se forè domus Dominum & hære- D dem. Filii ista cogitant, ista sperant. Servus ad hæc aspirare non audet, incapax horum, sicut est ita, & sibi videtur. Suam hæreditatem semper fore conijcit, culinæ obsequia, stabuli ministerla, sordium purgamenta, omnia uno verbo servilia & vilissima. Hoc spiritu esse præditum debere Religiosum mancipium nullus dubitat, nisi qui aut statũ mancipii, aut se mãcipium esse non cogitat.

8. Septima conditio mancipii est: Modestia in officio, diligentia, fides, æqualitas. Contingit enim quandoq; servum præponi filiis, & velut Pædagogum vel Procuratorem domus fieri, quomodo Iosephum Phutiphar in Ægypto universæ domui suæ præfecit. quomodo in Evangelio dicit Dominus: *Quis putas fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram.* Dum ergo hoc cõtingit, ut scilicet præficiatur à Domino servus familiæ Domini: non debet extolli, immo nec esse quasi unus ex eis, sed debet esse omnium servus, omnium necessitatibus in tempore, in mensurâ, in charitate, in benignitate deservire, omnes ut suos Dominos, Domini sui certè filios fovere, curare, educare, tractare, vestire, alloqui, honorare. Omnium infirmitatibus compati, & providere. omnium successibus adgaudere & gratulari, omnium securitati & indemnitati, prudenter, diligenter, fideliter plenè, modestè prospicere. Omnibus æqualem curam, habita indigentiæ cuiusq; ratione impendere. Servus familiæ præpositus si talis non fuerit, non inter fideles & prudentes, sed inter malos & nequam computabitur.

9 Octava conditio mancipii est. Perpetua status sui servilis memoria. Mancipium enim quidquid agit, patitur, iubetur, prohibetur, quicquid ei accidit, quicquid de eo fit, statuitur, in omnibus his, primam, adæquatam ultimam habet sive clausulam, sive satisfactionem, sive reminiscentiam, mancipium sum, ideò hæc eveniunt mihi, hæc præcipiuntur mihi, hæc exiguntur à me, ad ista adhibeor, hæc de me statuuntur. Hæc status memoria, mancipium solatur in duris, continet in officio, deijcit ad abjecta, timorem & reverentiam omnium docet, contentum omnibus facit, sufferre alienas omnes morositates cogit, omnibus subdit, patientem, humilem, modestum, taciturnum, observantem nutuum præstat. Quid enim præsumat, & quo se se non deijciat mancipium?

10. Has conditiones in se se dispiciat Religiosus omnis, quisquis mancipium se Religionis suæ agnoscit. Ad hanc limam & libellam exploret omnis Religiosus virtutem suam, spiritum suum, perfectionem suam, soliditatem, quot gradibus deficiet, tot sibi ad perfectionem mensuras deesse noverit. O si hic Spiritus inter Religiosas personas reflorescat, quàm longè alia esset facies communi-

munitatum Religioſarum. Sed tu qui hæc expendis à te ipſo primum incipe, hunc Spiritum imbibe, & eum tibi ubi ſatis ſuperque familiarem feceris, in aliis etiam propagare contende.

CONSIDERATIO XI.

Mancipij vita, â Religioſo mancipio vitanda.

1. Perſpectis & conſideratis virtutibus ſeu conditiobus boni mãcipii, quas à Religioſo etiam mancipio cu rari, haberi, & Dominæ ac Matri ſuæ Religioni oportet exhiberi, utile eſt etiam vitia mancipiis ineſſe ſolita expendere, ut ab ijſdem Religioſum mancipium ſemper laboret abſtinere, aut ſi quando animo ejus obrepant, ſe ſe ſtudeat ab eis expedire.

2. Cum enim (ut etiam ſupra viſum eſt) inter Religioſum & Politicum mancipium hoc interſit, quòd huic quidem vel dura neceſſitas, vel miſera fortuna, illi verò Deus & virtus & bona voluntas mancipij ſtatum ſuperinducat: inde efficitur primum. quod civili quidem mancipio ſtatus ſuus probro ſit, & dedecori, Religioſo è contra ſit laudi & honori: adeò ut quantùm illud ex ſtatu ſuo vulgo abijcitur ab omnibus. efficitur præterea ut omne id quidquid in ſtatu mancipii cũ virtute & Dei placito conjunctum eſſe poteſt, id totum in mancipio Religioſo ineſſe; è contra verò quicquid in eodem ſtatu Dei, virtutiſq; rectitudini inimicum eſt, id totum à mancipio Religioſo procul exulare debeat, quicquid interea ſit de mancipijs Civilibus, quibus etſi vitia quoq; ineſſe non debeant, tamen ſordida plerumq; conditio illa poſt ſe ſe trahere aſſolet.

3. Unum ergo ex vitiis mancipij eſt ægrè ferrè ſervitutem ſuam, & odiſſe illam, & cupere excutere; Hoc vitium ſervis commune eſt, at Dei famulis, & propter Deum mancipij ſortem in Religioſo ſtatu complexis, ante omnia exoſum & proſcriptum eſſe debet. Abſit mancipiio Religloſo, non odiſſe dico, ſed diſplicere, ſed oneroſum eſſe, ſed non ſummè amabilem pretioſum, æſtimatũque eſſe ſtatum ſuum. Quod ampliùs perdat

A Religioſus non habet qui amorem ſtatus ſui perdidit. perdidit enim ut breviſſime dicam, omnem Prædeſtinationis ac ſalutis ſuæ ſeriem, excidit à vitæ via, excidit à teſſera æternæ beatitudinis, excidit ab eo ſtatu & loco, in quo ſolo & non alio illum Dei voluntas, (cui ſoli eſt in ſtatum vitæ noſtræ plenum jus & arbitrium, quæq; ſola nobis legem, modum, locum, ſtatum vivendi præſcribere

B poteſt & nos dum cognoſcimus, arripere tenemur, & tenere, & dimittere ullatenùs ſine præſenti certoq; damnationis periculo poſſumus) ſalvare ex plenitudine poteſtatis ſuæ Divinæ immutabiliter decrevit, Quare non amare vocationem ſuam tantum periculum eſt Religioſo, quantum & periculum eſt non amare ſalutem ſuam. vocatio quippè eſt ſalutis medium neceſſarium, à Deo homini præſcriptum, per hoc ipſum, quod homini in

C ſalutis medium ſit ordinatum, quã ordinatione, ex conſilio tranſiit homini in præceptum, ita ut ab eo medio nec ignoranter aberrare, nec ſcienter deflectere homini liceat, ſine ſalutis certò periculò. Si enim medium eſt ad ſalutem à Deo ordinatum homini; ſequitur quod abſq; illo etiam ignoranter non adhibito, ſalus obtineri nequeat, perinde ut abſq; via etiam is qui ignoranter deflectit, adfinem ſeu terminum pervenire non poteſt.

D Si verò eſt ad ſalutem tale medium in quo & non in alio Deus hominem ſalvare decrevit, ſequitur quod tam obligatus ſit homo medium iſtud inquirere amplecti & tenere. Conſtat verò ad id hominem eſſe ſub præcepto obligatum, igitur conſtare debet, quod etiã neceſſi-

necessitate præcepti obligatus sit ad statum, seu vocationem suam inquirendam, amplectendam, tenendam, & deniq; amandam. Quare sicut peccat, qui salutem suam negligit, ideò ut hoc solùm ei ad damnationem æternam, etiam secluso omni alio per impossibile peccato sufficiat, ita etiam peccat qui medium ad salutem sibi ordinatum id est vocationem negligit: adeò ut hic solus neglectus, ad perdendum eum satis sit etiam omni alio peccato secluso. Satis enim est ad damnationem deseruisse Dei voluntatem, & præsertim deseruisse in tali materiâ, qualis hæc est, Ratio nempè statûs & vocationis, quod idem est ac Ratio medii ad salutem à Deo ordinati, & ita quidem ordinati, quomodo ordinari statum certum est, nempe ut in hoc & non in alio statu hominem Deo salvare decreverit.

4. Et hoc quod in præsenti attuli, considerandum incumbit non solùm ijs qui adhuc liberi à votis, Religiosam in se se vocationem agnoscunt, pari enim periculo quoad hoc expositi sunt: sicut pari planè modo tam devotis, quàm nondum devotis medium ad salutem à Deo in vocatione Religiosâ positum & constitutum est. quare quisquis à Deo sibi datæ & ostensæ vocationis conscius est, ad eam amplectendam, & tenendam obligatus est. Obligatus inquam obligatione illa, quâ ad salutis suæ medium certum, necnon ad ipsam salutem suam obligatus est. Sed hæc exaggerare & expendere pluribus non est hujus loci. Hæc dixerim, ut pateat quàm longè mancipium Religiosum ab hoc primo mancipiorum civilium vitio debeat abesse.

4. Alterum mancipij vitium est. Omnia ad oculum facere, metu pœnæ ad omnia duci & in omnibus perseverare, extra oculum, vel pœnam si ponatur, omnia vel planè negligere, vel certè neglectim & perfunctoriè expedire. Hoc malum à mancipio Religioso abesse longissimè vult tum ipsius Religiosi animus quo spontaneo ad Religionem venit, tum ille ad Religiosorum omnium Dominus qui dixit: *Tollite iugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris: Iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Ut quid enim commendat jugum suum à suavitate, & onus à levitate, nisi ut persuadeat servis suis, non gemere sub onere, nec ab jugo refugere, sed potiùs alacriter, expeditè, suaviter illud portare, atq; in eo currere, ut pote quod & leve est & suave. Ingenuum ergo mancipium esse debet Religiosus omnis, & filiali affectu servire, sponsali animo officium mancipij exequi. Servit enim filius, sed servit quia amat, servit sponsa sponso, servit amicus amico, sed quia amat, servit quia delectat servire, servit quia præmii loco habet, quod sinatur ac jubeatur servire, servit qui a pœna illius esset, & iræ signum excludi à ser-
A vitio, non advocari ad serviendum, servit ergo quia amat, servit propter amorem, servit cum amore. Talis esse Religiosus omnis debet in omni opere suo, quodcunq; sit, sive vile sive speciosum, sive ad voluntatem suã, sive repugnans voluntati, sive imperatum, sive sponte propriâ susceptum sit. Decet enim ut Deus sit illi omnia in omnibus atquè ut quocunq; fertur amore feratur: & sit mãcipium amoris, sit servus dilectionis, sit jumentum charitatis.

6. Tertium mancipij vitium: Angustè
B facere, & nonnisi imperata: supra hæc audere vel præsumere nihil. Hoc vitium ab ingenuitatis defectu manat, ab angustia servilis & illiberalis animi profluit. Mancipium Religiosum, ingenuitatis est partus, & liberi liberalisq; animi proles. Ultra imperata audet, Magnificè, ingenuè, libere, liberaliter, prodigé, profusè servit, non computat calculis facta, adhuc ista perficit, & quænam alia imperentur attendit: Imperia non exspectat sed prævenit, signa & voluntatis nutus sufficiunt, supra imperata erogat spontanea
C liberalitate cum Deo certat. præmia non aspicit, non expectat, non sperat.

7. Quartum mancipij vitium est, conqueri, murmurare, obloqui: Hoc malum à mancipio Religioso exulat, sponte enim mancipium est, ultro adversa amat, sponte dura quærit, amara cupidè exsorbet, oblata arripit avidè, absentia investigat studiosè, his pascitur, his nutritur, his saginatur. Et quomodo in his murmuret? quomodo obloquatur alicui, cum se omnibus pejorem putet &
D norit? quomodo malè sibi esse doleat, qui solum id dolet quod malus sit? quomodo miseriam incuset, cui miseriæ in deliciis, deliciæ in miseriis propter Deum computentur? quomodo de neglectu & contemptu sui contentus, non sit, qui elegit abjectus esse in domo Domini, & amat nesciri, atque cupit pro nihilo reputari? Non est ergo Religiosi mancipij conqueri ac murmurare, sed omni fortunâ contentum esse, deq; solis prosperitatibus & commodis quod non desint angu-

stari

stari. Optimis namq; Religiosorum, mentibus magis horrori sunt commoda vitæ & temporis hujus, omniaq; solatia creata, quam incommoda & adversitates. Quippe illis dictum est. Omne gaudium existimate fratres cum in varias tentationes incideritis, A Tribulatio enim patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Beatus enim qui implevit desiderium suum ex ipsis adversis, non confundetur talis, cum loquetur inimicis suis in porta. Servit ergo mancipium Religiosum servitutem lætam jucundam, amœnam, quippe illi ipsæ adversitates inter oblectamenta sunt; servit Domino in timore, & exultat cum tremore filiorũ, servit sine querelà, sine scandalo, sine contradictione, sine murmure, sine angustià quia dum servit regnat, dum mancipium est, liberè agit, dum infirmatur tunc potens est, dum humiliatur, extollitur, dum mortificatur, vivit.

CONSIDERATIO XII.

Religiosi mancipij affectus, & studia, & proposita.



HÆc Consideratio proponit particulariùs quid animi par sit haberi, quid præ oculis semper versari debeat Religioso mancipio, & quibus affectibus cor suum perpetuo fovere atq; occupare.

1. Agnoscet Religiosus, se esse mancipiũ Dei naturale ob creationem. IESU Christi ob redemptionem, insuper etiam Virginis Matris ob perpetuam beneficiorum perceptionem: ex hoc verò fonte triplici, agnoscet se se factum Deo ita voluntate Religionis quoq; mancipium; ita ut pro certo sibi persuadeat se mancipii tributum Domino Deo, & Iesu Christo, & B. Virgini per hoc pendere quod Religionis sit mancipium, omniaq; faciat ac sustineat quæ hunc mancipii Religiosi comitantur statum, ob quod etiam tum Dei volũtati, tum suæ etiã obsequẽs volũtati, Religioni se in æternum tradet mancipium.

2. Hac positâ persuasione atq; in animo firmiter collocatâ, Religiosus excitabit in se perpetuo competentes affectus, practicasque faciet resolutiones mancipio proprias hujus vel similis generis.

Servus sum & mancipium Religionis Societatis IESU, amo hunc statum meum, amo hoc jus societatis super me, amo illius dominatum super me, & fateor immo cupio ut illa me tanquam Domina servum tractet, me utatur, me ad omnia servitia & servilia adhibeat. Ego autem hoc & non alio jure, in eadem sanctà Societate vivere & mori sum paratus, ex animoq; cupio B

Nolo unquam mei juris esse, nolo independenter quidquam facere, appetere, cogitare, ordinare, habere, neq; solum nolo, sed non possum, sed mihi tanquam illicito omni eo interdico

Omnia bona Dei quæ sunt in me, naturalia & supernaturalia, potentias & Actus, & quidquid tandem vel ego sum vel ad me pertinet, nolo esse mea, agnosco non esse mea, C sed post Deum agnosco illa Religionis esse & fore semper, Religionemq; his tanquam suis ornari, ditari, uti ad libitum suum debere ac posse. Volo nũquam aliter à Religione nisi tanquam servus à Domino tractari, jumenti loco haberi, sic mihi imperari, sic me teneri, sic æstimari, sic regi, sic vestiri, sic ali, sic curari, quomodo à Dominis mãcipia tractãtur.

Societatis est imperare mihi vilissima, contemptissima, postrema, crudè, asperè, morosè, D sine ulla spe, sine ulla gratiarum actione, sine ulla memoria & reputatione; sine respectu: meum autem est omnia jumenti & mancipij more sensuq; subire, sustinere, obire, perpeti & facere. sine ulla displicentia, morà, disgustu, differentià, difficultate, alligatione ad tempus, locum, socium, modum, superiorem, ullamve aliam circumstantiam, à quo-

à quocunq;, qualitercunq;, quandocunque, quidcunq; mihi imperatum fuerit, totum id simpliciter, patienter, constanter, finaliter, perficere.

Nolo ab ullâ re eximius & singularis excipi unquam, nolo haberi rationem mei in ullâ re omnibus communi, ob ullam conditionem, officij, ætatis, meriti.

Cupio nulli unquam officio, negotio, personæ præfici quantum ex me est; quod si præficiar & præesse cogar, obediam quidem, sed ut mancipium fratrum meorum, quibus in officio non præesse, sed subesse, atq; per ipsū superioratum servire, nec non quasi unus ex eis, vel etiam inferior eis esse curabo.

Cupio & contentus esse volo, immo ob mācipij statum debeo, omnes meas operas in Religione parvi fieri oblivioniq; tradi ab omnibus. Nullamq; mei corporalem curam haberi in necessitatibus morbis, defectibus, morte, sepulturâ.

Nec cupio, nec possum Religionem mihi ad quicquam obligare: sed quidquid illa mihi vivo & mortuo præstabit, id totum faciet ex propria suâ voluntate, nullâ ad me obligatione, quomodo mancipio aut mendicabulo præstatur gratia, à benefactoribus, & non aliter.

Nullum processum, procedendive mecum modum Religionis, Superiorum, Fratrum, volo molestè ferre, qualiscunq; tandem ille futurus sit, dummodo ex meâ parte peccaminosus manifestè non sit.

Statuo firmiter ac propono, in Societate, neq; gradum, neq; officium (nisi forte aut vilissimum aut molestissimum mihi) neq; ullam excellentiam, apparentiamve, neque ullum ad hæc, ducem, medium, neq; ullam commoditatem, immunitatem, exemptionem curare, & quoad in meâ potestate erit etiam admittere, id enim mancipii statum dedecet, non tantùm appetere, sed etiam cogitare.

Statuo firmiter ac propono, nunquam cōtra institutum, & Regulas, & Ordinationes, etiam minimas, verbo aut signo in Societate expressas quicquam facere, easve advertenter & scienter, domi ac foris transgredi.

Statuo nunquam contra Superiores, mediatos immediatos, & ipsorum officiales sentire, murmurare, conqueri, eorumve mentem ac imperata detorquere, vel contra ea sentire, loqui, scribere disputare, facere, sed volo omnium voluntatis merum & verum mancipium atq; jumentum esse.

Statuo propter linguas, censuras, irrisiones, sarcasmos,, displicentias aliorum inordinatas nihil debitorum in Religione omittere, nihil vetitorum committere, nihil à me propositorum negligere, nullis aliis respectibus, præterquam gloriæ Dei, boniq; communis ac perfectionis instituti, & profectus mei gubernari, inq; omnibus actionibus meis eos A solos fines, qui Deo placent, & Societatis perfectioni prosunt spectare. Esto debeam ab aliis, multis vel paucis, majoribus vel minoribus sugillari, carpi, traduci, & variis contemptibilibus atq; pungentibus nominibus appellitari.

Statuo semper indifferens esse quoad Socios, superiores, collegas, munia, loca, mansiones, tempora, & alias quaslibet res & rerum circumstantias.

Statuo nunquam propter pœnitentias atq; B pœnas & reprehensiones, quibuslibet erroribus defectibusvé culpabilibus, & inculpabilibus quocunq; modo, justo, injusto, rationabili, inordinato, blando, amaro, simplici, exaggerativo, moderato, impetuoso, compassivo, & insultativo, privato, publico & infamativo, mihi inflictas & injunctas conqueri murmurare, contendere, eas aliis narrare, de ijsvé tristari, aut satisfactionem & restitutionē famæ requirere. Imò statuo pro omnibus afflictionibus & pœnis mihi compositis, præcipuè verò quæ mihi, vel in modo, vel in C substantia injustæ videbuntur gratias Deo & autoribus earum agere, pro ijs Deum orare, nullam ab eis aversionem fovere, nullam ostendere. Nullam rationem & excusationē, pro me apud superiorem afferre.

Geram me semper in Religione ut mancipium, ut servus, ut jumentum, ut vilissimus, ut postremus omnium. omnibus cedam, omni primatu & prærogativa etiā in minimis absq; affectatione, & cum vera animi ad omnes reverentia & submissione, ac si verè juxta Sanctum Basilium ex mera miseratione D Fratrum Patrum receptus Religione essem & in ea hactenus detinerer, & ac si ad serviendum omnibus in omnibus admissus deputatusq; essem.

Hoc dictamine: (Ego sum mancipium Societatis, & omnium ejus Filiorum) regi semper volo in omnibus, semperq; habere illud præ oculis diebus vitæ meæ omnibus. Superioribus verò in primis qui mihi quocunque modo præerunt, dabo semper jus super me plenum, ut me exhibeant, & utantur ad o-

mnia

mnia (præcipuè viliora, difficiliora, & quæ alii refugiant) absq; ullo respectu & cunctatione.

3. His similibusq; propositis & affectibus oportet animum Religiosi mancipij plenum, & prorsus saginatum esse, eaq; semper in & pro omni occasione in corde, memoria, affectu oculisq; habere, ad quod proderit non tantum præmissas supra considerationes expendere, non tantùm hos affectus prædictos relegere & ad cor demittere, sed etiam in hoc Spiritum Religiosi mancipij aliquod tempus quotidie exerceri, ita ut in singulos aliquot A mensium dies supra dicta & expendantur, & practicè multiplicatis actibus exerceantur, quo animus planè huic spiritui & dictamini assuefiat eo imbuatur, facilitatemq; & delectationem ac habitum contrahat.



CONSIDERATIO XIII.

Mancipium Religionis, non debet Religionem mancipium suum facere.



I. SUperioribus Considerationibus expensum est, quod & quale debeat esse Religiosus, quilibet Religionis suæ mancipium. Hac in consideratione dispiciendum proponitur, quod Religiosus non debeat Religionem in servitutem suam redigere. Etsi enim hoc ex prædictis patere posset, cum manifestum sit Religiosum, si mancipium est Religionis, non debere se ejus Dominum & oppressorem constituere, tamen hoc explicatius expressiusq; considerare utile erit ad mancipii Religiosi cautelam.

2. Contingit enim (ac utinam rarò) Religiosos, pro eo quòd Religioni servire, & ejus mancipia esse debuerunt, commutata vice Religionem fecere suam Ancillam, servam, & mancipium. Et contingit hoc ab eis (quod indignissimum est & absurdum maximè,) & plurimùm, qui vel contemptissimi in seculo fuerant futurive erant, & per Religiononem aucti atq; honoratiores redditi sunt, vel qui plurima beneficia à Religione receperut, plurimumq; ob id Religioni debitores facti sunt, vel qui minimum in Religione laborant vel qui acceptis à Religione bonis ac talentis, propter ea ipsa à Religione adorari, per eaq; ipsa Religionem opprimere, illi graves esse audent.

3. Solent autem esse graves multis modis, quorum aliquos expendi hoc loco utile erit.

Aliqui ergo solent esse Religioni suæ graves, quia peccare volunt, puniri nolunt, deficere à Regulis licere sibi volunt, pro defectibus pœnas sibi imponi nolunt, indignan- B tur.

Aliqui graves sunt Religioni suæ per hoc, quia immunitates, particularitates, commoda singularia, exigunt. Idq; aliquando prætextu laborum quos pertulerunt olim, aliquando eorum quos in præsenti perferunt, aliquando nec istorum, nec istorum causa, sed tantum suæ superbiæ & autoritatis causâ, quia illi sic volunt, & sibi deberi putant.

Aliqui graves sunt per hoc, quia regi se C non sinunt, nisi prout volunt. Non possunt loco, non officio moveri, nisi quando ipsi volunt, non possunt mitti, nisi quò & quando volunt. Non possunt manere, nisi ubi & cum quo volunt.

Aliqui graves sunt per hoc, quia Superiores sua autoritate premunt, premunt autem resistendo, intercedendo, defendendo discolos, partes & factiones tenendo, cum Superioribus altercando, eis derogando, refugium D se aliorum & patronos faciendo, aut etiam in officium & regimen eorum se se ingerendo, de his quæ domi fiunt indagando, & colloquendo.

Aliqui graves sunt per hoc, quia male, indisciplinatè, laxè, sensualiter quà domi, quà foris, scandalosè vivunt, versantur, loquuntur, & in his omnibus incorrigibiles sunt: omnia vel negant, vel excusant, vel extenuant

ant, in alios detorquent, invidia & odio sui se accusatos dicunt, observari se & infamari queruntur, opprimi murmurant.

Aliqui graves sunt per hoc, quia subdole, politicè, fraudulenter omnia vel plurima, domi ac foris agunt, cum externis componunt causas suas, extremis magis fideles quàm Religioni, ad externos evulgant quæ domi fiunt, informant, subordinant intercessiones, literas, munuscula pro se, ut mittantur ad eos, ne moveantur loco.

Aliqui per hoc sunt graves, quia sibi non Religioni amicos parant, immo Religioni & aliis ejus personis inimicos faciunt: avertũt eorum beneficia & animos à Religione.

Aliqui graves sunt per hoc: quia se in omnibus excusant, neq; sunt contenti manere in loco, officio, cum personis quibus conjuncti sunt, sed ubiq; inveniunt quod illis incommodum sit: & quod opponant obedientiæ vel indifferentiæ.

Aliqui graves sunt per hoc, quod alios exemplo suo tepidisq; dictionibus & moribus tepidos & laxos faciant, & à fervore, à rigore, à fidelitate, à disciplinæ amore, avocent.

Aliqui graves sunt per hoc, quod sint meliorum irrisores, contemptores.

Aliqui graves sunt per hoc, quia sunt murmuratores, seminatores discordiarum, aulici, politici, astuti, insinceri, adulatores, & talium omnium socij atq; profectores.

Aliqui graves sunt per hoc, quia sunt mercenarii, nihil facere volunt, nisi statim merces adsit, commoditas sensualis, recreatio, poculum &c.

Aliqui per hoc graves sunt, quia sunt in moribus morosi, molesti, quandoq; sordidi, inculti, tenaces, inurbani, nulli in ulla re satisfacere volentes ac soliti, ab omnibus satisfactionem exigentes, quales sunt qui omnia ad se nitidiora, commodiora, copiosiora trahunt, de aliis nihil solliciti, immo in alios rigidi: tales sunt etiam qui v. g. libris incubant, quos nec ipsi legunt, nec aliis utendos dant &c. Qui aliorum obsequiis in communitate utuntur, aliorum laboribus vivunt & abutuntur, ipsi nihil in bonum commune laborare volunt, qui cum omnibus abundent in Religione commodis, Religioni domuivé ne in gravi quidem necessitate prodesse, operamve suam cõmodare dignantur.

Aliqui per hoc graves sunt, quod nullum sibi parem velint esse, nullum putent, sed se super omnes vel pares omnibus, omnibus se muniis pares, omnia sibi deberi, jactant suos labores, experientias, munia, annos, &
A per ista alios premunt, atq; infra se ponunt. Omnia ad se trahunt, omnia per se, perque suas manus tractari volunt, soli conversari, soli nosci, soli præeminere, soli videri, soli consuli, soli audiri ab hominibus, & adire homines præsertim majoris notæ volunt, alios ab hoc arcent, impediunt, & apud externos iis detrahunt, atq; adimunt opinionem doctrinæ, virtutis, laborum ætatisq; in Religione. Quo in genere sunt etiam zelotypi o-
B perarij: qui in devotis devotabusq; zelant, usq; ad mutuas detractiones, & ad externorũ scandala atq; irrisiones.

4. Tales & his similes Religionum suarũ sunt Tyranni & Domini, quibus utinam Religiosæ domus & communitates, quandoque non abundent: reperiuntur certè quandoq; & hi sunt Religionum suarum, quibus subesse debuerant & servire cum omni humilitate & subjectione cõtemptores, sunt hostes,
C sunt tineæ, sunt fures, sunt peculatores, sunt oppressores, & Tyranni. Hi matris suæ Religionis sunt genimina viperarum, viscera genitricis suæ rodentia & exedentia. Hi sũt corruptores juniorum, quos exemplis & dictaminibus suis depravant, & depravatos in Religione adolescere faciunt. Sicq; Religionem improbo fetu implent, ut tandem aliam se esse quàm fuerat, scilicet collapsam disciplisq; & indisciplinatis, scandalosis & impro-
D bis plenam agnoscat, & modum tantæ ruinæ instaurandæ non reperiat. Horum talium omnes supra enumeratos mores fugiet omni conatu, quisquis verus Religiosus esse, quisquis Religionem sartam, tectam, & salvam integramq; ac sui vigoris retinentem videre, atq; etiam pro sua parte facere vult. Talis autem est, quisquis spiritu mancipii Religiosi in Religione vivere contendit.



CON-

CONSIDERATIO XIV.

Religiosus tradat se se Religioni in mancipium.



1. Modus tradendi se se Religioni in mancipium est ille unus substãtialis, per Votorum Religiosorũ emissionem, quà homo exit de potestate non tantùm seculi, sed etiam arbitrii sui, efficiturq; civiliter mortuus ac totus alienæ possessionis, videlicet Religionis, atq; mediantè Religione Dei, cui uni principaliter & ultimate homo per Vota consecratur & devovetur, propter illum verò etiam Religioni addicitur, & totus ei traditur.

2. Quamvis autem hic modus evadendi Religionis mancipium, satis efficax sit ad hoc efficiendum, quia tamen ille modus omnibus quidem communis & ad hanc mancipii effectionem planè necessarius, non est expressus, neq; hunc affectum mancipii in Religioso Vota emittente facere solitus, idcirco qui hoc spiritu mancipii in Religione vivere cupiunt. expedit illis ut aliqua peculiari formulà expressiore se se totos in mancipia perpetua Religioni tradãt. Non A ut specialem & novam aliquam super se obligationem inducant, quàm ex vi status Religiosi Votorumq; emissorum non habeant sed ut spiritum hunc heroicum partim concipiant & imbibant, partim Deo Religionique contestentur.

3. Ad quod proderit, tùm supra positas considerationes accuratè expendere, tùm sequentem modum seu formulam cum aliquãtula celebritate Deo & cœlesti ejus curia teste concipere atq; recipere, ac per eam se se B Religioni in mancipium vel devovere, vel devotum recognoscere atq; declarare: assumpto etiam, si ita fors expediat, memoriæ causa aliquo occulto signo, quo homo Religiosus, salubrem hunc mancipii spiritum, in se se possit quotidie, & sæpius in diem exsuscitare & propagare. Potest verò esse hic, vel similis.



Modus tradendi se se in mancipium Religioni.

DEUS dignissime cuius omnia sunt, quæ creata sunt, & qui omnibus creaturis iustissimè dominaris: Agnosco te Dominum absolutum meum, meq; mancipium tuum esse. Agnosco item coram te, propter te, esse me mancipium Domini quoq; mei IESU Christi Dei-Hominis, similiterq; eius Pretiosissimæ Parentis MARIÆ Virginis. Complaceo mihi in hoc mancipii ac iumenti apud te Deum meum, & IESUM Christum, & Pretiosissimam Parentem statu: nec ullatenùs ab eo liberari volo, aut vellem etiamsi per impossibile possem. Cæterum propter Te Domine Deus meus, & propter dignissimam IESU Christi Humanitatem, propterq; P. Parentem MARIAM, Societati quoq; IESU, Matri, seu verius Dominæ meæ, in tuo & IESU Christi, & P. Parentis conspectu, me hodie in perpetuũ servũ, mancipiũ, Iumentũq; offero, dono, dedico, & quavis meliori C ratione mancipo atq; consigno: ut Societas IESU Domina mea, me tanquã servo suo uti, tanquam mãcipium possidere, tanquã iumẽtum tractare possit & valeat. Ego autem hoc jure & nullo alio in eadẽ S. Societate vivere & mori paratus sum, & ex animo cupio: ad purũ gustũ volũtatis tuæ Divinæ, Domine Deus meus, ad exaltationẽ IESU Christi Domini mei, ad Honorem P. Parentis MARIÆ Virginis Dominæ meæ. Amen.

DE SOLIDITATE VIRTVTIS In Religioſo Societatis IESU requiſitâ CONSIDERATIONES.

LECTOR

Hæ Conſiderationes, quas hîc legis, ſuper Regulam 16 Summarij de ſolidâ Virtute, in homine Societatis requiſitâ, ſunt numero 23. ita in 9. dies diſpoſitæ, quibus mos eſt in Societate Collectioni Spiritûs vacare, ut ternæ ſingulis diebus deſerviant, atq; ad Meditationes horarias aſſumi poſsint.

Omnes qui ſe Societati addixerunt, in Virtutum ſolidarum ac perfectarũ & Spiritualium rerum ſtudium incumbant ac in hujuſmodi majus momentum quàm in doctrinâ vel alijs donis naturalibus & humanis, conſtitutum eſſe ducant: illa enim interiora ſunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propoſitum oportet. *Reg: ſumm: Conſt: 16. ex parte Conſtit: 10, § 2.*

DIES I.

Præambulatorias habet Conſiderationes de ſolidâ virtute 1. Rimatur ſenſum Regul 16. 2. Naturam inſpicit virtutis ſolidæ. 3. Mentem S.P. Ignatij & Societatis aperit inexigenda à ſuis virtute ſolidâ.

CONSIDERATIO I.

Continebit hæc Conſideratio diligentem perpenſionem Regulæ ſupradictæ, perpendentur enim ſingula ejus verba: præcipuè uerò hæc quinque præ oculis habebuntur.



1. Uòd hæc Regula omnibus omnino, ſerviat ijs, qui in Societate vivunt, incipiendo à primi anni Novitiis, uſq; ad extremè veteranos: omnes ſiquidem iſti, ſe ſe Societati addixerunt, & quidem Veterani magis quàm Novitii: proinde etiam Veteranis incumbit magis eam Regulam vitâ ſuâ exprimere, quam Novitiis, quod an re ipſa in nobis ſit, erit ſine palpatione acriter in conſcientia propria, à quolibet diſpiciendum, dijudicandumque.

2. Quòd hæc Regula præcipiat omnibus Societatis hominibus ſtudium, ſeu diligentẽ & indefeſſam curam (id enim vox ſtudii, &

incumbendi sonat) non cujuslibet rei, sed
virtutum; nec quarumlibet, sed solidarum,
ac perfectarum, & deniq; generatim omniũ
rerum spiritualium instituto congruentium.
Quod præceptum, quàm sit expressum quàm
rationabile, quàm Evangelicum, quàm Insti-
tuto congruum, quomodo à primis nostris
Patribus executioni mandatum: quomodo à
nobis manderur aut mandandum sit; accura-
tè itidem & absq; dissimulatione est introspi
ciendum, firmaque proposita & particula-
ria, designatis occasionibus & modis atque
téporibus,& aliis circumstantiis, ad ejus Re-
gulæ observationem plenam concipienda.

3. Quòd Regula præcipiat,istiusmodi stu-
dium virtutum solidarum & perfectarum,
à Societatis hominibus præferri omnibus a-
liis rebus atq; mediis (post Deum) sive sint
hæc, scientiæ atq; doctrinæ qualescunq;, si-
ve sint dona naturalia, ut ingenium, Iudici-
um, talentum gubernandi, concionandi, do-
cendi conversandi,sive sint aliæ dotes huma-
næ, rationesq, politicæ, ut sunt forma, ge-
nus, officia, experientia, aptitudo, gratia &
favor externorum vel domesticorum, Supe-
riorum, vel graviorum virorum, spes promo
tionum ad hæc illavè studia, officia, gradus
loca. Quibus omnibus tunc præfertur studi-
um virtutum solidarum à Societatis homine
quando prius virtutes, quàm illa, quærit,
quando plùs virtutes, quàm illa, quærit,quã-
do virtutum cultum, propter illa non negli-
git, quando istorum curam, ad virtutum cul
turam perfectionemq; dirigit; quando ab a-
liis abstinere abstrahive sine perturbatione
mentis, sine querelis, sine murmuratione, si-
ne amaritudine & melancholia, contentissi-
mus est, quando illa in se non agnosci, sibivè
ea derogari, vel illa in se negligi deprimivè,
pacatè fert vel gaudet, non ignavia aut labo
ris fugá sed humiliationis sui studio. Hos si-
milesq; mores, an in te ipso deprehendas, an
verò his oppositos experiare, sine dissimula-
tione inspice, ac quantum poteris, accuratè,
serióq; ad emendationem tui tecum contra
te conspira,invocato ad id auxilio gratiæ Di-
vinæ.

4. Quòd Regula præcepti sui rationem,
det sanè firmissimam. Etsi enim Religioso
satis esse deberet ad hoc studium Virtutum,
solidarum persuadẽdum, ipsius Regulæ mẽs:
quæ est planè ac verè mens Societatis univer
sæ, immo mens atq; voluntas Dei, cui non,
obsequi nefas est: tamen etiam ratione con
vincit evidenti intellectum, consequenterq;
voluntatem, ut ita omnino studia sua ordi-
net, primùm nempè ad solidas virtutes pa-
randas, deinde ad alia naturalia præsidia con
quirenda. Ratio autem istiusmodi est,quia
nimirum Virtutes solidæ ac perfectæ, itemq;
res spirituales sunt interiora interioris homi
nis bona, magisq; ad animi bonum pertinet,
A quàm doctrinæ vel alia naturalia bona. di-
ctat autem ratio, quod sicut animus corpori,
ita & bona animi præstant bonis corporis:
& sicut spiritus naturæ præstat, ita etiam bo-
na spiritualia bonis naturalibus præstant. di-
ctat etiam consequenter ratio, quòd prius &
magis curanda sint bona animi quàm corpo-
ris, bonaq; spiritûs quàm naturæ. Et cum
Virtutes solidæ ac perfectæ, resq; spirituales,
sint animi & spiritûs bona, magis quàm do-
ctrina, vel alia naturalia; relinquitur, priùs
B esse & potiùs curandas Virtutes solidas resq;
spirituales, quàm doctrinas, & alia quælibet.
Cui accedit illa alia ratio, quòd illa sint bo-
na diligentius curanda, quæ sunt anima ali-
orum bonorum, & sine quibus alia bona nõ
sunt bona, sed potiùs vel inutilia, vel etiam,
periculosa, ac damnosa. Sed virtutes solidæ
ac perfectæ, resq; spirituales, sunt anima,
sunt vita, sunt vigor, sunt pretium & valor
omnium aliorum bonorum naturalium, ita
ut naturalia bona sine illis, sint tanquam cor
pus sine anima, tanquam instrumenta sine ar
C tifice, tanquam mundus sine sole: immo
sunt instrumenta superbiæ, avaritiæ libidi-
nis, aliorumq; scelerum incentiva, ut in e-
xemplis infinitis patuit, in omni retro ætate,
statuq; hominum: igitur restat, ut juxta men
tem Regulæ, priùs & magis curentur Virtu-
tes solidæ, quàm dotes naturæ. Ubi dispici
es occulte & accuratè, an in te sit is sensus,
idq; judicium practicum de Virtutibus ac
naturæ dotibus: an verò speculativè quidem
id scias, & asseras, practicè verò in occasio-
nibus opposito modo te geras: ac si ita in te
D inveneris: corrige errorem tuum deinceps
& occasiones practicas ab experientia peti-
tas designa. &c.

5. Quòd Regula magis curandas solidas
Virtutes, quàm natutalia dona præcipiat, nõ
tantùm ob dictas rationes, quæ cuilibet sta-
tui hominum servire, idq, ipsum suadere
possunt, sed prætera ob rationem peculiarẽ,
institutoque Societatis propriam, quam ex
fine Societati proposito atq; proprio desu-
mit. Est enim finis Societatis (juxta Reg:

2. Summ:) non solùm saluti & perfectioni propriarum animarum cum Divinâ gratiâ vacare, sed cum eadem gratia impensè in salutem & etiam perfectionem proximorum incumbere. At incumbere in hunc finem, hoc est, in salutem & perfectionem proximorum Societatis homo nullus potest, nisi sit in solidis & perfectis virtutibus, rebusq; spiritualibus ipsemet bene fundatus: quomodo enim perfectum imperfectus, solidum non solidus in virtute, spiritualem non spiritualis faciet? immo quoniam ipse non perit cù pereuntibus, qui vires non habet ad opem ferendam pereuntibus? *Quomodo perficiet turrim, qui sumptum non habet, etiam ad ponendum fundamentum? quomodo occurret hosti venienti contra se cum 20000. is, qui neq; 10000. habet?* Lucæ 14. 28. Itaque quisquis finem Societatis assequi vult, is virtutibus solidis & perfectis præditus esse ante omnia debet, & consequenter, is in virtutum solidarum & perfectarum rerumq; spiritualium studium incumbere, in iisq; magis momentum quàm in doctrina, vel aliis hominis bonis constitu-
A tum esse pro certo habere debet, & ex illis ad ista, vim efficaciamq; derivare, ut ita tandem feliciter absq; suo periculo & damno, finem Societati propositum consequi possit. An hæc Regulæ ratiocinatio sit efficax, vide an & qualem in te locum habeat, expende, nec dissimula, sed fideliter practiceq; tecum ipse age, propone, conclude.

CONSIDERATIO II.

Quid sit Virtus solida & perfecta.

1. Virtus definitur à sapiẽtibus, quòd sit habitus quo quis bonus redditur, & nemo malè utitur. Ex qua definitione discimus. 1. Virtutem non esse quamcunq; animi ad bonum inclinationẽ, propẽsionem, motionem, neq; qualemcunque bonum actum ab homine exercitum aliquando sed esse habitum, seu assuefactionem animi constantem ad bonum aliquid, ita ut animo facilè aut etiam delectabile sit, (ex eo saltem quia facile) bonum operari, difficile autem & molestum, malum vel malè facere, quæ assuefactio atq; facilitas ad bonum, difficultas verò ad malum inducitur in actum, vel strenuis atq; heroicis, vel saltem frequentatis actibus bonis, v. g. qui se strenuè humiliat, frequẽterque, efficitur humilis, & induit habitum humilitatis, quo facilè est illi de se abjectè sentire, & se in abjectis occupare, difficile autem ad honorifica & superba aspirare. 2. Discimus tum ex definitione, tum ex modo dictis, Virtutem non solùm esse bonum quid, sed etiam per eam nos reddi bonos: ille enim bonus est, qui facilè & quasi naturale habet bene operari, hoc autem Virtus in nobis facit, ut supra expensum est. Virtus igitur nos bonos facit, est igitur & ipsa bonum, & tale quidem, ut post Deum & ejus gratiam nullum aliud sit majus &
B verius hominis bonum, nullum enim aliud bonum, facit hominem bonum, nisi sola Virtus. Divitiæ, scientiæ, honores, talenta, amicitiæ, prophetiæ, miracula v. non faciunt hæc hominem bonum ac proinde non sunt planè hominis bonum, at Virtus sine illis omnibus, facit hominem bonum: illa igitur sola est verum bonum. 3. Discimus, tum ex definitione tum ex dictis, quòd Virtus tale sit bonum, ut non solùm nos faciat bonos,
C sed etiam nec possit nos facere malos, nec possit fieri mala, qvia nemo illâ malè utitur si enim quis malè Virtute uteretur, jam non Virtus sed vitium esset, nec bonum sed malum faceret. Omnia alia bona (præter Deum) talia sunt, ut homo ijs malè uti possit, solo Deo & virtute non potest, alioqui hoc ipso nec ille Deus, nes illa Virtûs esset. Ex omnibus prædictis, discimus 4. Virtutem ut verè Virtus sit, debere esse solidam & perfectam, adeo, ut si non sit solida & perfecta, vix Virtus sit. Si enim solida non est, & perfecta, non facit hominem facilem ad bonũ, difficilem ad malum agendum, (si enim fa-

ceret

eeret, jam ſolidæ & perfecta eſſet) quod ſi nõ
fecit: habitus non eſt quo boni reddamur:
hoc autem Virtus eſt, & definitio virtutis do
cet. Ex quo, diſcimus 5. pro eodem hæc
ferè eſſe acceptanda, Virtutem, & ſolidam,
& perfectam Virtutem. Non quòd inchoata
& imperfecta Virtus, non ſit etiam virtus
ſuo modo, ſed quòd non ſit virtus adhuc ta-
tis, qualem natura virtutis & definitio in ri-
gore exigit: Virtus quippe perfectio eſt. vir-
tus autem imperfecta, nondum omnino per-
fectio eſt, alioqui perfectum faceret haben-
tem, quod quomodo faciat, cum ipſa imper-
fecta ſit? Diſcimus adhuc ex dictis 6. Pro
eodem hoc eſſe debere apud viros ſtudium
virtutis profitẽtes, virtutem quærere, & vir-
tutem ſolidam perfectamq; quærere. Nam
Virtus non eſt omnino planeq; Virtus ſi non
eſt ſolida & perfecta, uti non eſſe jam vidi-
mus igitur qui non quærit ſolidam & per-
fectam virtutem, is neque etiam virtutem
quærere cenſendus eſt. Virtus ſiquidem per-
fectio eſt; igitur virtutem quærere, perfecti-
onem quærere eſt: quoniam verò aut virtus
perfectio eſt, aut perfectio quæritur, quando
virtus imperfecta quæritur, & virtute imper
fecta animus virtutem quærentis atq; profi-
tentis contentus eſt? Agnoſce igitur ô Re-
ligioſe, qui ſi veræ Virtutis ſtudium profite-
ris, ſolidæ & perfectæ virtutis ſtudium profi-
tearis; item, ſi verè virtutem quæris, ſolidã
& perfectam quæris: nam ſi non ſolidam
quæris, hoc ipſo nec veram, nec verè virtu-
tem quæris, virtutiſve ſtudium profite-
ris, ſed aliud es, aliud profiteris, virtu-
tis naturam & valorem non agnoſcis, per-
fectionis & profeſſionis tuæ indolem, ingeni-
um non diſpicis, linguam tuam & loquelam
non intelligis. Agnoſce quàm periculosè
in imperfectionibus tuis, & in imperfectis
virtutibus hæres, quantò etiam periculoſius
virtutum aſſiduam exercitationem, perfecti-
onemq; negligis. hoc quippe ipſo quòd talis
es, virtutem non quæris nec virtutis ſtudio-
ſus es, neq; perfectionis profeſſus: ſed imper-
fectionis & nonvirtutis. Unde meritò illud
in te quadrat axioma Sanctorum: in via Dei
non progredi, eſt regredi, nolle proficere, vel-
le deficere eſt, nolle perfectam & ſolidam
virtutem, nolle virtutem eſt. Quæ ſi horre-
ſcis legere vel recolere, magis multò exhor-
reſce exercere, atq; practicè ſentire, inq; ani
ma tua tolerare. in quo ne videar tibi ſpino
ſa diſputatione atq; conſideratione voluiſſe
illudere: te ad te ipſum remitto: converte te
ad te: Virtutes tuas imperfectas, quibus ſci-
licet contentus eſſe velles, inſpice, atq; ad
experientiam tuam adhuc: cum eaq; prædi-
ctam veritatem ſeu conſiderationem confer
A & confronta. Accipe obedientiam tuam
imperfectam, facitne te illa ut nunquam, &
rarò, ut difficilè in obedientia, in autoritate
majorum tuorum, intellectu, judicio, vo-
luntate, linguâ, exercitio pecces? facitnè te,
ut facillimè intellectu, judicio, voluntate,
opere, per omnes obedientiæ leges obedias?
Accipe imperfectam tuam paupertatẽ, acci-
pe patientiam, modeſtiam externam, humi-
litatem, linguæ continentiam, ſobrietatem
in cibo & potu, caritatem proximi, &c fa-
B ciuntne te iſtæ imperfectæ virtutes, ut ægrè
his contraria perfecta committas, vitiiſque
oppoſitis careas? ut facilè actus virtutum
exerceas? ut libenter? ut connaturaliter? ſi fa
ciunt: gaude tu, & congaudebo etiam ego,
ſed tunc cùm id credam: non credo autem,
quia id impoſſibilè ſcio. Si non faciunt, ut
facere non poſſunt: fateare neceſſe eſt, te, dũ
virtutibus imperfectis contentus es, imper-
fectione contentum eſſe, periculis expoſitum
eſſe, faciliùs multò malum, quàm bonum
C eſſe, faciliùs & ſæpiùs peccare, quàm actus
bonos facere, ac proinde vitia non virtutes
habere. Virtus enim eſt diſpoſitio perfecti ad
optimum; id eſt, habitus benè operandi, fa-
cilitas benè agendi, difficultas & deſuetudo
malos actus eliciendi: quâ facilitate benè
agendi, fit, ut bonum libenter, frequenter, aſ-
ſiduè connaturaliter agamus, malum autem
ægrè, difficulter, rarò, fere nunquam com-
mittamus, ſicq; boni efficiamur, mali eſſe de-
D diſcamus & neſciamus, ſicq; virtute malè
uti non poſſimus, ſed eam connaturalem no-
bis efficiamus. Hoc an ita ſit, & practicè ſit,
agnoſcamus, quotquot ſtudium virtutis pro
fitemur, & ad ſolidam perfectamq; virtutem
omnino enitamur, neq; contenti ſimus im-
perfecta virtute, ſicut forſitan hactenus fui-
mus.

CONSIDERATIO III.

Cur Virtutum solidarum studium S. P. Ignatius & Societas à nobis exigat.



CAusa prima est Deus, idq; variis modis Primò. Quia Deus dixit, *Ambula coram me, & esto perfectus*, Gen: 17. 1 id est, homo servias mihi, & sis perfectus utiq; in Virtutibus, quia per has Deo servimus. Huic consonat monitum illud Christi Domini. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Matt: 5 46. Constat verò Deum esse solidã & perfectam Bonitatem & nos igitur oportet esse solidè & perfectè bonos, bonitate verò Virtutum, quia hæ sunt, quibus boni reddimur. Secundo. Deus dignus est, ut simus perfecti & solidi in virtute. Ut ergo nulla alia subsit causa, mihi hæc, hæc sufficere deberet ingenuo animo. Tertiò. Placitum & voluntas Dei: placet namq; Deo, & est gustabile gustui ejus, si simus solide & perfecte boni, hæc est enim voluntas Dei. sanctificatio vestra, ait Apostolus. Et quis, quæso, est talis, qui nolit Deo ad gustum & ad placitum servire? Quartò. Honor & gloria Dei quam habet Deus ex nostra solida & perfecta virtute, & ex effectibus ex ea in nos, & per nos in proximos promanantibus: in hunc enim finem Deus, & hominem condidit, & gratijs ornavit, & ad finem supernaturalem elevavit, & ad Religiosum statum vocavit, & ad professionẽ solidæ Virtutis invitavit, ut ex homine glorificetur magis ac magis, perfectionesq; suas manifestet, & bonitates communicet, & sic iterum magis glorificetur, & gloriosus appareat. Et quis invidebit hanc cõsolationem Deo? (ut sic loquar) ut nolit gaudere Deum de sua per nos, & in nobis exaltatione? ut Deus per nos magis glorificetur & occasione nostri. Quod fit, quando solide proficimus, quando ditissimi in virtute, in gratiis, in donis cœlestibus evadimus, quando ad copiosissima merita ascendimus, quando quam maximam gloriam cœlestem comparamus & meremur. Sicut enim nullo in puncto plus homo Deum exaltabit, quàm quando beatitudinem æternam possidebit, ita nullo in puncto & modò, plùs eundem etiam in hac vita exaltat, quàm quando ita in virtute proficit, ut ad quam maximam gloriam evehatur à Deo, atq; ad quam perfectissimam fruitionem pertingat Dei, non

A quia ad hanc pertingere sit bonum homini ipsi, sed quia gloriosum Deo. & quia Deus non potest se se amplius glorificare in homine, quàm per hanc fruitionẽ sui ab illo. Atque ita quantò hæc erit fruitio major, tantò Dei exaltatio in homine amplior Qui ergo se ad hanc fruitionem quantò majorem disponit. is tantò majorem Deo gloriam conquirit, disponit verò soliditate virtutis, atq; ita quantò solidiores esse in virtute curamus

B tantò magis Deum glorificamus Et quem hæc non moverit? hæc moverunt Sanctum Patriarcham nostrum, hæc movent etiam Societatem nostram, hæc & nos movere debent, saltem ab hinc, si adhuc non moverũt ut in solidarum & perfectarum virtutum studium incumbamus.

Secunda causa est Christi exemplum, doctrina, merita, dignitas. voluntas. Quæ omnia ut in IESU Christo solidissimam fuisse

C virtutem docent, ita in Christianis, in Religiosis, in IESU Sociis, non nisi etiam solidissimarum virtutum studium exigunt. Expende doctrinas & exempla Christi, & merita, & dignitatem, videbis nihil in eis non summè solidum, qualis igitur tu imitator & Socius IESU eris, nisi solidus in virtutibus esse studueris? Quod si expendas quàm Christus id velit, ut nempe proficiamus, quàm sanguineis id Votis & quam multis poscit;

D quis tam ferreus, qui in hoc Christi gratificari nolit voluntati? sanguini, morti? Sit ferreus quisquis esse vult, IESU Socius esse qui poterit? poteritné IESU Socius illam vocem surdus audire? *Si diligitis me, mandata mea servate*, Ioan: 14. 15. Et quid commemorẽ hic

hic

hic Christi gloriam, quam habet, dum solide nos proficimus? *Gaudium Domini fortitudo nostra*, 2. Esdræ 5. 10. Etiamne Christus non meruit, ut hoc illi gaudium gloriamq; non invideremus? Sanctus itaq; Pater & Societas, quia nos IESU Socios esse cupit, ideo nobis solidarum & perfectarum Virtutum studium præcipit.

Tertia causa Pretiosissimæ Parentis vita, mors, exempla, gloria: item Sanctorum omnium, item Sanctorum nostræ Societatis. In quorum omnibus moribus, nihil nisi virtutes solidæ apparuerunt. Quorum ergo tu Sanctorum istorum imitator, & socius, & frater, & cliens eris, si in virtute solidus nō fueris? quomodo tu illos glorificabis, qui gloriam illorum tuis imperfectis virtutibus, ac moribus deteris? S. P. Ignatius. & Societas nos Sanctorum æmulos, & gloriæ illorum propagatores per morum & virtutū expressionem cupit, ideo nobis studium solidarum virtutum, quales Sanctorum fuerunt, inculcat.

Quarta causa, Ecclesiæ & Societatis IESU natura, indoles, vota indigentia, finis atque vocatio, quæ omnia solidam & perfectam requirunt Virtutem in nobis Filiis Ecclesiæ & Societatis Ecclesia est fundata super firmam petram Christum: Societas quoq; super eundem. Quidquid in Ecclesia est in Societate à Deo ordinatum, totum solidum est, totum perfectum, vana, arundinea, futilia, fictilia, inflata, non admittit Ecclesia & Societas: exigit vasa auri solidi, exigit vasa electionis, exigit opera plena coram Deo, exigit aurum, argentum, lapides pretiosos: neminem vult, qui inveniatur minus habens, cujus opus ardeat, cujus domus super arenā sit, qui sit arundo vento agitata, qui sit palea igni inextinguibili comburenda, qui pascat ventos, qui sequatur aves volantes, qui sit tanquam æs sonans, & tympanum tinniens, 1 Cor. 13. 1. Tales non vult Ecclesia, non vult Societas, adeo nos vult in virtutum solidarum studium incumbere. Et quis hæc Ecclesiæ, quis Societati invideat? Invidet quisquis virtutum specie contentus, virtutes ipsas non curat. An tu ex horum numero sis, vide.

A Quinta causa nostrum nihilum, nostra vanitas, inconstantia, fragilitas, ad malum perpetua pronitas, quæ semper nos in præceps, in superbiam, in ruinam, & exitium trahit, nisi soliditate virtutum, & perpetuo cum gratia Dei labore, jugiq; cooperatione nosmetipsos stabiliamus, & solidemus, *Satagamusq; per bona opera certam facere vocationem nostrā, & in vacuum gratiam Dei non accipere* 2 Pet. 1. & 10. 2. Cor 6. 1. Metire ô studiosè virtutum abyssos nihili tui, & conjice, quantâ B soliditate perfectionis & bonitatis, illas expleturus sis, pondera quanto pondere tendas ad ima, & infra ipsa inferna, & collige, quàm ponderosa solidaq; opus habeas virtutum perfectione ad illud pestilens pondus tuum ruinam, allevies, atq; subleves, & ad superna cœlestiaq; attollas. Crede mihi homo, si id bene expendis, levicula virtute non esse tibi opus, nec qualemqualem perfectionem tibi sufficere facilè concludes. Si solidissimæ C quandoq; virtutes vacillant & cœlorum virtutes moventur, tuæ imperfectæ perfectiones non corruent? Hoc igitur cavens & curans societas, solidarum virtutum studium, omnibus perpetuò, perpetuumque commendat. Meritò id faciat? obaudire tu debeas? dispice & tandem te seriò respice. Nulli magis incumbit te solidè perfectum esse, quàm tibi, quia si fueris, hoc nulli magis proderit, quàm tibi, si non fueris, hoc nulli magis, nulliq; alteri oberit, præterquam tibi, ideo attende tibi.



DIES

DIES II.

Quæ requirantur in Virtute ut sit solida. 1. Intentio pura seu Caritas. 2. Humilitas, 3. Universalitas.



CONSIDERATIO IV.

Ad solidam Virtutem requiritur Intentionis seu Caritatis in Deum puritas.



SOlidum dicitur illud, quod est spissum, & in quo nihil est vacuum, nihil permissũ, nihil inflatum. Uter inflatus, arundo, & his similia non sunt solida, quia etsi foris molem præferant, intus tamen habent inanitatem. Similiter aqua, aer, & alia fluida non sunt solida, quia etsi habent substantiam, non habent tamen spissitudinem & densitatem atq; duritiem, soliditati requisitam. Itaq; virtus solida illa dicitur, quæ est spissa, densa, inflexioni & evanescentiæ non obnoxia, tam plena intus quàm foris; dura & robusta, ponderosa, nihil habens admixtum peregrinum ac non suum, non obstrepera, non clamosa, solida enim non facilè sonãt, &c. Hæc omnia ad virtutem solidam requiruntur; quæ quidem ut meliùs expendantur, ad pauca capita revocanda sunt.

Ac primò hic expendendum est solidam virtutem esse illam, quæ in caritate Dei fundatur, ex caritate Dei quæritur & paratur, caritate Dei perficitur ac fovetur, caritate Dei consummatur, propter caritatem Dei exercetur, defenditur, docetur, quæ caritatem Dei radicem, vitam animãq; habet, quæ solum & solius Dei bonum scilicet gloriam, exaltationem, gustum, beneplacitum, quærit, intendit, tuetur, soloq; illo contenta est. Hæc est intentionis, quam vocamus, puritas rectitudo, nuditas, qua homo omne quidquid cogitat, dicit, facit, omittit, omni actu corporis & animi, omni motu naturæ & gratiæ ad hoc unum dirigit, ut Deo benè sit, hoc est, ut Deus laudetur, æstimetur, ametur, glorificetur, super omnia exaltetur: quia dignus est, quia id illi debitum, id illi placitum, id illi gratum ac volitum, quia Deus homini placet, & ut homo placeat Deo, placeat au-
A tem, non quia placuisse Deo, bonum hominis est, sed quia placuisse Deo hominem vult Deus, & quia placuisse Deo ut sit homini bonum, itidem, & insigniter appetit Deus.

Hæc exposita sive caritatis sive intentionis puritas, est tota spiritualis vitæ sublimitas, proinde diligẽter põderãda est & cognoscẽda in lumine veritatis, & consciẽtiæ voluntatiq; cõmittenda penitùs ab omni illo, quicunq; vult esse perfectus, & in virtute solidus.
B Quæ expositio intentionis atq; exactio in ea puritatis, ne cui, ut assolet, exotica & spinosa, & fortè non ad mentem instituti videatur eam ipsam in Reg: 17 summ: quæ immediata est huic quam hic de solida virtute nunc meditamur, ostendo, Regulamq; expendendam propono. Sic igitur habet (Omnes rectam intentionem habere studeant, non solum circa vitæ suæ statum, verùm etiam
C circa res omnes particulares, id semper in eis sincerè spectantes, ut serviant & placeant Divinæ bonitati propter seipsam, & propter caritatem & eximia beneficia quibus prævenit nos, potiùs quam ob timorem pœnarum vel spem præmiorum, (quamvis hinc etiam juvari debeant.) & in omnibus quærant Deum, exuentes se, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum, ut affectum uni-
D versum in ipsarum creatorem conferant, eũ in omnibus creaturis amando, & omnes in eo, juxta sanctam & Divinam ejus voluntatem) hactenus Regula; quæ meliori non indiget, meo judicio, interpretatione, quàm

explica-

eſt in explicatione intentionis poſita ſicut è converſo, non deſidero ſenſum intentionis explicatæ diſertiùs exprimi, quàm eſt à S. Patre, in his Regulæ verbis enucleata. Neque deſidero ullum gradum altiorem puritatis in in intentione, quàm eſt iſte, quem S. Pater in Regulæ verbis explicavit dummodo verba prout prægnantiſſima ſunt, penitiſſimè etiam intelligantur.

Ex his conſiderans colligat Primo, ſolidā virtutem non eſſe illam, in qua qui virtutem virtutiſvè actum operatur, intendit commodum ſuum privatum, in quā placere volumus oculis alienis, non Dei nec propter Deum, in qua occupamur videri, gratiamve obtinere, æſtimari, laudari, reputari, in qua illud iſtudve nobis aptum & cōmodum (nunc vel olim) venamur, in quā volumus effugere aliquid adverſi, in qua ſatisfacere tantùm omni officio & uſui volumus, & facere, quod alii faciunt, contenti ſumus. iſti enim virtutum fines, non tantùm non faciunt virtutem ſolidam, ſed ne virtutem quidem eſſe ſinunt, verum potiùs in malitiam illam detorquent, in ſenſualitatem, amorem proprium, ſuperbiam, ambitionem, negligentiam, timorem humanum, tepiditatemq; pervertunt.

Colligat 2. Solidam non eſſe virtutem illam, in qua quærimus malum aliquod declinare, etiam animæ noſtræ etiam futuræ vitæ, pœnas v g. inferni, purgatorii, aut etiā peccatum, in quantum nobis præciſè malum eſt, & timorē, pudorem, pœnam, remorſum nobis adducit; non quod non ſit utcunq; bonū, hæc vitare velle, ſed non eſt ſolidum.

Colligat 3. Solidam virtutem non eſſe illam, qua quærimus profectum in virtute, meritum, beatitudinem hujus vel alterius vitæ, gratiæ augmentum aliquodvè beneficium Dei nobis bonum: non quod non ſit bonum hæc velle & habere, ſed quod virtutes quibus iſta quæruntur, non ſint ſolidæ: non ſunt enim in caritate ſed in ſpe fundatæ, nec ab amore amicitiæ in Deum, ſed ab amore concupiſcentiæ erga ipſum hominem operantē procedunt, proinde aliquod creatum, aliquē amorem creaturæ immiſtum hæ virtutes habent, ideoq; ſolidæ non ſunt, non ſunt enim ſolida quæ ſunt permiſta præſertim ſi ſint viliori permiſta, ut ſi maſſa auri immiſtam terram habeat, ſolida dici non poteſt.

Colligat 4. Solidam non eſſe virtutem, amare & quærere humilitatem, caritatem Dei atq; proximi, patientiam, obedientiam, puritatem cordis, Martyrii palmam, ſed neq; in his virtutibus heroicè quoad hominum oculos exerceri & proficere, ſi in earum virtutum ſtudio, exercitio, profectu, id quæratur & ſpectetur, ſi inquam, ob id ametur & quærantur, & exerceantur, quia ſunt inſignes virtutes, grandes, magnam in cœlo gloriam repoſitam habentes, Deo multùm placentes, in Scriptura, in Patribus, in ſermonibus nobiliſſimè laudatæ, ab hoc, illovè Sancto, à B. A Virgine, à Chriſto Domino inſigniter exercitæ, & proinde, ſi etiam à nobis amentur, æſtimentur, exercitentur, poſſideantur, ſint nobis ſummo honori & lucro in Chriſto futuræ, hæ, inquam, virtutes hoc fine amatæ & habitæ non ſunt adhuc ſolidæ, neq; enim in ijs quæritur, Deus ſolus ſine nobis, ſed quærimur nos ipſi & bonum noſtrum, qua noſtrum. appetuntur enim virtutes magnæ, quia magnæ, ſed ipſa magnitudo earum ad noſtri magnificationem detorquetur, appe- B timus in gratia Dei creſcere quia in illa creſcere nobis bonum eſt. Appetimus excellere in amicitia Dei, quia in ea excellere bonū eſt magnū noſtrum, appetimus puritate, intētionis eminere, quia eminere in ea, eſt bonū nobis. Appetimus penitus voluntati Divinæ conformari, & in eam tranſire atq; transfigurari, quia hoc eſt ſublimè, quàm ſublimitatem apprehendimus, & conſequenter appetimus nobis, quippe bonam nobis. Quod ſolidum non eſſe palam eſt. Non dico malum C id eſſe, abſit, bonum eſt. ſed ſolidum nō eſt. Quid adhuc deeſt? porro unum eſt neceſſarium, ſcilicet pura & defæcata caritatis intētio, quærere nempe Deum, etiam in quærendo Deum, ut gratis colas Deum, ut neq; bonum ullum ſupernaturale tuum, neq; bonum Dei quæras, quia eſt bonum tuum, quia bonum Dei à te quæri, eſt bonum tuum, ſed quia eſt placitum Deo, quia guſtabile, quia honorificum Deo. Ut (juxta Reg: 17) id unum ſemper ſincere in omni re, actione, motu tuo, in- D terno, ſpirituali, ſupernaturali, particulari, ſpectes ut ſervias & placeas Divinæ bonitati, propter ſe ipſam, & propter caritatem, ut in omnibus quæras Deum, ut exuas te amore omnium creaturarum, & ante omnia amore tui ipſius, boniq; tui cujuſcunq; in quantum tuum bonum eſt, & affectum univerſum tuū in creatorem tuum, & creaturarum conferas juxta ſanctam & divinam ejus voluntatem, hoc eſt ideo, quia Deus ita vult amari, quia ita dignus eſt, quia ita illi placitum, guſtabile,

le, laudabile est à te amari, quia te pro eo mori & martyrio ornare, Deo debitum. placitũ, honorificum est, quia te ejus in voluntatem transformari & hac transformatione nobilitari, perfici, mereri, Dei voluntas, gustus & honor, & gloria est.

Hæc intentionis puritas, caritas est clarissima peroptimum est, virtutis soliditas est, quæ foras mittit timorem, foras spem, non quod non egeat interdum timore pænæ, vel præmij spe juvari & erigi, sed quod in soliditate virtutis, in perfectione caritatis, in puritate intentionis non debeat includi.

Hæc qui consideras, sic considera, ut te in eis contempleris, & virtutem tuam ad illa explores, & quantum ab his illam abesse adverteris, tantùm à soliditate abesse illam nihil dubitaveris Consulo cuilibet, ut frequẽter non in vita aut anno, sed in die inspiciat intentionem suam quoad hoc, ut sit defæcata ab omni creato bono, amore, & respectu, A & præcipuè à suo proprio, esto occupetur circa bonum spirituale idq; sublime etiam hic verum est illud: *pravum est cor hominis &c.* Hierem: 17 9. item illud: *Nunquid Iob gratis colit Deum?* Iob 1. 9.



CONSIDERATIO V.

Ad soliditatem Virtutis, requiritur humilitas Virtutis.



Virtutes ut sint solidæ, debẽt esse humiles: non humiles, id est, abiectæ, miseræ, imperfectæ, sed humiles spiritu, similes sui contemptu, despectu, sepulturâ & oblivione. Solida enim ordinariè gravia sunt, & deorsum tendunt, si enim supernatant, apparet àerea ventosa & non solida esse Sic virtus quæ solida est, deorsum tendit, quæ vana est, supereminere appetit. Virtus solida non videri sed esse appetit: vana, non esse sed videri, aut certe parum esse, multùm statimq; videri gaudet Vasa etiam aurea, si sint vacua, supernatant: lignea si plena sint, descendunt. Arbores fructibus carentes, sursum ramos erigunt; onustæ fructibus,, ad ima eosdem demittunt. Ita ubique soliditas descendit, inanitas subvolat.

Ait scriptura, *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Eccl. 3. 20. Quasi dicat: si magnus es, descende, & te demitte, ut quod es, esse non desinas. Magnitudinem tuam fac tibi humiliationis tuæ materiem &c.

Adhuc forte ambiguè rem propono, clarè igitur dico. Virtutes, ut sint Virtutes, oportet ut sint humiles, & virtuti humilitatis cõjunctæ. Si enim conjunctæ humilitati non erunt, vanitates erunt: unde rectissimè ait Gregorius Romanus: quòd *qui virtutes sine humilitate congregat, quasi pulverem in ventum portat.* quæ verba non tantùm sunt per con- B comitantiam intelligenda, quasi cum aliis virtutibus humilitas etiam sit curanda, sed etiam per quandam informationem (quanquam semper una Virtus est altiori connexa, & veluti ejus forma aut coadjutrix, maximè quando in gradu notabili est) ita ut omnibus aliis virtutibus. Humilitas quasi fundamentum, quasi custos, munitio, quasi soliditas & condimentum, adjungenda necessariò sit Id C quod Bernardus excellenter in una quidem Virginitatis seu castitatis virtute declaravit sed ita, ut quod ille de unâ virtute asseruit, hoc de omnibus virtutibus omnino æqualiter dicendum sit.

Penetrabitur hæc res ni fallor, ex illustratione exemplorum meliùs. Est Religiosus, cui firmum sit propositum, excellere & perfectum esse in obedientiæ virtute: propositũ suum, etiam exequi conatur, intellectum & D voluntatem suam exactè conformat judicio & voluntati Superiorum. idem tamen hoc quod cupit esse, cupit etiam videri: id est; perinde ut cupit & gaudet excellere in Obedientia, cupit etiam & gaudet opinionẽ habere de suâ excellenti obedientia: quod si

parum

parum obediens putetur vel dicatur, tristatur statim & abjicit animum, quid huic deest ad solidam obedientiam? dico deesse humilitatem obedientiæ, obedientiam enim habet, sed superbam, humilem autem non habet: nam si humilem haberet, non videri o- obediens, sed putari inobediens vellet, atq; gauderet. Est alius qui caritate proximi & zelo animarum ardet, laboriosus, strenuus, fervens, semper excubans ad lucra animarum, die nocteq; accinctus, ad pauperes, ad funera, ad nosocomia, ad carceres impiger, in iis semper legendis, quibus proximo prosit aliquando, occupatus dum vacat, docere rudes, pueros ignaros amat, idem tamē hoc de se sciri, sentiri, & dici quod est, gaudet & cupit, zelo carere, piger circa animas dici odit, tristatur, animo angitur & deijcitur, conqueritur. Hujus zelus & caritas proximi in quo deficit? deficit in humili zelo & caritate. Humilis enim zelus, zelus esse vult, sed videri non vult, immo non zelus, sed pigritia videri vult.

Est alius similiter zelosus sive animarum pastor, sive Concionator, sive Confessarius, sive Magister, sive Superior, & ita est, ut omnibus numeris absolutus esse in officio suo cupiat: idem tamen simul videri talis vult, & si non videtur, tristatur: si arguitur, & traducitur tanquam piger operarius, tanquam imparatus Concionator tanquam languidus Magister, tanquam crudus vel inefficax, vel insuavis Superior; linguis talibus censurisq; plus nimio penetratur, dolet, animum abjicit, de suo gradu & passu cedit, remittit, & cum videatur non esse, licet sit, vult re ipsa non esse, quoniam non esse videtur. Quid talibus deest hominibus? multum admodum esto unum solum, nempe humilitas virtutis atq; soliditas: quæ si adesset, resolutio illa turpis, & ignavorum, & impatientium, superborum, se se in virtute & in actionibus quærentium propria non esset: sed potiùs cō tentus quisq; esset testimonio conscientiæ suæ, testimonio veritatis, testimonio Dei satis illi esset, esse: videri autem non cuperet, immo cuperet non videri, & doleret videri.

Est similiter alius, humilitati, patientiæ, mortificationi, sui contemptui deditus, in actibus talium virtutum assiduus, sed ita, ut simul gaudeat talibus actibus studiisq; intentus videri, sciri, putari, dici: si verò non intentus his videatur, si superbus, amans sui, impatiens, immortificatus, vindicativus, passionatus, delicatus, commodis deditus &c videatur, ac judicetur, & Superioribus referatur, id ferre æquanimiter non vult, non valet, sed abiicitur, queritur, murmurat, purgat se ægriùs, quàm par est, quid hujus humilitati, patientiæ, &c deest? deest humilitas. Ipsa quippe humilitas debet esse humilis, quia verus humilis (patiens, mortificatus &c.) non vult humilis prædicari, sed vilis
A reputari: obediens quoq; humilis, non vult obediens reputari, sed inobediens judicari: sapiens, & doctùs humilis, non vult sapiens & doctus dici, sed sapiens quidem & doctus vult esse, insipiens autem, imprudens, vel vult dici, vel saltem æquanimiter fert reputari. Satis exemplorum est, plura considerans excogitabit, & sibi accommodabit.

Hæc est humilitas virtutis, sine qua nulla est in virtute, nulla in ullo nostro bono opere soliditas. hac humilitate quantùm carent
B nostræ perfectiones, tantùm & soliditate, hoc est veritate, carent. Vera enim virtus, hoc differt à falsa & imperfecta, quòd vera velit esse, nolit videri, immo velit non esse videri, falsa autem nolit, aut non curet esse, velit autem & curet videri, doleat non videri: imperfecta autem, parum curet esse, plus verò curet videri, doleatq; non videri. Unde solidissimum signum esse non solidæ adhuc virtutis, velle videri, dolere quòd non videatur, gaudere quòd videatur, exhibere se videndā solida virtus in fundo amat esse, non vult su-
C pernatare, quadrata est non volatica, non inanis, non inflata, solius Dei oculis agnosci contenta, suis & alienis occulta, vilis, & modica, se ipsa contenta, seipsam materiam humilitatis & humiliationis suæ facit, & licet maxima sit, maximam se non novit, non prodit, & licet honoretur, honorari se immerito putat, supra meritum dicit, & ex animo dicit, honorari se dolet, ac tristatur, & erubescit, honorem hunc Deo tribuit, benevolentiæ ignorantium adscribit, ipsa verò ex illo
D nihil sibi decerpit.

Talis fuit virtus, (ut unicum & luculentissimum exemplum dem) MARIÆ Virginis. Virgo fuit, quàm ante partum, tam in partu, & post partum, ivit tamen ad purificandum se, & tanquam non virgo immaculata, sed puerpera immunda esset, se in templo stitit, atq; mundationem legalem suscepit.

Vade Religiose, ad hoc speculum exempli & consi-

& considerationis istius te dispice atq; compone. Quantò magnus es, humilia te in omnibus magnitudinibus tuis, naturalibus, supernaturalibus, corporis, animæ, fortunæ, bonis. Omnia bona tua sint tibi humilitatis materia, sicut arbori sunt fructus sui. Quantumcunq; te dejeceris, humilior Christo non eris, quantumcunq; te dejeceris, Mariæ humilitatem non superabis. Si unde humilieris, malum nullum habes, virtutes saltem, quas humilies, habes Ama hoc exercitium, neq; dimittas,nisi in eo, usq; ad nauseam tuam, temet assuefeceris.



CONSIDERATIO VI.

Ad solidam virtutem requiritur Universalitas.



On est etiam solida virtus, qualem esse requirit Regula in homine quolibet Societatis, si non sit Universalis universalem virtutem voco hic, non illam, quæ scilicet omnes omninò virtutes, suo ambitu complectatur, vel quâ homo nulla velit virtute carere, nam etsi & hæc quoq; Universalitas virtutum in perfecto esse homine debeat, perfectum enim est cui nihil deest, & virtus perfecta est, cui nulla pars nullusq; gradus deficit, tamen hoc loco non ad istam virtutis universalitatem curandam considerantem excito.

Est alia virtutis universalitas, quæ non omnes in se complecti debent. Hæc autem melius elucescet ab exemplorum luce, quàm à pluribus virtutibus petam. Sciẽdum est reperiri aliquos studiosos virtutum tales, qui ita alicui (uni aut pluribus) virtuti student, ut eam non curent ad omnem vitam, ad omnem actionem, ad omnem circumstãtiam, olim sibi eventuram, acquirere vel accommodare.

C Modestiam v. g. aliquis amat: sed amat tantùm in publico, tantum in oculis superiorum & graviorum, tantùm respectu periculosiorum objectorum, at in cubiculo, & extra arbitros, inter pares, ubi nullus censor, & criticus metuitur, in levioribus & à gravibus culpis remotis, & gestus fractos, oculos vagos, & aures patulas, & habitum incompositum, & incessum festinum aut levẽ, & alia incompositi animi corporisq; indicia prodit, facilè garrit, in risus ora dissolvit, levitates exercet, fabellas audit & narrat, curiosa sciscitatur, curiosè prospicit.

A In hoc modestia universalis non est, quia si universalis esset, ubiq; & respectu omnium locorum personarum, temporum, occasionum, objectorum, membrorum, sensuumq; esset.

Mortificationem passionum alius amat: sed amat & curat, tantùm earum, quæ effrenatiùs se vulgo produnt, & faciliùs patent, ut viam impatiẽtiamq; latẽtiores animi malos motus in se se dissimulat,ut ambitum, amorem proprium, æmulationem &c.

B Alius amat mortificationem passionum, & quandoq; omniũ, sed non nisi respectu certarum conditionum. v. g. frenat iram & timet videri impatiens à superioribus vel ab ijs à quibus id cognoscere possunt Superiores, aliis qui tales non sunt, facilè & iracundè resistit, verba dura ingerit, increpationes & jurgia non fugit. Ambitiosus esse non timet, sed notari cavet, & ambitionem artificiosis pallijs velat, Alius mortificationi passionum se studere ostendit, quàm diu ex minoribus, ut sic loquar, non excedit: ubi excreverit, curam illam relinquit, nulli cedit, omnibus suo judicio par, facilis censor omnium, cõmoditatum amator, confusionis osor &c. In talibus mortificatio est, sed universalis nõ est: alligata enim est certis circumstantiis, non complectitur omnes. Inde tales suo tẽpore videntur ex bonis mali facti qui non facti sunt mali ex bonis (quia nunquam fuerũt boni, semper autem manserunt mali) sed desierunt

ſierunt apparere boni, qui videri olim curabant, & inceperunt apparere mali, quòd antè videri in ſe cavebant: cavebant autem, ne aut opinionem amitterent, aut promotione ad ſtudia, ad gradum, ad officia exciderent. Obedientiam alius amat: ſed tantum majoribus ſuperioribus abſq; excuſatione obedit: minoribus & officialibus promptè ſe excuſat ſubducit,, obſtrepit, reſiſtit. Alius obedit in uno, in alio non. Alius ſi ei tali modo imperetur, obedit, ſi aliter (puta imperioſius, moroſiùs, crebriùs, ab ingrato ſibi, vel res ingrata, vel contempta, neq; apparendi occaſionum habens) non obedit, aut ægrè obedit. In hiſce omnibus obedientiam non eſſe, quia univerſalis non eſt.

Indifferentiam alius amat, ſed tamen moveri ab hoc officio, loco cubiculo, ſocio nõ vult. Illuc libenter vadit ad manendum, ſed alium ad locum non item. Illi ſubeſſe gaudet, alteri ſe ſubeſſe poſſe (velle, dicere debuerat) negat. Hoc officium pro ſe eſſe, libenter ſe obiturum, illud non pro ſe eſſe dicit. Ad illos homines iturum, ad iſtos non iturum ſe aſſerit. hoc tempore, ſed non alio: cum hoc ſocio non cum alio, manſurum ſe, non iturum, iturum non manſurum affirmat. Hæc ſe ſtudia, tot annis, hoc in loco tractaturum, hoc gradu dignum, & contentum futurum non alio dicit, re ipſa facit. In hac indifferentia, eſt ſumma differentia ac propterea virtus nulla, quia & virtutis univerſalitas nulla.

Alia aliarum virtutum exempla non affero. facilè illa diligens conſiderator ex propria depromet vel experientia vel conſcientia. Dico tantum quod jam dixi ſupra, virtutem ſolidam non eſſe, niſi univerſalis ſit. Quod dixit Paulus de Caritate, *quia nunquã excidit*: hoc & de aliis virtutibus in hac vita dici poteſt, tales nempe eſſe omnes in nobis debent, ut nunquam a nobis excidant, non ſint alligatæ virtutes noſtræ locis, perſonis, occaſionibus, temporibus, circumſtantiiſq; certis ita ut ad alias nos comitari non poſſint aut nolint.

Sub hac eadem univerſalitate incluſam cupio à ſtudioſo virtutum ſolidarum Religioſo, etiam univerſalitatem graduum, qui in virtutibus eſſe poſſunt ac debent, ut nempe non ſit contentus virtute ſcatente, & diſſimulante imperfectiones etiam minutas, etiam virtutis non directè hoſtes. Minimos quoſq; defectus, minima fugere par eſt eum, qui ſolidarum virtutum ſtudioſus eſt. *Non eſt enim minimum, minima peccata contemnere*, S. Bonavent in prologo ſpeculi. Immo verò minimæ virtutis eſt, & modicæ caritatis, A minima contemnere: minima, inquam, ſive vitia, ita ut non evitentur, ſive virtutum complementa, Deivé placita, ita ut curari exerceriq; negligantur. Qui coram Deo magni eſſe appetunt, nullum Dei beneplacitũ, nullum Dei Religionis præceptum, atq; obedientiæ præſcriptum reputare debent minimum. Si enim reputaverint, magni coram Deo non erunt, cùm ſcriptum ſit. *Qui ſolverit unum de mandatis minimis, minimus vocabi-* B *tur, in regno cœlorum*. Matth: 5 9. Et meritò ſanè, minimus erit talis coram Deo & in regno Dei, coram quo etiam, Deus & voluntas Dei, (quæ ubiq; eſt, etiam in minimis maxima) non maxima, ſed minuta & contéptibilis reputatur. Quiſquis ergo ſolidam Virtutem cupit, is ſimul univerſalem cupiat ita, ut nihil, quod Deo placitum vel placiturum putet, (eſto minimum appareat) contemnendum ſibi, ſed potiùs omni diligentiã & applicatione conquirendum exercendumque putet, C in minimis quippe perfectio, & perfectio, illa eſt, cui nihil deeſt, nam ſi aliquid deeſt, perfectio non eſt. Neq; ille dici verè poteſt, perfectam virtutem ambire, qui convincitur, univerſum, quod in ſe virtutis eſſe poteſt, non quærere. *Vide Ludov: de Ponte l 5. in Cant: Exhor*: 38 § 3.

Expende hæc, quiſquis es virtutis ſolidæ amator & ſectator, & ea ad imum cor demitte, ad illa te, affectus tuos, actus tuos officia tua, virtutes tuas examina, neq; fatigeris hac reflexionis curâ, quia nunquam D ſine profectu te laboraſſe deprehendes. Ut nihil aliud fructûs referas, illud tibi ſolatio ſit, quod Bernard. alicubi aſſerit: Tunc te non fruſtra ſcrutatus es quando iterum ſcrutinio opus eſſe reprehendes. Multum profecit & effecit, qui hoc effecit apud ſe, ut intelligat ſe adhuc proficere debere, parũ profeciſſe, parum ſolidæ virtutis habere.

DIES III.

Ubi Virtus solida paranda seu quærenda. Ubi exercitanda & perficienda. Ubi possidenda, & tanquam robusta atq; securè solida, tenenda, inq; usum revocanda.



CONSIDERATIO VII.

Ubi solida virtus sit quærenda & paranda.



Vita præsens, vita est laboris, itineris, profectûs, mercatûs, negotiationis, Vigiliæ, pugnæ. Illa ergo est campus, quærendæ parandæ exercendæq; Virtutis ac perficiendæ, & deniq; tenendæ ac possidendæ. Post hanc vitam, nec ratio, nec opus, nec consilium locum habet: *Venit enim nox, in qua nemo operari possit.* Ioan: 9. 4. Qua de re nullum dubium est: tantùm id animo infigendum, quod quidquid virtutis, gratiæ gloriæ in hac vitâ non comparaverimus, id in æternum comparatu ri non sumus: ut proinde omne momentum vitæ hujus, esse nobis pretiosissimum debeat, & non in nugis vanis, sed in solidis laboribus ac æternitati servituris consumendum sit: quippe momentum, *& momentaneum hoc quod in præsenti est, immensum gloriæ pondus supra modum in sublimitate operatur in nobis.* 2. Cor: 4. 17 O avaritia humana, cur hic non exerceris? cur his lucris, his fœnoribus non inhias? Hæc Sancta & Sanctorum avaritia est; radix non iniquitatis, sed iustitiæ, non idolorum, sed veri vera Dei servitus: at illā etiam Sancti sæpè non agnoscunt, sæpè non exercent, sed tepiditate, dilatione, negligentia, optimas horas non optimè elabi sinunt. Utinam & ego, & qui hæc legit atq; expendit mecum, tales esse desinamus.

Status Religiosus est etiam locus, & tempus, & status laboris: sumus enim ad Religionem vocati, ut operarii in vineam, ut negotiatores ad Mensam, ut excubitores ad vigiliam, ut milites ad militiam, ut athletæ ad luctam, ut in stadio currentes ad cursum. Nobis dictum est, *Negotiamini, dum venio.* Lucæ 19. 12. nobis *Distribuit Dominus talenta*

A *& dona sua, quæ in sudario involuta, nefas est defodere in terrâ.* Nos sumus arbores in horto Domini, in quo steriles esse nefas est, *sed fructum oportet afferre in tempore.* Ioan: 15 16. Nos electi sumus, ut eamus, *& fructum afferamus, tricesimum* viæ purgativæ, *sexagesimum* viæ illuminativæ, *centesimum* viæ unitivæ, Matth: 13. 8. & quidem in patiētia, ita ut fructus noster maneat in vitam æternam Quæ

B omnia sonant nihil aliud, quàm Religiosorū munus esse, virtutem quærere, acquirere, exercere, perficere, possidere, qua de re dubitare est nefas, illud tantùm apprehendendum bene, quòd Religiosum esse, nihil aliud sit, quàm Deo devotum esse: devotum autem esse, nihil est aliud, quàm ad opera Dei, ad opera virtutis promptum . paratum, expeditum esse, ita ut Religiosi sit Deo perfectè servire, devoti autem, promptè perfectionē obsequii sectari. Ex quo colligat Religiosus,

C se, si in servitio Diuino non occupatur, si nō ad perfectionem conatur, si non promptè & expeditè contendit; nec Religiosum, nec deuotum verè Deo esse. *Hæc qui debet capere capiat, & si quis habet aures audiendi, audiat.* Nihil enim tam formidare debet Religiosus, quàm ne non sit Religiosus, nihil æquè debet horrere, Deo devotus, quàm ne non sit devotus. Non est autem Religiosus & devotus, quisquis est tepidus, quisquis est ad opera divini obsequii non promptus, quisquis

in Virtutis ſtudio non aſſiduus, quiſquis ſolidæ virtutis non eſt exercitator indefeſſus.

Sunt tamen in Religionibus, præſertim in Societate tempora & ſpatia diſtincta Virtutis ſolidæ, acquirendæ alia, exercendæ & perficiendæ alia, utendæ deniq; alia. (omitto nunc reparandæ ſpatia, quippe hæc in mediis conjungo)

Acquirendæ virtutis, & tempus & ſpatiũ in Societate eſt Tyrocinium, quod ideo præ aliis Religionibus, eſt longiſſimum, & fortè etiam dicere poſſem accuratiſſimum, ut in eo Virtutis ſolidæ comparandæ, otium detur quàm commodiſſimum. non quod aliis etiam annis virtus in Societate quæri nõ poſſit, & inveniri, ſed quod aliis annis exercenda potiùs quàm quærenda, in annis Tyrocinii quærenda & acquirenda ſit. Ad Tyrocinium enim adferri virtus (ordinariè) nõ poteſt, nec debet, ſed in Tyrocinio diſcenda & acquirenda eſt. ex Tyrocinio verò ad alios Religionis annos exportanda, & in eis exercitanda eſt. Quare annos Tyrocinij potiſſimum quærendæ virtuti ſolidæ aſſigno, in quibus quàm ſolidè & quàm ſolida virtus quæri debeat; ex ſequentibus, quæ conſideranda propono, capitibus eluceſcet.

1 Sit de tribus Claſſibus Religioſorum. Una eſt Tironum & propè Tironum, ſcilicet juniorum Religioſorum. Altera eſt mediorum, ſeu in medio vitæ Religioſæ curſu propoſitorum. Tertia adultorum & conſummatorum, atq; adeo jam in ſenectutem vergentium, dicere poſſumus aliter, incipientium, proficientium, perfectorum, ſed libet priore loquendi modo uti. Hæ tres Religioſorum claſſes, habent ſuas proprias, virtutis perfectiones & ſoliditates, ita ut primæ Claſſis virtus, ſit gradus ac ſemen ſequentis, hujus verò in virtute ſoliditas, ſit item gradus & ſemen tertiæ, iſtius deniq; ſit ſemen vitæ & gloriæ æternæ. Primæ Religioſorum Claſſi incũbit craſſioribus expugnatis vitiis, incumbit ea, quæ ad votorum & Regularum obſervantiam pertinent, non ſolùm addiſcere: ſed in uſum quoq; & conſuetudinem ſuam ſalutarem perducere, incumbit actiones & occupationes Religioſas, omnes quidem præcipuè tamen ad ſpiritum pertinentes (ut ſunt Orationes, Meditationes, Examina, Sacramenta, Lectio & Collocutio Spiritualis, Collatio cum Patre Spirituali, intentionis & cordis puritas &c.) cum omni diligentia & cura cum omnium obſervationum exacta obſervatione aſſueſcere, facere, ita ut hæc diligentia fiat planè Novitio naturalis &c. ſecundæ Claſſi Religioſorũ incumbit & competit quædam maturitas, hoc eſt, facilitas quædam, & decentia atq; ornatûs adhibitio, in exequendis ijs, quæ ſunt vocationis, quæ Regularum, quæ ordinariarum occupationum & actionum. Non decet hos, uti bruta pecora, triſti neceſſitate, metu pœnæ aut occaſionis, monitioniſve ad obſequia divina,

A & Religionis obedientiæq; opera adigi: ſpõte hi debent de virtute in virtutem currere, ſponte exacti eſſe in obſervatione tam temporis quàm ordinis, quàm modorum, quibus peragendæ ſunt actiones & obedientiæ imperatæ: non ad oculum, non ut non feciſſe deprehendantur, & deprehenſi puniantur. Spõte iſti dicũtur ſe ipſis meliores de die in diem effici, & opera ſua quotidiana atq; communia, exacta & virtutum ornatu cincta devotione atq; fervore Deo præſentare ut feciſſe

B ſcribitur S. Ioſeph Patr: apud Hieron. in c. 3 ad Epheſ. de quo ſic ibi ſcribit. *Habebat propoſitum Deo placẽdi, quod nullâ temporis varietate mutavit, neq; adverſis, neq; proſperis ſibi ſuccedẽtibus ſemper unus idemq; fuit, ac malos dies in bonos vertit.* Tertiæ Claſſi Religioſorum propriè dicta & primariè incumbit ſoliditas, qua in votis Regulis, Virtutibus, operibus, conſuetudinibus ac ſpiritu ordinis ſui probè & conſtanter atq; validè formati & confirmati ſtent, ita, ut jam iis lex non ſit poſita,

C ſed ſponte ſuâ, quæ legis & diſciplinæ ſunt, faciant, ut jam cæteris veluti viva Regula factiſq; expreſſa, Religionis & ſpiritûs diſciplina, conſilio & exemplo, reliquis præluceant, & unumquemq; dictis factiſq;, ſecurè utiliterq; in via divini ſervitii juxta ſpiritum Religionis dirigere poſſint. Huic Religioſorum Claſſi, Regularum obſervantia, & Religionis diſciplina levis ſentitur, (ſentiri certè deberet) & omnino tandẽ ſuavis fit, atq; ut loquitur Caſſianus. *Superata iam vitio-*

D *rum impugnatione tranſitur in ipſius virtutis affectum, & gravis eſt pœna vel virtutum pernicioſa tranſgreſſio, vel vitii virulenta contagio* Hæc incumbit tertiæ claſſi ſoliditas virtutis, quam utinam non frequentius in prima inveniamus claſſe, quàm in hac tertia: ſed hæc interim deploratio relinquenda, coram Deo autem facienda eſt. Hoc caput expendere proderit, non tantùm ad præſentis conſiderationis, ſed etiam ad duarũ ſequentiũ inſtitutum. Ad alia hujus loci propria capita, recenſenda pergo.

2. Ergo

2. Ergo Caput sit, ut Tyro atq; primæ classis Religiosus, hoc inviolabiliter menti & cordi suo insculpat propositum: Volo in hac Religione Deo servire, in eoq; servitio & vivere, & mori planè statuo, quidquid tādem mihi evenerit, *manum ad aratrum missam semel, nunquam avertam* Lucæ 9.62. *Neq; retro cum uxore Loth respiciam* Gen. 19 26. Omnis hominis Christiani, sed Religiosi ac maximè tironis vox illa esse debet propria & medullis irradicata: *Quis nos separabit à chatate Christi? tribulatio?* Et *Certus sum quod neque mors.* Rom: 8.31. Necessaria est hæc tironi resolutio. Nam si in hoc proposito vacillat, nihil mirum, si reliqua tandem omnia non tantùm vacillabunt, sed & corruent.

3. Caput, idem primæ Classis Religiosus inviolabiliter hoc propositū teneat Aliter omnino & per omnia contrariè mihi viven dum est in Religione, quàm vixi in seculo. Religio enim est inversus mundus sapiētia mundi hic stultitia est, mores mundi, hic peccata sunt, gloriatio mundi hic pudor est, etiam modus, pedes movendi, gressûsq; faciendi, observatus in seculo, in Religione dediscendus est. Uno verbo, ut massa ferrea in incude Religionis, recudendus est, qui ex seculo venit,& in aliam formam traducendus in alium virum transformandus, veterem hominem exspoliandus, linguam, quam nō noverat, docendus, & tanquam puer sensim ad rudimenta & elementa sermonum Dei revocandus

4 Caput.primæ classis Religiosus insculpat animo hoc propositum: In Religione volo omninò sanctè, perfectè, ad normam Instituti mei, quod sum complexus, vivere, omniaq; servare, quæ sciam esse præscripta idq, etiamsi nullus alius, qui in eadem Religione est aut erit, illa observabit. Nam ego non veni ad Religionem, ut vivam sicut alij vivunt vivent, sed sicut omnibus vivendum est ex mente instituti, neq; mihi aliorum vitæ, sed Regulæ à Religione sunt ad legendum initio ingressus mei propositæ, à meq; sunt tanquam norma vivendi, acceptatæ Hoc propositum à primo die tirocinii sui usq; ad finem vitæ Religiosus tenere debet.

5. Caput, primæ classis Religiosus insculpat animo;omni Religioso, consequenter ergo & mihi, incumbit in Religione, bona agere & mala pati, facere imperata, perpeti quæcunq, obvenientia, mancipium, servum, jumentum Religionis & Prælatorum & omniume sse. Nunquam pro tota vita sperare libertatem, nunquam gratiam, nunquam laudem, nunquam præmium à superioribus vel domesticis, sed imperia, sed reprehensiones sed contemptus, sed infra alios deprehen siones, sed accusationes, sed pœnas: etiamsi innocens fuero, etiamsi rectè egero, etiamsi alius in culpa erit non ego, etiamsi hæc, quæ jussus sum & eo, quo jussus sum, modo egero A Omnes alii erunt Religionis filij, ego servus, omnes alii erunt in oculis, & gratiâ ego in oblivione: omnes alii erunt apti ad omnia: ego ineptus ad omnia de omnibus aliis, nihil credetur mali, de me omnia & nihil boni: omnes alii utiles sunt aut erunt, ego ad nihil utilis, immo damnosus semper: omnibus tutò credi poterunt multa,omnia,mihi nihil unquam. aliorum nemo custode indigus, mihi tanquam efferatæ & indomitæ feræ, aut tanquam suspecto & periculoso cauea & custodia opus erit B spiritualiter: alii propter alias honestas causas religione recepti sunt, & in ea fovebuntur, ego ex pura Patrum misericordia & receptus sum, & tenebor: aliis debebuntur spiritualiter in victu, vestitu, habitatione, occupatione meliora, & honoratiora, & prima, mihi verò spiritualiter vilissima & postrema.

6 Caput primæ classis Religiosus firmissimè sibi parsuadeat hoc: Ego & asinus fratres sumus, & nihil inter nos differt. Ego ipse mihi reus, fur, prædo, hostis capitalis, perpetuò, & in singula momenta sum, sem- C per ergo mihi à me cavere, mihi suspectus esse, nunquam pacem mecum facere debeo. Amare me, indulgere mihi est me perire, carni meæ nihil debetur nisi Virga onus, paleæ, Crux, dolor, nuditas, inedia, sitis, frigus, labor, animæ meæ nihil debetur nisi confusio, contemptus, reprehensio, irrisio, censura, servitus.

7. Caput primæ classis Religiosus firmissimé sibi persuadeat. Conscientia mea superiori meo atq; Patri spirituali, vitrea & crystallina debet esse semper, ut eam cum libet, inspiciat, nec in ea quidquam eum late- D at, sed eam melius quàm suam ipse,vel quam ego meam, norit. Neq; exspectabo dum ille inspicere velit, sed rogabo ut velit, afferā & exponam ut possit. Non invitabo ad me Diabolum eiusq; tentationes, spe taciturnitatis meæ secretiq; mei, sed primulas ejus suggestiones duci meo spirituali continuò aperiam. Nam celare & fugere conscientiam spiritualis Patris, crimen est tironis, & pri-

mus

mus ædificii Diabolici lapis, primus ad teporem, ad inquietudinem, ad ruinam paſſus, diaboli ſecurus nidus. Superiorem etiam odientem me amabo. Crudus enim & aſper magis ad indigentiam, mores, utilitatemq; meam eſt, quam blandus & mihi compatiēs. Hoc propoſitum adeo neceſſarium, & tironi quidem propriè, dico,ut nullum alium æquè ſit illi commendandum, hoc enim unū omnium eſt reliquorum illi neceſſariorum, quaſi ſupplementum adeo, ut, ſi hoc habeat, non ſit alia diu deſideraturus Et cauſa eſt, quia cum tiro ſit ignarus, inexpertus paſſionum adhuc vivarum impetu facilè mobilis ad aſtutias diabolicas cæcus, ad ſua deſideria frenanda impotens. *Inter lepram & lepram, inter bonum & malum, inter ſpiritum & ſpiritū, diſcernere non valens.* Deuter. 17 8 magis de externa ſpecie pietatis ac Religioſitatis quàm de latente ejus virtute ſolicitus, uno verbo adhuc à cæpis Ægypti non planè excoctus, ſibiq; ad nihil ſublimè ſufficiens, proniſſimus verò ad terrena, ad ſenſualia, ad ruinam, & eſto bonam voluntatem retineat, rationis ductu deſtitutus, nihil huic conſultiùs & ſecurius eſſe poteſt, quàm ut quod minus habet de ſuo, id petat ab alieno, utiquè is, qui ſe ipſum vix portat, præ ſpiritualis hominis teneritudine infantili, & ſe, & alia omnia onera ſua alienis imponat humeris deferenda alienis regatur conſiliis, imperiis providentiis, voluntatibus, maximè quando in Religione Superior, ita Vicarius eſt Dei, & interpres voluntatis ejus certus, ut ſenſus ejus, ſit ſenſus Dei quoad bonum ſubditi,pro miſeritq; ſubdito Religioſo Deus, ſe illi per hominem Superiorem, ſuam voluntatem infallibiliter manifeſtaturum. Hoc ergo capiant & ſapiant Tirones.

8 Caput primæ claſſis Religioſus firmiſſime teneat: cum carnis & præſertim gulæ cōmodis, ſatietate, voluptate, appetitu ſemper eſt mihi luctandum, tamdiu donec victor ſim & dominus mei in hac parte, *donec ad alimenta, tanquam ad medicamenta ſumenda, accedere aſſueſcam,* & purè ſoli neceſſitati nihil voluptati indulgere condiſcam. Religioſus enim qui gulæ ſuæ impotentius ſervit, & ſuccumbit, adeo vilis eſt, ut indignus ſit, cum quo diabolus colluctetur,& dedignatur Dæmon certare cum guloſo, ſed eum ſolius gulæ ſuæ gladio debellare ſuperbus ille ſatis putat. quo quid debet eſſe Religioſo probroſius, & deteſtabiliùs? certè ignoro, quid poſſit eſſe contemptibilius eo, quem Diabolus ipſe indicat indignum tentationibus ſuis. Ergo rudimenta pugnarum ſunt, gulæ & ventris certamina, quæ ſunt tironi primitus, & perfectè ſuperanda

9. Caput. primæ claſſis Religioſus hoc ſibi perſuadeat medullitus. Ab omnibus cum quibus maneo, & manebo unquam, ego judicari, cenſurari, accuſari, puniri,contemni, conculcari, irrideri, odio haberi debeo, velleq; teneor, ac volo, ipſe autem neminem judicare, accuſare, deſpicere, vexare, irridere poſſum. Omnes alij, Domini ſunt mei & Prælati, me digniores & meliores, ego autem ſum omnium ſervus, & à Deo ad ſerviendum omnibus creatus atq; vocatus. Illis ergo jus eſt in me, ſed non mihi in illos. ſervus enim non judicat dominos, & dominorum ſuorum filios, neq; illos vexat, ridet aut ſpernit, aliove modo lædit. Servi potiùs cōditio eſt, à Dominis talia perpeti, & ſilere, quia ſervus eſt. O! quantum boni, quantum lucri, quantū pacis inviolatæ tiro poſſideret per omnes Religioſæ vitæ ſuæ annos,ſi hunc ſpiritum cum lacte ſui tirocinii ſugeret, & ab infantiâ Religioſa huic cibo aſſueſceret!

10. Caput. primæ claſſis Religioſus, hoc ſibi etiam intimè perſuadeat: Niſi linguam meam frenavero vana erit mea ſemper omniſq; Religio Silere t mihi ſemper in deſiderio, loqui in neceſſitate Nunquā os aperire poſſum, quin ſtatim in ore lingua mea votum parturiat. Obſtinatum ergo ſervabo ſilentium. *Verè enim Religioſus garrulus, eſt ſentina peccatorum, amnis enim exundans lutum multum trahit.* A pueritiâ porrò Religioſa, æſtimatio ſilentii eſt combibenda,& nullis cōtrariis linguis, verbis, experimentis, exemplis, ab animo deponenda. Poſſunt alii in loquendo cohibere ſpiritum ſuum: at ego ita ſum infirmus hac in parte,ut non poſſim. Fortè autem multos in hac re mihi ſimiles, ſaltem inter tirones inveniam.

11. Caput. primæ claſſis Religioſus conſtringi & arctari ſemper magis à ſe, & à ſuperiorioribus atq; à diſciplinæ cuſtodibus appetat & gaudeat, laxiora & permittere & permitti ſibi formidet. Diſcretionis ſpiritum & prudentiam apud ſe ipſum tanquam infallibilis ruinæ principium horreat. Modica ne ſpernat,Novitius enim diſcretus, non tantùm eſt tentatus, ſed etiam victus, etiam in vocatione dubius, immo etiam uno pede extra Religionem poſitus, tener Religioſus magis

gis timeat discretionem, in fervore quàm indiscretionem quia per indiscretiones itur ad discretiones, sed per discretiones itur ad tepiditates, ad laxitates, ad dissolutiones, ad tentationes, ad carnalitates ad sacrilegia, ad Apostasias. Illud sibi inclamari tirones & juniores putent à Bernardo. (Dimittite corpora, quæ de seculo attulistis, soli spiritus ingrediantur: caro non prodest quidquam.) Regulæ asperitatem meditamini, quâ totam vitam atterere oportebit. Absit, ut Tiro persuadeat sibi, se quandoque tironem non futurum, non ut Tironem tractandum; plus jam sibi post bienniũ aut liciturum aut licere. Absit illud, procacis cujusdam apud Cassianum, seniori suo obstrepat aliquãdo. Num ob hoc me metipsum humiliavi, ut semper subditus essem? &c Semper illud quilibet eorum sibi occinat: Geram me sicut primi anni Novitium. Item illud: *Cavebo mihi semper à parvo mundo, hoc est à me ipso.*

12, Caput, primæ classis Religiosus illud sibi perpetuo infigat, & inclamet, quod Sanctis Ephrem, Dorotheo, Arsenio, Bernardo, solemne fuit inclamare sibimet ipsis: ad quod venisti. Item illud: *hoc est esse Monachum* Item illud: *Et Senatorem perdidisti, & Monachũ non fecisti.* Item illud: *Tantùm proficies, quantùm tibi ipsi vim intuleris.* Efficacissimum quippe ad constantiam in bono medium est, primos nostros spiritus & primitias resolutionum nostrarum. sæpè ob oculos proponere, neq; primam charitatem relinquere, sed potiùs prima opera nostra semper facere, & ut ea plena coram Deo fiat, curare.

Hæc 12. Capita debent esse Tironum Reli-
A giosorum classi, tanquam spiritualis ipsorum ædificii, seu 12. fundamenta; Debent esse tanquam 12 Articuli. symboli Religiosi, quos firmissima non tantùm comprehensione & fide teneat, sed etiam immo multò magis executione perpetua assiduaq; praxi in effectum deducat Hæc capita facient, ut Tiro Religiosus Virtutem solidam & inveniat in Tirocinio, & inventam secum educat, atque circumducat in toto reliquo vitæ Reli-
B giosæ spatio. *Siquidem Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Proverb: 22. 6- Talis Virtutis soliditas utinam vel in veteranis senibusq; reperiri possit. An in te, qui hæc consideras, reperiatur, dispiciasq; ut reperiatur, aliquando tandem animum serium adijce. Non pudeat Tironum virtutem sectari, magis pudeat, etiam Tyronum præludiis veteranum carere.



CONSIDERATIO VIII.

Ubi solida virtus exercitanda & perficienda.



INvenisse Virtutem in Tirocinio, atq; acquisivisse modicum est: tenellam crescere, adolescere, convalescere oportet. Monstrum est enim, partum ab ea mole in qua natus est, incrementis sumptis, non recedere Cui bono infantuli si semper infantuli? spes succrescendi semina spargit alioqui spargere, non succretura, detrimentum est. Et virtus frustra quæritur, si non perficienda quæritur Rectè sapiens: *Semita ait Iustorum, & virtutis cultorum, quasi lux splendens procedit, & crescit ad perfectam diem.* Pueri 100. annorum probro & irrisioni sunt apud Prophetam. *Homo etiam ille, qui cæpit ædificare, & non potuit consummare,* Illusus est ab hominibus Ioseph porro laus illa est *Filius accrescens Ioseph, filius accrescẽs*
C Et illa Davidis: *David autem proficiens, & semper se ipso robustior efficiebatur* Tum & illa Salvatoris IESU: IESUS proficiebat sapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines. Deniq; si alicubi jubemur esse parvuli, id malitia tantùm non virtute, alias verò inclamatur parvulis sensu: usquequo parvuli diligitis infantiam? Igitur Religiose cum tua primævâ virtute semper cresce, semper adde, semper profice, semper ambula, sem-

per

per tibi displiceat id quod es, si vis pervenire ad id quod non es.

At ubi virtutem suam, & quando Religiosus Societatis imbecillā roborabit; inchoatā consummabit, imperfectam perficiet? Breviter & rotundè dico. Dum Societatis homines in Collegiis vivunt, dum scientiarum præsidia comparant, dum disciplinas tradunt aliis, dum instrumenta zeli animarum & sibi conquirunt, & ipsimet fiunt, dum officiis inter domesticos pariter, variis distinentur, & ad futuros labores præludunt, dum in tertia probatione, schola, affectus exercentur, attritumq; nonnihil fortè spiritûs & virtutis fervorem restaurant, tunc virtutem, olim in Novitiatu hauftam, perficere & roborare atq; solidare debent.

Supra dicta namq; omnia, & hisce similia ita à nostris tractanda sunt, ut per illa ac inter illa, non tantùm non perdatur, sed solidetur potiùs augeaturq; spiritus. Itaq; hæc est unica de multis Societatis circa suos Religiosos curis cura maxima, spiritum in suis fovere, promovere, augere, robustiorem perfectioremq; facere, eumq; eò tandem perfectionis, roboris ac soliditatis deducere, ut filios suos in opus Evangelici ministerij, secure possit tanquam ex umbra in lucem, & ex arena in aciem producere. Quod quomodo fieri possit, hæc in Consideratione ad normam præcedentis, sub nomine secundæ Religiosorum Classis expendendum est, certaq; propositorum ac observationum huic classi convenientium, per quæ virtus perfici & exercitari possit, Capita consideranda, & in animum demittenda.

1. Caput, secundæ Classis Religiosus Societatis (de hoc enim præcipuè nobis sermo, & huic ista consideranda proponimus) menti suæ insculpat profundissimè propositum & dictamen istud: Quidquid hactenus in Religione feci, pertuli, perfectionis paravi, aut nihil, aut exiguum quiddam est, ac rude, impolitum, valdéq; imperfectum ac infirmum proinde non tantùm non debeo cessare, non tantùm non debeo quietem & libertatem laxitatemq; vivendi sperare, spectare, sed potius magis ac magis debeo, in Tirocinio inchoata perficere, formare, & expolire. Absit ut credam licitam mihi fore & dissimulandam in me à majoribus esse libertatem, & leviorem, transgressionem. Absit ut credam mihi postmodum non perinde invigilatum iri vel invigilandum esse à præsidibus. Absit ut credam in Collegiis minus spiritui, minus animæ cultui, minus mentis recollectioni, minus internæ externæq; modestiæ ac mortificationi, minus orationi, reflexioni, devotioni, Regularum observationi attendendum esse, vel attendi à me posse; si affectus ea spe eaq; fide, ac persuasione sit pro certo per-
A dendus mihi primævus spiritus, inq; tepiditatis barathrum proruendum est. *Adiuva me Domine in bono proposito meo, in sancto servitio tuo, & da mihi hodie perfectè incipere, quia nihil est quod hactenus feci.* S. Th: a Kemp: lib: 1. Etenim *Si inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio, contra hoc quod operatum est, pugnat.* Gregor: 3. p. past: adm: 35. hinc per Salomonē dicitur *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis,* Prov: 18. Cujus propositi est illa ratio efficax, quia tem-
B pus Tirocinij & Religiosæ juventutis ad hoc Religio dat suis, ut in eo discant, quô modô per totam vitam debeant postmodum vivere, & opera Religionis exercere. Itaq; Tirones exercitia Tirocinii sui non debent cū Tirocinio ipso relinquere, sed secum ad Collegia deferre, & in Collegiis eadem omnino exercere. Nam si v. g. in Tirocinio doceamur meditari & modum meditandi, reflectendi, convincendi, proponendi, postulandi discamus, quem tamen in Collegio post modum negligamus: dicam nos Tirocinii
C tempus non malè quidem collocavisse, negabo, tamen nos in hac parte bene Tirocinium explevisse ac posuisse. Discit enim miles in otio, non ut artem pugnandi negligat, sed potius ut sciat & exerceat artem quam didicit, in aperto prælio. Sic & Religiosus discit in Tirocinio, qualis debeat esse & quâ cum perfectione actiones suas omnes peragere debeat in Collegio, & in toto Religiosæ vitæ suæ spatio. Ex quo elucescit illorum stultitia Religiosorum, qui quò antiquiores in Religione sunt, eo laxiores in consci-
D entia, & indulgentiores in se sunt, laxitatemque suam per antiquitatem excusant, quam in junioribus per hoc quod Iuniores sunt, tolerandam non putant.

2. Caput secundæ, classis Religiosus assuescat, non tantum rectam, puram, defæcatamq; intentionem in omnibus (præcipuè studiis) habere, sed etiam eandem crebrò in diem innovare, atq; si pulverem contraxit, expolire. Intentio enim recta, omnium ope-

rum est anima. Nihil ergo quæratur à Religioso nisi Deus, nisi propter Deum. Hoc sit ei familiare, sed ignitum alloquium *propter te Domine propter te*. Item: *Ad maiorem Dei gloriam*: Item: *Domine ut tibi placeam soli amplius, ut mihi placeas solus amplius*: quia mihi places. Item: Domine quia vis,& quia dignus es. Item: Omnipotentia, sapientia, bonitas, providentia, dignitas, voluntas, amor præveniens: ecce ego, & omnia opera mea coram Te, non propter me, non propter alios, non propter consuetudinem, sed propter te Deus meus ut omnia, quia hæc est voluntas tua, & dignitas voluntatis tuæ.

3. Caput, secundæ Classis Religioso sit cõmendatissimus ordo, modus, diligentia, aplicatio in agendo. Ordo, ut omnia agat suo tempore, loco, serie. Modus ut uniuscujusq; actionis suæ habeat peragẽdæ cum perfectione, modum, constetq; illi ratio quamlibet actionem peragẽdi cum fructu, merito, profectu, Dei gustu. Diligentia & applicatio, ut seriò agat quæ agit, ut ad minima (modò proficua actionis perfectioni) advertat, & omnibus numeris expletum opus Deo exhibeat. Ad ista se se assuefacere, quam proficuum Religioso, quàm fæcundum sit, dicere paucis non possum, multis hòc locô nolo: suadeo tantum, ut id Religiosus proprio discere satagat experimento. quid facilè poterit, si Dominus & sui juris, non autem actionum esse voluerit, si prævia consideratione, omnia agere voluerit; si cujuslibet operis sui rationem, Regulam modumq; prævisum, atq; vel à se excogitatum, vel ex praxi Sanctorum, vel ex Magistrorum spiritualium ductu habere in promptu curaverit.

4. Caput, secundæ Classis Religiosus tempus, pretiosissimum ut est, ita etiam reputet, atq; adeo avarissimè captet, & tenacissimè servet, maximè autem micas temporis innumerato habeat, & unicuiq; parti ac micæ occupationem, præcipuè piam designet, eamq; in eo expedire assuescat. Fures temporum, confabulatores socios, & inutiles nec profuturas occupationes, cognitiones, congressiones, curas declinet. Nullam non temporis partem, vel spiritui, vel studiis, vel labori utili impendat. O quàm multos audire solemus, suæ tepiditatis in spiritu causam, in defectum temporis ad vacandum Deô & sibi, in molem studiorum & occupationum assiduitatem conijcientes, qui potiùs ignorantiam redimendi & collocandi bene tempus incusare debuerant! Quàm multæ quotidie temporis particulæ his effluunt otiosæ & inutiles, quas si rapuissent, & vel solas in die, ascensui in Deum, exercitio interno virtutum impendissent, non tantùm tepididitatis spiritum & sensum in se ignorassent, sed ignitissimi fervore, unitissimi Deo, locupletati meritorum & virtutum gradibus, actuumq; numeris singulos in dies, evasissent. Sed hæc à superborum ac negli-
A gentium oculis abscondit Deus, ut sordescant in sordibus suis & refrigescant corde, *& evanescant in cogitationibus ac studiis*, & exerceatur in conscientiis suis, quas non colere, sed mentiente sibi iniquitatem clamantes obruere, & vanis, ac tantum *ad excusandas excusationes in peccatis*, excogitatis velaminibus & formalitatibus, atq; scilicet discretionibus, mutas facere volunt & contenti sunt.

5. Caput, discat Religiosus secundæ classis, non ambire occupationes extraneas sibi,
B discat potiùs minorari actu, non gaudeat videri aptus ad agendas res ad illas ve adhiberi. Sufficiat illi occupari cum Deo, cum suo, (si quod habet,) domestico officio. Amet cubiculum, quia anima sedendo & latendo fit doctior, fit melior, fit sanctior, fit cultior, fit purior. Ne discat Religiosus ante messem efflorescere. Agnoscat se adhuc canalem esse non concham, nondum habere satis pro se quo infundantur, nedum pro aliis quod effundat. Venient tempora, in quibus proxi-
C mis inservire poterit, (si tamen tunc voluerit) usq; ad defatigationem. Immaturi zeli, ordinariè sunt tepiditatis ac fastidii spiritualium rerum, negligentiæ verò in studiis, filij sementis murmurationum & linguarum, occasio turbationum & tristitiarũ &c. Quod si Religiosum talem ad actiones & occupationes, protrahit aliquando obedientiæ vel caritatis necessitas; obediat impendatq; se, sed non expendat, non effundat, commodet se actioni & negotio non donet, illudq, ipsũ
D ordinatè, quod tempus, locum, modum, superiorum mentem, sui cordis pacem, exequatur, nec ultra quàm sat est, illi immoretur. *Qui minoratur actu sapiens*. Eccl: 38. 25.

6. Caput, consuescat secundæ classis Religiosus, certam orationem & seriem, praximq; & occasionum varietatem, virtutibus exercendis idonearũ perspectam habere, atque ipso actu Virtutes ex proposito ac destinato, per anni, mensis, & dierum seu horarii

inter-

intervalla exercere, earumq; sive internas, si-
ve externas actiones, sibi familiares & faci-
les efficere. Frustra enim meditatio de rebus
piis, etiam quotidie instituitur, si actu & re
ipsa, Virtutum pietas quotidie non exercetur.
Frustra etiam, & parvo profectu, Virtutum,
inter meditationes proposita, desideriaq; con-
cipiuntur, nisi eadem proposita, certis tem-
poribus ac designatis occasionibus sæpius in
diem, assignato etiam numero vitiorum, acti-
bus ipsis perficiantur. Frustra animus Vir-
tutem, oblata qualibet insperata & fortuito
occasione retenturus & exerciturus, neque
transversum in subitanea perturbatione pas-
sionis agendus præsumitur, nisi antea idem
animus, aliquantùm longo tempore, cujusli
bet virtutis quotidiano & destinato usu ac e-
xercitio, partim praxim cognoverit, partim
possessionem adierit, & sese bene ac longè an
tè voluntario ac meditato studio, ad impræ-
visas imperatasq; virtutum exercendarum
occasiones præmunieverit & assuefecerit.
Sicut enim discimus in scholis, Latinè, emẽ-
datè, aut ornatè loqui meditatò, ut extra
scholas possimus eadem forma loquendi uti
quibuslibet se offerentibus occasionibus, e-
tiam impræmeditatè, aut sicut fidicen in cõ-
clavi, attenta meditatione discit & assuescit
lyra canere, ut in publico postmodum sine
ulla etiam attentione animi, expeditè & har-
monicè possit ludere: ita Religiosi meditatò
& ex proposito actus virtutis, nunc hujus,
nunc illius, tanto vel tanto numero exercere
debent, ut postmodum ad offerentem se for-
tè quamlibet occasionem alicujus virtutis,
parati faciles & assuefacti inveniantur. At-
que hoc, quod isto in capite retuli, adeo ve-
rum & necessarium censeo, ut sine ejus do-
cumenti practico usu, nullam virtutis soli-
ditatem unquam Religioso sperandam asse-
ram, quantumlibet ille multas decades an-
norum, in stadio vitæ Religiosæ decurrerit.
Neq; aliud est quod adeo multos decipit, qui
se senes Religione quia recordantur, ideo e-
tiam perfectos in virtute, & ab aliis credi vo
lunt, & semetipsi falsò arbitrantur. Qui uti-
nam errorem aliquando agnoscant suum,
& vel in hora ultima ad vineam Domini, Matth:
20. 6 Scilicet ad animam suam excolendã,
interiore operatione convertantur, ne fortè
aliquando, tota die otiosi stetisse convincan-
tur.

7. Caput, assuescant secundæ classis Reli-
giosi, omnes quotidianas & quandocunquè
in vitam suam incurrentes, sive occupatio-
nes, sive actiones, spiritu sublimare, devoti-
onis fervore incendere, Virtutum variarum
gemmis vestire, omnium deniq; requisitarũ
circumstantiarum perfectione & consumma
tione animare: sive actiones occupationesq;
sint natura objectoq; suo spirituales, sive ex
objecto quidem indifferentes, ex sola verò o-
perantis voluntate atq; intentione in spiritu-
alium operum indolem transformatæ sint.
A Non sit contentus, malam aut otiosam indif-
ferentévé actioné non esse quam agit: nõ sit
contentus bona à se intentione fieri: addat
insuper fervorem, attentionem, devotioné,
Dei vel Christi, vel Sanctorum imitationé:
addat internam spiritûs unctionem, addat
sui in opere, suæq; voluntatis in Deum & Dei
voluntatem liberalem & hilarem transfusio-
nem, resignationem, sacrificationem: addat
his gemina, quæ hic explicare & brevitas nõ
sinit, & unicuiq; a sua caritate, quæ ingeni-
osa est, atq; à gratia Divina, quæ nemini un-
B quam deest, facillimè dictantur. Neq; hic
operandi modus aut difficilis aut spinosus &
onerosus viribus corporis est, si prudentia at-
que discretio ac directio adsit, si per partes
discatur, & sensim consuetudo ad multa tra
ducatur, si præmeditatò quælibet opera exer-
ceantur. Hic certè operandi modus, qui eũ
sibi familiarem reddunt, perficit virtutes, au-
get merita, ditat animas, purificat corda, gra
tias omnis generis provocat, Deum familia-
rem facit, & Religiosum ad futuras circa
C proximorum salutem curas communit, secu
rumq; facit. Quod quidem melius experien-
tia quam doctrina discitur.

8. Caput, assuescat secundæ classis Religi-
osus, libertati Religiosæ in observatione Re-
gularum suarum in loquendo de Deo & di-
vinis, cùm tempus possit, in fungendo & e-
xequendo officio suo, juxta exigentiam ejus,
praximq; receptam, esto aliis id sit, submole-
stum, in declinandis defectibus aut etiam
cùm opus, & cui opus, deferendis. In obser-
D vandis consuetudinibus ordinis sui receptis,
antiquis & usitatis, in usu pœnitentiarum
externarum, publicarum. Nemo te Religi-
ose complicem defectûs sui speret, nemo nõ
vereatur te præsente in disciplinam peccare,
& non ideo quòd revereatur delationem tu-
am, sed quòd revereatur conscientim & ob-
servantiam tuam. Faciat tibi authoritatem
non ætas, non canities, non doctrinæ opinio,
non officium, non libertas arguendi, sed te-
nor

nor vitæ ad disciplinam institutæ, sed professio libera, atq; sancta, inverecundaq; ad Regulæ præscriptum semper vivendi libertas, ita ut reprehendat, vel reprehensura videatur alios, non lingua tua, sed vita, sed integritas, sed inflexibilis ab instituto & recto constantia. Qui sic vivere didicerit, huic ad solidam Virtutem diu aliquid deesse non possit. Utinam domus & Ordines Religiosi, A talibus viris virtutum abundent! Talis ratio vivendi cum consummata est, non ad mediam hanc de qua nunc agimus, sed ad tertiam classem mox tractandam pertinet: attamen dum peragatur, ad ædam spectat: quinimmo & legimus & experimur, quandoq; juvenum virtute præditorum præsentia graves etiam atq; senes, & Præpositos Religionum, ad meliora componi solere.

B 9. Caput, assuescat secundæ classis Religiosus zelum Dei gloriæ & animarum quam maximum in spe & exspectatione, sed temperatum in executione habere. Dum in hac classe est, zelum suum in hoc præcipuè exerat atq; excolat ut se se instrumentum zeli Deo, Ecclesiæ atq; Societati quam accommodatissimum efficiat, sive Virtus, sive doctrina, sive prudentia, sive quodlibet aliud requisitum spectetur. In veritate dico: C hominem Societatis olim circa salutem aliorū omnis generis hominum atq; statuum occupandum, oportet esse in omni ente perfectū, hoc est oportet esse in omni virtute, scientiâ, eruditione, animorum tractandorum dexteritate insignem, aut certé non mediocriter versatum. Talem ergo se efficere curet secundæ classis Religiosus, & satis spatiosum zelo suo campum, dum in hac classe est, habebit. D

10. Caput, assuescat secundæ classis Religiosus, nullam sibi in Religione neq; pro præsenti tempore, neq; pro futuro occupationem, locum, tempus, seriemvè actionum ab alieno arbitrio dependentium assignare aut permittere. Ad omnia se paret: nihil specialius & firmius desideret, esto etiam humilius zelo ingeniovè suo convenientiùs, id quod desiderat, videatur. E contra etiam à nullo refugiat impotentiùs (nisi quod ambitionem redoleat) sed sic se fingat, ut mollis cera sit, ut senis baculus & cadaver est, ut instrumentum est, quod manum elaborandam non sibi deligit, sed ejus deligendæ curam artifici relinquit, & ad delectam applicari ab eodem exspectat. Sit Religiosus aquæ similis, quæ nullam natura figuram habet, sed eam recipit, quam vas habet, cui infunditur, nullam etiam retinet postquam ex vase effunditur, sed alterius cōtinuo vasis, figuræ assimilatur. Talis Religiosus esse discat; non adhæreat loco, Superiori, socio, officio, hominibus, tempori, sed ejus vasculi figuram induat, ejus, inquam, imperii, omnibus circumstantiis se se accommodet, à quo dirigitur, aquæ congelatæ proprium est, retinere vasis figuram, etsi extra vas ponatur: sic Religiosi frigidi atq; tepidi ingenium est, adhærere affectu ad placita sibi loca, officia, opera, & ægrè ab aliis avelli, ad illaq; desiderio aspirare.

His exercitiis è Tirocinio desumpta virtus, à secundæ classis Religioso in Collegiis exercenda, educanda, & roboranda est: dum studet, dum docet, dum officiis destinetur aliquibus domesticis, dum sodalitates administrat, dum foras quandoq; ad præludendū zeli sui fervoribus dimittitur. Horum exercitiorum munita præsidiis virtus in Collegiis non labat, non flaccescit, immo roboratur & validior efficitur, alias vero ijs destituta nihil mirum si non flaccescit tantùm sed etiam evanescit. Non labor scientias comparandi, sed neglectus inter conquisitionem scientiæ virtutes exercendi, virtutibus nocet. Qua in re, sicut & in totis his capitibus istâ consideratione explicatis inexcusabiles sunt nostri in Collegiis Scholastici, quia nulli de nostris alii, tam commodè his omnibus quæ hactenus retuli, satisfacere possunt, ut Scholastici, quod si non faciunt, nemini præterquam sibi & ignaviæ suæ imputare debent.



CONSIDERATIO IX.

Ubi virtus possidenda & tanquam robusta atq; solidè perfecta, securè tenenda, & in usum revocanda.



Ertiæ Classis Religiosis, hoc est perfectis & consummatis viris, hæc Consideratio servit: est tamen & ab imperfectis nobis consideranda, ut sciamus quid desit nobis, & quò adhuc conandum sit nobis.

Post exacta Tirocinia, post completa studia, post comparata zeli animarum & gloriæ Divinæ subsidia, post instauratum tertiæ probationis fervorem spiritûs, prodit tandem miles tanto labore atq; tempore cultus, probatus, politus, institutus in aciem, Virtutisq; suæ tanquam jam solidæ & exactæ campum nanciscitur, edit specimina, experitur firmitatem, & quia supponitur à Religione perfectus, supponitur & à me in hac Consideratione, ideoq; in eâ non proponam (ut imprimis factum est.) Capita exercitandæ & perficiendæ virtutis, sed capita potiùs possidendæ atq; usurpandæ.

Atq; inprimis perfecto isti ac veterano, jamq; tertiæ Classis Religioso commendata esse desidero, tam illa, quæ primæ classi quàm ista, quæ secundæ classi Religiosorum superiùs capita sunt proposita, neq; enim talia illa sunt, ut in perfectis locum non habeant, absit: immo vel in his residere debent quàm maximè, fundamenta non sunt & parietes spiritualis ædificij, sine quibus laquear & tectum, & quælibet coronis frustra exstruitur. Notum est apud spirituales Magistros, tres illas vias, quibus hæ nostræ classes tres respondent, nempe Purgativam, Illuminativā, Unitivam, nec esse, nec debere inter se discretas, ut una altius vicissim officia non degustet. Degustant quandoq; incipientes, etiam delitias perfectorum: sed & perfectis expedit, nonnunquam descendere ad labores & lacrymas incipientium: blanditur sæpè incipientibus divina bonitas, & se se in sua dulcedine illis gustandam propinat, ut scilicet per uiam purgativam, per se se horridam alacriùs currant, sed & in perfectis dormitat quandoq; perfectio, & nescio quodam modo usu ipso Deus ejusq; conversatio ac familiaritas vilescit. Quo in casu, ait Bern: excitandus est timor ut excitet, seponenda parũ-
A per pia Dei vocabula & nomina, Patris scilicet amici, sponsi, recolenda autem interim illa severiora, Domini, Iudicis, vindicis & ultoris, quòd enim Pater, quòd amicus, quòd sponsus est, id tibi ô homo est, sed quòd Dominus, quòd Iudex, quòd ultor, hoc sibi & pro suæ gloriæ zelo reservavit. Atq; id ipsum dico de viæ Illuminativæ sectatoribus, debent namq; isti & aliquando incipientibus consentire, & ad perfectos ascendere, & vice
B versa ad illos tam ascendere incipientibus quàm descendere perfectis inutile non est, immò verò amantes Virtutum, & curiosi profectûs sui observatores viri, debent stata aliqua vitæ suæ tempora habere, quibus nũc in hac, nunc in illa, nunc in tertia incedant via. esto specialiùs & frequentiùs, occupari debeant in suâ. Sed jam ad promissa capita veniamus.

Primum Caput, in quo tertiæ classis Re-
C ligiosus virtutem suam solidam possidebit, & possidendo usurpabit, est ut sciat abundare & deficere, immo ut plus defectum gaudeat perpeti, quàm copiam amare. Ingenuè dico: sæpè ad scopulum paupertatis atq; defectuositatis corporalium commodorum, perfecti ac veterani allidunt virtutes suas, & naufragium perfectionis in pusillanimitate & amaritudine cordis patiuntur. Quoties
D perfecti isti implent domum murmure, si quid aliquando ad mensam, ad vestitum, ad lectum, ad cubiculum, ad currum deesse, quid dico deesse? non deesse, sed minùs copiosum, delicatum, pretiosum, molliculum, nitidum, superfluum, quàm volebant, adesse contigerit! Et tamen solida virtus, perfecta virtus, hæc non sentit, his non cedit, quia scit abundare & deficere, immo gaudet deficere, erubescit abundare. Male vestiri,

malè

malè veſci, malè habitare paupertas non poteſt.

2. Caput, in quo ſolida perfecti Virtus eminet, eſt linguæ imperium. *Nam qui non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir.* Iac 3 2. Minimum eſt in perfecto, amare & colere ſilentium: ſed inter loquendum verbo non labi, in labiis ſuis non capi, ſcire & poſſe cohibere ſpiritum, hoc perfecti eſt. In quo genere nulla, nulla omnino diligentia ſuperflua eſt, immo verò nulla ſatis eſt. At utinam non eos qui perfecti ſunt opinione ſuâ & noſtra, experiamur eſſe linguæ ſuper cæteros ſuperbioris, jactantioris, mordacioris, obtrectantioris, in cenſuris, in decretis, in ſecretis, in adulationibus, in doloſitatibus, in mendaciis effrenatioris.

3. Caput, in quo ſolida perfecti virtus eminet, pacis amor & tutela eſt. Perfectus vir neſcit lædere, neſcit lædi, neſcit iraſci, neſcit ulciſci, amat odientes, laudat detrahentes, juvat impedientes, conciliat à ſe vel inter ſe diſſidentes, aufert de medio fratrum ſcandala & diſcordiarum ſemina. Eſt pacis filius, eſt pacis author eſt pacis pater & princeps, & Angelus, eſt pacificus. Pretioſior eſt illi uncia pacis & fraternæ, caritatis centum libris diſcordiæ. Sed ô quàm rari ambiunt illud ſibi convenire: *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur!* Parum ſcilicet eſt filium Dei eſſe, præſtat diabolum inimicum pacis æmulari.

4. Caput, in quo ſolida perfecti virtus eminet, eſt linguæ dominium, ſed à proximè poſito diverſum. Linguis Superiorem eſſe, earum ſenſu carere, guſtu paſci, morſus earum in omni opere ſuo ſecuturos ſic ſperare aut ſupponere, & umbras corporibus novimus comitari, occaleſcere ad aculeos linguæ, famam, honorem, opinionem ſuam ex quacunq; re linguis omnium creaturarum donare, ac inter bona derelicta, quæ primo occupantis fiunt, reponere, ſacrificium illam Deo facere&, ſuper altare linguarum immolare atq; holocauſtum concremare: neminē ad reſtituendam ſibi famam ulterius (ex ſua quidem parte) obligatum velle, immo peccantem in eam, non peccare ſed mereri velle, detractorum ſuorum meritis ſe ſe apud Deum fulciri, veſtire, ornare: detractiones mercedem ſuam putare & petere, atq; inter panes quotidianos, quos in oratione Domini quotidie petimus, collocare' atq; mendicare- deniq; ſe detractionibus indignum judicare: nemini de ſuis detractoribus verbum ullum facere, & etiam coram Deo de illis ſilere niſi cùm libeat pro eis non ſub detractorum nomine detractioniſve cauſa orare: ita ſuperiorem linguis eſſe, hoc eſt libertatem nanciſci perfectorum, & terriculamenta ridere puerorum. Parvæ adhuc virtutis, & arundineam ſoliditatem habentis eſt, metu, ſenſu, flatu, linguæ alienæ agitari.

5. Caput, in quo ſolida perfecti virtus e-
A minet, eſt, obedientia. Perfectus non eſt cui præeſſe animus, obedire ægrè eſt. Perfectus mavult ſubeſſe 100 Præpoſitis quàm uni præeſſe ſubdito; perfectus obedit, quia amat obedire, & ideò tantùm ut obediat, ſive ut Deo ad voluntatem faciat. Perfectus differentias imperātium non novit, quis imperet, qualis? quid? quomodo? nihil attendit, quia Deum attendit. Perfectus, vere non fucatē, re non ſpe, facto non debito, ſubjectus & ſub ditus eſt. nulla ſua magnitudine ullum, ne
B dicam Prælatum, premit: pueri inſtar parvuli, inſtar agni & oviculæ gubernari ſuſtinet, immo poſtulat: moveri non refugit, monitus non excuſat, ſed manſuetus etiam in flagella paratus eſt. Nobilitatem, eruditionem, officia, gradum, ætatem, labores, non jactat, nō repetit: non authoritate gravis eſt: fulcrū ſuperioris eſt, & pro omnibus apud ſuperiorem, ſed non contra ſuperiorem, nec cum moleſtia ſuperioris, refugium eſt. Perfecto ſuperior libenter, ſimpliciter & fiducialiter
C imperat, quia perfectus, ſimpliciter, & fideliter, & prudenter imperata exequitur. Perfectus excuſationis linguam non habet, morari neſcit, frontem in mutatione non contrahit, de diſpoſitione non præcogitat futura, non turbatur de facta, in Dei voluntate & ordinatione, ac providentiâ ſe negligit, & ſecurus dormit.

6 Caput, in quo ſolida perfecti virtus eminet, eſt exemplum, quo præire omnibus in omnibus non tam laborat, quàm facilitatē,
D conſuetudinem, naturam habet. Perfectus enim Regula viva eſt inter Religioſos, quod enim Regula dicendo, hoc perfectus faciendo præcipit. Perfectus præit exemplo, quia compendioſum iter eſt exemplorum. Præit verò exemplo obedientiæ ac ſubjectionis, facilitate & tractabilitate. Exemplo paupertatis in victu, veſtitu, lecto, cubiculo, ſupellectili, rerum ſimplicitate: Exemplo minimorum diligentis & accuratæ & magnæ obſervantiæ. Exemplo confectationis humilium,

um, ac vulgo etiam ab humilibus & postremis negligi solitorum, apud perfectos enim nihil humile & parvum est. Si modò Deo placet: placere enim Deo maximum illis est, solumq; Dei placitum, est apud illos ratio & mensura, & pretium, tum rerum, tum occupationum, tum actionum: Unde ubicunq; placitum Dei inveniunt, illud enim maximum est, esto ignaris & cæcis minimum, sit aut vilissimum, & humillimum, sive abjectissimum. Quo sensu verò etiam *unum iota & apicem mandatorum suorum, etiam minimorum qui servet, hunc magnum fore in Regno cælorum refert.* Matth: 5. 19. Deniq; Perfectus præit exemplo vitæ communis & fuga omnis, in omnibus, singularitatis.

7. Caput, in quo perfecti solida virtus eminet. Temporis bonus usus, bonaq; ordinata, sancta, perfecta dispensatio, quia enim illius defectu laborat. & quia illud maxima parte proximorum saluti impendit, illo ad agendum cum Deo abundare non potest, occupatq; & redimit illud ubi potest, & redemptum tenet, & in brevi tantùm consummat & peragit, ut in eo expleat tempora multa, raritatemq; ac brevitatem, fervore atq; ignita intensione, & in Deum ebullitione, atq; ejaculatione impetuosissimâ sed reverentissimâ, sed humillimâ, sed amorosissima, compensat. Quod si se aliquando relaxant tempora, & otia indulgent, tum perfectus laxat retia in capturam, tum perfectus effunditur, & se dispergit totus in Deum, perit totus & perdit se in Deo, mente excedit, gulosè atq; sitibunde de Deo haurit, quod esurientibus Deum nectet. Non oberrat compita urbis, nun invisit domos, non terit per cubicula aliorum sibi & aliis tempus, gaudet se occupationibus suffurari, & Deo reddere posse. Nescit fastidire Orationi, longas non accusat orandi & examinandi horas, esurit & sitit sacrificia, atq; Sacramenta; verbo *Boni diei particula illum nulla præterit*, Eccl: 14. quâ non negotietur Deo, vel non agat cum Deo.

8. Caput, in quo perfecti solida Virtus eminet, caritas proximi, caritas fraterna est, in perfecti vita & moribus illud legere est: *Caritas patiens est, benigna est, caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* 1. Cor: 13 4. Perfectus gaudet carere ut aliis sufficiat: sibi durus, aliis blandus & mitis, & liberalis est. Neminem contristat, neminem contemnit: non verbo, non facto, non signo, non postulato. Omnibus cedit, omnibus se postponit, & postponi gaudet. Supportat infirmitates, dissimulat mores aliorum, interim cavet, ne quid in se sit, quod supportari ab aliis sit opus. Neminem spe sui boni amat, sed omnes in Deo, & propter Deum. Omnium mancipium est, præsertim qui indigent

A Deo. prodigus laboris, virium commodorũ, vitæ suæ, modo aliis prosit, hoc est, modò alios meliores faciat. Rogatus nihil negat, quo ipse carere potest & habet. Inferiorum est servus, parium mancipium, superiorum jumentum. Sic inter multos vivit, ac si aut cum nullo esset, aut inter illos non esset, ita incurrit in neminem, nisi fortè exhibitione caritatis.

9. Caput, in quo solida perfecti virtus eminet, est præsentia sui, sive reflexa vita.

B Perfecti est, circumspectum esse, capi non posse, nihil impræmeditatò, nihil imprævisè facere. Supereminere rebus, non immergi. Cor habere capax & latum, quod in guttis occupationum & solicitudinum non merga tur; prudentiâ, veritate, decoro instituti sui, puritate & fructu conscientiæ, dignitate Divinæ voluntatis gubernari. Rationi cedere & ejus servum esse: nec spe, nec metu, nec amore, nec odio gubernari. Pecuniæ amore, metu inopiæ non tangi, immo magis metum inopiæ quàm inopiam metuere, in nu-

C merato vitam suam actam agendamq; habere, ad se crebro redire, & se sibi restituere. spiritus probare suos, præsertim si vehementiùs impellant, hisce tardiùs obsequi, nec nisi bene explorentur origines ac fines eorum. Aurigante discretione in omnibus & ad omnia progredi. Ordinem habere, amare & servare, non tantùm dum quietæ vitæ spatium est, sed etiam dum solicitioris: in hac enim perfecti est ordinatum esse, & veluti boni ductoris inter hostiles acies compositis su-

D is agminibus incedere. Qui enim in vitâ, quantumvis per se inordinata & distracta atq; irregulari, ordinem & Regulam tenere potest, is profectò solidè suus est, solidè sibi cõstat, solidamq; virtutem habet, estq; *similis viro prudenti, qui ædificavit domum suam supra petram: in quam surrexerunt pluviæ & venti, & aliæ nubium furiæ in cassum, quia firmata est supra firmam petram.* Matth: 7. 24. Tales autẽ perfecti in uno annulo insculpi omnes possét.

10, Ca-

10. Caput, in quo solida perfecti virtus eminet, est fidelitas, atq; atiam liberalitas in Deum. Perfectus vir aut non sentit, aut ridet morsus vanæ gloriæ. ita gloriam suam evacuavit, ita amorem sui omnem sepelivit, ut fidem fecerit Deo, quòd non quærat, nec sit quæsiturus quæ sua sunt, sed quæ IESU Christi, & quæ gloriæ Dei inde Deus metu infidelitatis solutus, ac de fidelitate securus, nihil hominem veretur, nihil celat, nihil negat, se & sua bona illi concredit, etiam rara, etiam mira, sciens quia fidelis est cui credit, & non sibi sed Domino negotiatur atq; lucratur in talentis Domini. Immo verò Deus, dum tali homini beneficia donaq; sua largitur, scit se non homini, sed ipsi sibi, ea quodammodo donare ac largiri. Quia enim novit hominem talem non suam privatam, sed Dei gloriam in omnibus quærere, non sibi quidquam, sed Deo omnia adscribere atquè tribuere, donis Dei non in suum sed in Dei ipsius commodum hoc est exaltationem uti, inde fit ut Deus securus ad talem hominem juvandum, ditandum, honorandumq; etiam in oculis mundi sese demittat satis sciens, nihil eorum quæ homini fecerit dederitvè, apud hominem ipsum remansurũ, sed ad Deum ex fidelitate hominis rediturũ. Itaq; fidenter Deus effundit bona sua in talem quia certo scit se non in alium sed in se ipsũ illa profusurum. Atq; hæc est causa radicalis quare Deus *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, Iac: 4. 6. *Quare humilia respicit, & alta à longè cognoscit* Psal. 137. 6. Nempe à superbis rapinam suorum bonorũ extorquet ac repetit, in humilibus autem non illos, sed seipsum ditat, nec illis, sed sibi ipsi quodammodo bene facit. Quamobrem hæc, de qua loquimur, fidelitas, humilitas est, caritas est, amicitia Deo bene volens, paupertas spiritûs, puritas intentionis est. Hæc fidelitas, variæ gloriæ mors est, sepultura est, oblivio est: utpote quam in cognitione proprii nihili atq; imperfectionis & insufficientiæ, contemptuq; sui & odio demersit, & in æternum obruit, abyssisq; nihilitatis operuit. Hæc fidelitas ex notitia Dei, ex notitia nutricis omnium gratiæ promanat, atq; ideo omnia à Deo, omnia Dei esse, Deoque deberi protestatur: quidq; protestatur facit, omnia Deo fideliter ad novissimum quadrãtem semper restituit, parata & avida, plus etiam dare & supererogare Deo, si contingeret habere aliquid non Dei, vel non à Deo. Quod quia non potest fieri, gaudet, & solum Deum esse omnium fontem, cui omnia debeantur, contentissima est. Et hæc est liberalitas caritatis, cujus sensum perfecti nòrunt.

11. Caput, in quo eminet solida perfecti virtus, est zelus gloriæ Dei & animarum, de quo non amplius addo, quam quod hic sit
A cibus perfectorum, hæc vita, hæc substantia. Angeli sine zelo nihil sunt, ait S. Ambrosius, & perfecti consimiliter. Uno verbo, in zelo ita est perfectio, sicut Pater in filio. Zelus enim perfectionis filius est: quia perfectionis est lucere & ardere, & omnis qui audit, dicit; veni. Perfectio gignit zelum, zelus perficit perfectionem, qui enim verè perfectus est, is etiam verè zelosus esse cogitur. Et rursum, qui verè zelosus est, perfectioni servire stimalatur, tum ut faciat quod alios docet, tum ut defectibus suis salutem aliorũ
B non impediat, ut gratior Deo factus, gratias uberiores ad juvandos alios lucretur. Unde zelosum esse & perfectum non esse, perfectũ esse, & zelosum non esse, non cohæret. Quod si ubiq; verum est in hominibus Societatis maximè verum esse, pro certo constare debet.

12. Caput, in quo solida perfecti virtus eminet, est securitas. Volo dicere: Perfectus ille est, solidæ virtutis Religiosus Societatis ille est, cui Religio fidere securè potest, fidere, inquam securè atq; se concredere, & in manibus ejus tutò deponere Dei gloriam, fi-
C dei virtutisq; incrementum, defensionem Ecclesiæ (contra malos Christianos, contra hostes Hæreticos, contra rebelles Schismaticos, contra cæcos infideles) famamq; nomen, & disciplinam Societatis, ipsiusmet deniq; personæ virtutem, perfectionem, salutem. Tales Societas requirit, tales format, tales Ecclesiæ promittit. Nam & Pater cœlestis IESUS Christus tales quærit, *qui adorent eum in spiritu & veritate*, Ioan: 4 23. *Qui portent nomen eius coram gentibus & Regi-*
D *bus, qui non erubescant Evangelium*, Act: 9 15. qui non quæstum, non delitias, non libertates, non vanitatem, non hominum gratiam ponant pietatem, qui per ignominiam & bonam famam, *in fame & siti, in frigore & nuditate, in vigiliis, in plagis, in periculis, in mortibus multis*, 2 Cor: 11. 26. 27. & frequenter. IESUM Crucifixum, nudum, stultum prædicent: redarguant eos, qui ex adverso sunt, in doctrina sana, in patientia multa, in gaudio superabundanti. Tales Societas perfe-

ctos

ctos quærit, quibus nihil nocet conversatio, nihil plausus, nihil gratiæ hominum, nihil sufficientia rerum, nihil libertas vitæ. Tales quærit, qui bene sibi præesse norint, quando nemo illis præest, qui extra Collegium positi, in se ipsis habeant Collegium, habeant superiorem, habeant Regulam. Tales quærit, qui in turbis solitudinem, in distractionibus collectionem, in laboribus Orationem atq; contemplationem, in effundendo se aliis, cum Deo tamen suo servent unionem & puritatem, & familiaritatem. Tales quærit Societas perfectos, *qui verbo & opere potentes coram Deo & hominibus* Luc. 24. 19. Crucem Christi in corpore suo jugiter circumferentes, & eam carnis propriæ afflictione, inediis, vigiliis, laboribus, fatigationibus, in hostiam Deo quotidianis immolationibus, hominibus amabilem, & appetibilem, dulcemq; & honorificam efficientes, sint veri ejus professores, veri professi, veri IESU socij. Tales quærit societas perfectos, qui ædificationi sint omnibus, qui non sint scandalo, qui in res externorum, in negotia, status, in conficiendas causas, concilianda Matrimonia, aut mercimonia, in testamenta, in magnatū secreta, in domuum & familiarum regimina, in promovendorum merita, non sciant, nos sinant, non ferant se immisceri. A

Hæc sunt in quibus perfectorum Societatis atq; tertiæ classis Religiosorum, solida virtus eminere debet. Ad hæc aspirare omnes nos convenit, quotquot perfecti non sumus, in his stare, in his eminere, in his roborari & perfici, hæc sapere eos convenit, quotquot perfecti sunt. Quòd si cui hæc ardua videntur, is sciat non impossibilia proponi, sed perfecta; ad quæ conari tenentur, qui studium perfectionis profitentur. B



DIES IV.

De occasionibus solidæ Virtutis. 1. In vita privata. 2. In dispositione Superiorum de nobis quoad studia, officia, gradus. 3. In executione officiorum.

CONSIDERATIO X.

De occasionibus solidæ virtutis in vita Religiosa privatâ.



Fusiores fuere proximæ Considerationes, id enim natura earum requirebat, ut fusiùs proponerentur. Quanquam, si quæ res est, loquamur multa sunt ad considerandum proposita, nō autem fusis sed adstrictis verbis explicata. Sequentes tamen Considerationes pressiores forsan erunt, quantum etiam per materiam earum licebit.

Considerandæ ergo se offerunt occasiones virtutis solidæ in vita Religiosa, quæ quidem aut est omnino privata, & in qua soli sibi Religio sus attendit, & ea tantùm, quæ sunt universaliter omnibus præscripta facit, aut certè est officiis aliquibus applicata, & quod ad aliorum etiam usum derivata. Utraq; vita & est occasio & habet occasiones virtutis, sive solidandæ sive solidæ hoc loco expendimus vitam privatam, & quomodo sit solidandæ solidævè virtutis occasio, inspicimus. C

Vita ergo privata, & intra domesticos parietes inclusa, nullis publicis officiis, nullis conversationibus externorum, nullis curis subditorum implicita, sicut est omnium pacatissima, ita etiam ad solidas virtutes conquirendas exercendasq; aptissima; adeo, ut qui in hac vita positus solidarum virtutum

 studio

studio se non dederit, neq; iis animum imbuerit atq; insuefecerit, is nunquam deinceps virtutem ullam solidam sibi comparaturus sit, sed semper teneras, fragiles, imperfectas & magis in specie, atq; externa imagine, quàm in ipsa re & veritate, positas virtutes habiturus. Quod utinam non quotidianis discamus verum esse experimentis! sed videmus omnino, manibusq; palpamus, ex privatâ vita prodire Religiosos homines in publicum, non cum eâ morum maturitate, non cum ea passionum edomatione, non cum ea sensuum mortificatione, non cum eâ à propriis commodis sive sensualibus, sive non-sensualibus aversione, non cum eâ cum Deo conversandi seseq; gubernandi scientia. cum qua & par erat, & Religio sperabat & ipsi poterant prodire. Accedunt enim ad officia, ad res gerendas, & conversationes, crudi, nō excocti à passionibus, impotentes iræ, linguæ, lætitiæ, invidiæ, cupiditatis, æmulationis, gulæ, avidi laudis, otii, commoditatum, favorum: impatientes monitionum, delationum, observationum: effusi ad externa: tædiosi in orando, legendo, se examinando, alta sapientes, nulli non, judicio suo, pares, sive personæ, sive officio regimini, & regentibus asperi, atq; refractarij, factiosi, humilium operum & officiorum fugitantes, regularum contemptores, fratrum observantiorum & disciplinatorum persecutores & irrisores, innocentium, incautorum subversores, profectûs sui spiritualis negligentes, ac de eo nunquam seriò soliciti. Tales, dico, vel prodeunt, vel postquam prodierunt paulò alij, tales tamen citò efficiuntur, & ad seculi mores sub vestitu Religioso se conformāt. Atque inde postmodum fit, & quoniam periculosi sunt, quoniam in officiis & ipsi pereunt, & aliis etiam publicè nocent: ab officiis avelli, à locis abstrahi, à conversatione arceri cogantur. In quo passu illi non se accusant, sed delatorum malitiam, sed Superiorum credulitatem, sed aliorum invidiam causant, neq; agnoscunt errata sua, neq; agnoscunt pericula sua, neq, agnoscunt scandala, domesticis vel externis à se data, neq; agnoscunt ad eorum mutationem coactam descendere mærentemq; tam Religionem quàm superiores Religionum, cùm doleant, eis se uti non posse ad sui instituti munera, quos ad illa securè & ritè obeunda, tanto tempore, tanto sumptu, tantâ curâ, tot laboribus, instruere atq; perficere laborarunt. Tota porro hæc malorum series ex illo in primis profluit fonte, quia in privata vita ab istis, seriò spiritu, seriò mortificatione, seriò virtutum usui vacatum non est, sed omnia acta perfunctoriè, ad oculum, politicè, vel serviliter. Unde perfectio vel nulla acquisita est, vel radices non misit, sed incalescente occupationum sole nata exaruit, quia non habuit humorem. Sed hæc obiter expensa sint. Vita igitur privata, occasio, & spatium, & tempus aptissi- A mum est, solidandæ virtutis, quâ quidem occasione quisquis gaudebit & sapiet, is quàm fructuosissimè ea uti laborabit, juxta illa capita omnia Consi. 7. & 8. primæ & secundæ classis Religiosis superius commendata, quibus adjungi hæc poterunt sequentia.

1 erit Caput, sectari vitam communem in omnibus, ita ut facias ea quæ omnibus faciendæ præscribuntur, facias cum omnibus eo scilicet tempore, & loco, & ordine, ac modo. Surge cum surgendum: præpara orationem cùm præparanda est: meditationem B fac, quando alij faciunt: Sacrum fac vel audi, quando tibi præscriptum est: nulla in re eximiùs esto. omnes æqualiter ama & honora: omnibus æquè promptè inservi, nisi fortè cum humilioribus libentiùs velis conversari.

2. Caput, vitam secteris communem, sed tamen ne secteris communem, hoc est: omnia quæ aliis facienda imperantur, & tu fac, non eo tamen modo, quo alii fortè communiter & de plebe Religiosi solent, sed longè C alio, perfectiori, accuratiori, fæcundiori modo fac. Age ordinaria, sed non modo ordinariò, verum sublimiori, & ad Dei gustum accommodatiori. Nolo te exoticum & singularem esse: externas apparentias vitæ: intus operare, intus perfectio tua sit, *quia omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Psal: 44 14 Id verò cum in omni opere serva, tum præcipuè in his, quæ interioris sunt hominis bona & opera, ut est Oratio, Meditatio, Sacramentorum usus, in his apparandis Sanctissi- D mos quosq. æmulari, & transcendere adlabora

3. Ama nesciri, ama latere, ama ignorari & pro nihilo reputari, præcipuè ab extraneis. Nidus est iste humilitatis, fons pacis.

4. Omnis actionis exercendæ à te, habe modum, & certas tuas in quovis opere observationes pias, sanctas, internas, solidas; quæ te faciant sibi notum, quæ te faciāt cautiorem, puriorem, ferventiorem, Deo propi-

orem, ut sunt: reflexio practica, prævisio occasionum virtutis vel peccati, intentionis renovatio &c. Oblatio & sacrificatio tui, imitatio Christi, devotionis ignitæ fervor, voluntatis divinæ gustus atq; dignitatis æstimatio &c. dolor de defectu, propositum &c.

5. Nullius vitam, nullius eventum, nihil novum, nihil factum, vel futurum curiosè cognoscere velis: tecum habita, quid ad te? sufficiant tibi ad occupationem & notitiam, Deus, tu ipse, officium tuum, cætera aliis relinque. Nemo tibi sit malus, præter te ipsū, neminem labora judicare præter te ipsum, quia nemo læditur nisi a se ipso. Nulli ergo invigila, nulli diffide, nulli irascere, neminem puni & accusa & damna, nisi te ipsū.

6. Cubiculum ama ut cælum, extra illud esse sine obedientia & caritate ac necessitate cave, festina ad illud, tanquam piscis ad aquam.

7. Legere, loqui, audire, scribere spiritualia cùm potes, ambitiosè etiam satage, multa disces a calamo tuo, quæ nunquam credideras in eo a Dei gratia esse deposita. Multa disces & ab aliis.

8. Motus animi tui, quos inspirationes, lumina, dictamina, actualis gratiæ auxilia vocamus, observa lynceis oculis, & quocunque in loco advenerint tibi, rape, rumina, scribe; venæ enim, ista susurri Divini, ineffabilibus plenæ divitiis, deliciis, præsidiis, Expertus credes.

9. Nullum te magis delectet vitæ genus atq; exercitij, quàm quod te ad tui notitiā, & Dei scientiam deducit: cujusmodi est meditatio reflexa, atq; reflexio ipsa: Examen conscientiæ, tam super admissa mala, quàm super omissa bona, crebrum in die, Collectio diurna, hebdomadaria, menstrua &c. vitiorum impugnatio, aut virtutum exercitatio certarum, singulis diebus, certò numero. Nulla anima est nitidior quàm illa, quæ in manibus est semper. Cor extra manus positum, contrahit rubiginem, sicut extra incudem vel usum, ferrum.

10. Ama vitam privatam, & ejus tempus bene colloca, ea interim conquirendo, quæ proderunt tibi cùm eductus fueris in vitam publicam.

A 11. Humiliationes tui atq; mortificationes præcipuè confusivas & honoris conculcativas quære, subi, ama, puniri patere; moneri quære. Carnem crebris sed brevibus, & quas multos in annos continuare possis mortificationibus semper preme. Plus prosunt quotidianæ breviores quàm raræ longiores afflictiones. Gulositatis esto inimicus, hæc enim subministrat pabula igni gehēnali.

12. Vitæ tuæ ratio constet Magistris tuis Ducibusq; spiritûs, in quorum manibus esse,
B ut puer innocēs & simplex, cura: illi tecum habeant eam libertatem quàm tu ipse. Quòd si contingat te carere tali Patre, eo utere, quem poteris habere, porro præ omnibus tu tibi esto custos & monitor: & cùm per omnia tibi attendere curaveris, adverte ne ipsā curam & diligentiam negligas. Totum te cura, totumq; spiritum, sed in his etiam ipsammet spiritûs curam cura. Fervori tuo
C fervententer attende: examē tuum examina, reflecte te super reflexionem tuam, & de tua meditatione meditare, nihil sinas à te fieri ex usu: nunquam suppenas te satis versatum, assuetum huic vel illi exercitio: assuetudini ipsi attēde, & ne illi assuescas cave. Consuetudo tua, semper tibi sit nova, & tu illi.

Hæc in privata vita, & in omnibus ejus a-
ctionibus (si quis sit Tiro, sive literarum stu-
diosus, sive juventutis Magister, sive tempo-
D ralis Coadjutor, sive quicunq; extra communiora positus) occupationibusq; observasse, proderit ad virtutis soliditatem, parandam, sive tuendam.



CONSIDERATIO XI.

De occasionibus solidæ virtutis in dispositione Superiorum de nobis exspectanda & acceptandâ.



Vita publica, quâ ad aliis inserviendum destinamur, duplicẽ habere assolet difficultatem. Una est Applicatio ad illam, A vel applicationis exspectatio, atq; acceptatio. Altera est, ejusdem executio. Hic de priore consideramus.

In Societate vita privata non ideo indulgetur, ut in ea hæreatur, sed in ea ad publicam Religiosus præparetur. ubi præparatus fuerit in privata, & publicam exspectet. Publicã vitam voco officia atq; ministeria quæ aut sunt domestica, ut esse superiorem, ministrũ, B spiritûs præfectum, aut sunt ad externos, ut confessarium Concionatorem, Professorem, Missionibus deputatum, Æconomicæ rei curandæ addictum Ianitorem, Sacristam, Emptorem &c. Ad hæc spirituali officia applicatio post privatam vitam exspectanda est: nec verò ad officia ipsa solùm, sed etiam ad tempus, quando & quamdiu; ad locum, ubi ad personas, apud quas & cum quibus officia obeunda erunt.

Hæc exspectatio difficultatem habet, & C audeo dicere, lima est atq, Lydius lapis solidæ virtutis. Quem hæc exspectatio non pertentat, mihi multum solidæ virtutis ille videtur præclarum signum habere. Iosephum Anchietam nostrum legimus, de se aliquando pronunciasse nunquam sibi in mentem venisse, posse se fieri sacerdotem, item nunquam sibi in mente obversatum, posse se fieri professum. Et ista exspectavit, curavit, laboravit fieri, cui neq; posse se fieri in mentẽ D unquã venit? O qualem in animâ illâ pacem habitasse credam, quàm uni Deo, uni ejus voluntati & gloriæ curandæ intentam, cui de se talia cogitandi nunquam in mentem venit! Et quid est sibi punire, animam suam perdere, oblivisci sui, totum se in Deum trãstudisse ac immersisse, totum suum cogitatum in Deum jactasse, si hoc non est; Est igitur hæc de suâ dispositione incuria, virtus solida, dispositionis autem exspectatio, virtutis solidæ exploratio. Quid in hac re sentiam Religioso faciendum, hisce capitibus exponam.

A 1. Desidero, ut Religioso nunquam in mentem veniat hæc quæstio. Quid de me fiet? Venit aliquando in mentem B. Aloysio istiusmodi cogitatio, quàm ita expellere laboravit, ac si capitalissimi sceleris periculum sese objecisset.

2. Si quando venit ista cogitatio in mentem, illico explodat illam dicens: Quid ad me? *Dominus regit me, Dominus providebit, Domino est cura de nobis,* & uno verbo caput il- B lud Evangelij, in quo Dominus contra solicitudinem accurate disputat, opto medullitus à Religioso, & disci & verè penetrari. Ac profectò, si quæ cogitatio Religioso, ista sanè est in injuriam Dei, ejusq; voluntatis providentiæ, ac fidelitatis. Commisit se Religiosus Deo regendum per superiores, ut quid ergo de sese cogitat? An non fidit Deo? an putat malè de illo dispositurum Deum? an non salubriter? an non ad exigentiam C ejus? Hæc est iniquitas infidelitatis pessimæ hæc cogitatio sacrilegæ mentis & de Deo in bonitate, non sentientis. Si credis Religiose Deum esse sapientiorem quàm tu, crede etiam, quæ meliùs norit: quid sibi evenire, quid agere, ubi manere expediat, quàm nosti tu. Si credis te magis à Deo diligi quam à te, crede etiam quod Deus melius tibi velit, melioraq; & in melioribus circumstantiis tibi ordinaturus sit, quam vel cogitare, vel optare possis tu. Si credis Deum esse melio- D rem quàm tu, crede quæ meliora etiam pro te provisurus, atq; inventurus sit quam tu. Si credis Deum esse potentiorem quam tu, crede etiam Deum efficacius sibi salubria, nemine impedire valente provisurum quàm te. Crede ergo Deo, proijce te in eum, proijce securus: non se subtrahet ille, non deerit tibi, non fallet fidem.

3. Desidero, ut Religiosus, quantùm ad

præsens

præsens propositum attinet, illam Regulam ex Comm. 21. & intelligat, & in memoria, & multo magis in praxi teneat: (Quæ à Superioribus circa administrationem agenda sunt, nemo curiosè ab aliis exquirat, aut cōjecturam faciendo, de iis sermonem misceat, sed unusquisq; sibi ac muneri suo attendens, quidquid de se atq; aliis constituendum erit, tanquam de manu Dei expectet.) Quæ ista Regula præcipiuntur hæc sunt. 1. De Regimine superiorum & de dispositionibus futuris non curiosè inquirendum. 2. Conjecturæ non faciendæ. 3 Cum aliis de hac materia nihil loquēdum 4. Ut id præstari à singulis commodè possit, muneri suo & sibimet à quoq; attendendum 5. A Deo omnia ordinanda sciat, speret, exspectet, acceptet. Hæc si servarentur, satis essent. ubi sunt illæ nostræ divinationes? prævolationes, minorum prophetarum revelationes ac prædicationes? assertiones? in vulgus sparsiones raro absq; injuria aliorum aut molestia & perturbatione? Hæc sanè etiam à senibus fuerit: sed non ex spiritu Regularū fiūt.

4. Si absq; cogitatione & solicitudine esse non possumus, saltem ea solicitudo in potestate nostra sit, non faciat nos inquietos. Nihil determinemus vel nolle vel velle, vel petere, vel refugere, sed in medio consistamus, & si quid occurrit aut optabile aut formidabile, Dei totum providentiæ relinquamus, desiderium ad indifferentiam conformemus, & metu futurorum, fortè non futurorum nos cruciari ac turbari non sinamus.

5 Si petendum est aliquid à superiore, sic petendum, sicq; proponendum ut Regula summ: 46. præcipit, & ut in exemplo de obedientia præscribitur. Verba Regulæ, duo servari in hac parte volunt Primum ut antequam ad Superiorem aliquid referamus, orationem præmittamus ad Deum, quâ facta si proponendam nihilominus rem senserimus, tum demum proponamus. Secundum, ut re superiori ex[illegible], ejus omnem curam eidem relinquamus, & quidquid statuerit, id optimum dicamus, nec ultra tam per nos, quàm per ullum alium urgeamus, sed persuadeamus nobis id Deum velle, idq, nobis & obsequio Dei expedire, quod statuit Superior. Porro in epistola de obedientia, jubemur animum in quodam æquilibrio collocare, ut neutram in partem postulati, plus minusvè propendeamus, sed æquo animo parique quiete acceptemus, sive annuat, sive renuat superior.

6. Si quid contra spem aut propensionem aut honorem reputationemq; nostram à Superiore de nobis sit ordinatum, si quid violentius inexspectatumvè tam à nobis, quam ab aliis, de nobis statuatur: tum vero caveamus perturbationem animi, tum ad orationis subsidia recurramus, tùm verò ponamus nos in manus Dei & dicamus: *Non mea, sed* A *tua voluntas fiat Domine*, Luc: 22. 42. tum fugiamus murmurationes, suspiciones, compassiones, animum non mulcentes sed exulcerantes, tum gaudeamus quod certi simus nos à Deo regi, & quòd non ex humanis seu nostris, sed divinis rationibus simus deinceps victuri, quòd ad actiones nostras sequentes, nihil de nostra electione, propriave simus voluntate allaturi. Quâ consolatione, nescio, an aliquid sit in vita Religiosa homini Religioso optabilius, atq; etiam solidius, hoc est enim summam Votorum Religiosi statûs B assequi, nempe desciscere à consortio & fermento suæ propriæ voluntatis.

7. Omnis difficultatis atq; molestiæ, quæ se se offerre solet in exspectatione & acceptatione dispositionis de Religioso, ipsi homini Religioso, nullus est fons alius præter amorem sui privatum, ex hoc enim timor, ex hoc spes, ex hoc adhæsio, ex hoc fuga, ex hoc suspicio, murmuratio, repugnantia voluntatis, respectus humani excogitatio rationum excusantium, refugium ad alios (etiam externos) diffidentia, aliaq; plurima, mala eveni- C unt, in animumq; Religiosi prorepunt, ac illum pace spoliant, turbatum reddunt, sibi gravem, molestum superioribus, obedientiæ refractariū, in officio segnem. Monet nos Apostolus: *Nolite locum dare Diabolo*, Ephes: 4. 27. quod explanans Augustinus, ait: *duas esse Diaboli portas, timorem & amorem*. Nihil timeat homo sibi evenire, nihil amet: clausit locum & portam Diabolo.

8. Perfectionis amator Religiosus, in hac materia, aut nunquam cogitabit, quid sit de se statuendum ab obedientia: aut si cogitabit D proponet omnia sibi ob oculos, quæ sperare vel formidare posset, & ea quidem quæ illum deprimere, quæ viliorem in suis & aliorum oculis ferre possent, pro se eliget, à Deo petet, ad illa se se, tanquam certò eventura essent, cum gaudio, cum animi profectu & quiete, de manu obedientiæ divinæq; providentiæ præparabit, & confirmabit. Sic confirmatam mentem prævisa jacula minùs turbabunt, quia minùs ferient.

9. Por-

9. Porro pro præſenti negotio, nihil conſultius, nihilq; ad virtutem ſolidandam præſentius, plana & plena ſui in Dei voluntatē reſignatione, quo genere exercitii in ſpirituali vita, ſicut nihil eſt ſublimius, ita nihil utiliùs, nihil ad omnes animi perturbationes evertendas efficaciùs, nihil ad æternam cordi pacem parandam robuſtius, nihil à Religioſo animo concipiendum ardentiùs, quærendum diligentiùs, augendum avariùs, tuendum obſtinatiùs, mendicandum à Deo humiliùs. Hanc qui aſſecutus eſt, omnia habet, nec quidquam quod in vita ſpiritûs, ulteriùs quærat, reperiet. Perfecta enim reſignatio, omnis virtus eſt, & ea quidem perfecta. Hujus dignitatem, ſi quis ignorat, (ignorat autē quia expertus nō eſt) fruſtra laudo, ſi quis novit, etiam fruſtra laudo, nam nec ille capit quod dicitur, & iſte meliorem laudatorem, experientiam ſcilicet ſuam habet.

Quod autem dixi hactenus in hac Conſideratione de difficultate in expectatione & exceptione diſpoſitionis ad officia atq; miniſteria. Id ipſum dico de exceptione diſpoſitionis ad ſtudia harum vel illarum ſcientiarū, illo vel illo loco, tanto vel tanto tempore. Item id ipſum dico, de exceptione diſpoſitionis ſeu promotionis ad Sacros Ordines, poſt tot vel tot, ſtudiorum talium vel talium annos. Item id ipſum dico de exceptione diſpoſitionis, ſeu promotionis ad gradus Religioſos trium & quatuor votorum ſolennis vel non ſolennis profeſſionis, ut mos eſt. In qua exceptione talium diſpoſitionum, quæ, quantæ, quales ſoleant aliquando eſſe in aliquorum animis difficultates, luctæ, pugnæ, mærores, nihil attinet dicere, quia forſan nemini non contigit oculis videre. In his paſſibus nihil ſuaſerim aliud, præter jam dicta. Certè cum ad Religionem perreximus, nulla ſtudia, nullos ordines, gradus nullos, ob oculos nobis proponebamus. Unicum propoſitum fuit, Deo ſervire, animā ſalvare, ex mundi laqueis ac periculis evolare, pro Deo & Chriſto pati, humiliari obedire, laborare, ad omnem ſuperiorum voluntatem paratum eſſe. Ut quid ergo linguam hanc tunc obliviſcimur, quando illam vel maximè callere debuimus? Si tot vel tot annorum doctrinæ causâ Religionem iniiſti, ſacrilegus es, & mendax & impoſtor; inſuper ſtultiſſimus es, qui tam ardua viâ (qualis eſt Religioſa vita) ſcientias quæſiturus veniſti, quàm longè planiore, ſecularis vitæ tramite decurrere potuiſti. Quod ſi meditans Religionem, curam ſtudiorum tuorum & ſcientiæ, annorumq; in ea ponendorum reliquiſti, cur ergo nunc illam tibi reſumpſiſti? cur tibi arrogas, quod pridem, quod toties, Deo providentiæq; ejus permiſiſti? Non vides te meliore ſpiritu præditum fuiſſe nō- A dum tironem, quàm nunc veteranum? non pudet defeciſſe te, in quo profeciſſe debueras? Ad hæc, ſciſne tu expedire tibi tot annorum & iſta ſtudia? Si noſti: aut ſtultus, aut injurius eſt Deus in te, qui tibi proficua ad ſalutem & profectum invidet: tu verò & juſtior, & ſapientior es Deo. Si non noſti: ut quid ergo ignota appetis, & forſitan nocitura? Cur ea quæ optimus animarum curator Deus tibi ſubtrahit, pabula, aſſerens periculo non vacare, tu importunus puer ut æger expoſcere, ut lacrymas exigere non B deſines? Ad Sacerdotii tempora quod attinet; unum tantùm quæro ex te qui turbaris, jamne ita purus & Sanctus es, ſacerdotioque idoneus, ut S. Franciſcus Aſſiſius fuit, quando ad Ordines ſanctos recipiendos pergens, ab Angelo repulſus fuit? ſi ita purus es nondum ſacerdotio aptus es; ſi purior: audeo tibi obiicere illud Iudaicum: *Tu de te ipſo teſtimonium perhibes teſtimonium tuum non eſt verum.* Ioan, 8 2. neſcio autem an tu mihi verbis Chriſti reſponſurus ſis. Ad gradum in Religione quid dicam? Non aliud, C quàm illud: Antiquæ Societatis mos fuit, petere. & Tironibus petendum jugiter inculcare. Domine da mihi humilem ſeu infimū in Societate gradum. Quod ipſum ſi nos eodem illo primævo & ſincero ſpiritu peteremus, & poſtulare conſueſceremus, audeo dicere, nec ipſi in oblati[illegible]umilis gradùs quidquam timoris ac n[illegible] ſentiremus, nec alios ſentientes notare[illegible]us. *Vtinam Deus convertat corda Patrum [illegible] filios*, illorum, inquam, Patrum, quib[illegible]uam mentem D venit, poſſe ſe profeſſ[illegible]otorum fieri, quibus ſupra ſuum meritu[illegible], & dignitatem videbatur ad gradum formatorum ſpiritualium evehi. Cujuſmodi etiam nunc non exiſtimo deeſſe, opto tamen omnes omnino tales eſſe.

Hæc quæ dicta ſunt, ſic conſiderentur, ut ad intimos animi receſſus demittantur, & cum ſolitis animi ſenſibus conſuetudinibuſque conferantur, ac tandem ad normam eorum animus, ſi fortè diſſimilis eſt, componatur

tur & ſolidetur, ut in exſpectatione diſpoſitionis ſuperiorum de ſe, non ſolicitus, non turbatus, ſed ſecurus, ſed quietus permanere, & omnia tanquam de ſuaviſſimæ prudentiæ Dei manu exſpectare, acceptareq; conſueſcat.

CONSIDERATIO XII.

De occaſionibus ſolidæ Virtutis in executione officiorum.



Olida Virtus non ſolùm Religioſum armare debet, ad Religioſè exſpectandam acceptandamq; diſpoſitionem de ſe Superiorum voluntatiſq; divinæ: etiam ad executionẽ officiorum impoſitorum eos comitari & adjuvare decet. Sunt enim nonnulli, qui imperata ſibi officia, acceptant illi quidem utcunque Religioſi, ſed eadem exequuntur haud equidem religioſè, vel quia exequendi illa uſum non habent, vel quia ad ea exequenda, non propriæ ſed tantùm alienæ voluntatis guſtum adduxerunt, vel quia moleſtum, invidioſum, humile, cenſuris obnoxium officium arbitrantur, vel quia puſillo animo ſunt, & reſpectibus humanis laborant, vel quia non diu ſe in officio manſuros ſperant vel quia cõmodis propriis quibus inhiãt aut inſueverunt, in officio præſenti carere coguntur, vel quia per hoc officium obſtrui ad alia ſibi gratiora & deſtinata, aditum putant, vel quia ſe tantùm vexari ſeu probari opinantur, non autem ſeriò applicari, vel quia in eo de erroribus admonentur, quæ admonitio cùm moleſta ſit, cupiunt cavere officio potiùs quàm moneri, vel quia (ut reliqua omittam) hanc ſibi extricandi ſe ab inviſo officio viam deligunt, ſi aliud conſultò negligenter, non ad mentem obedientiæ, non ad menſurã ſuæ ſufficientiæ obtigerit, & ex hoc ad aliud obeundum inepti, atque adeo etiam amovendi judicati fuerint.

In hoc rerum atq; occaſionum genere, quomodo Religioſa ſolida virtus, vel exerceri vel poſſideri poſſit ſequentibus ex capitibus cognoſci ex parte poterit.

1. Caput. Non eſt ſubditi Religioſi judicare ſicut de aſſignatione ad officium, ita & de viribus exequendo officio paribus. Obedientia enim non aliter judicare poteſt, quàm ſcriptum eſt: *Sicut audio, ita iudico.* Ioan. 5. 30 de cætero judicare imperantium eſt, facere obedientium. Quam ſæpè experimur nos ſuperioribus opponere impotentiam virium, qui potiùs ſub iſto prætextu opponimus refragationem voluntatis! dicimus, re-
A perimus, non poſſum, non poſſum, cum tamen illud nihil aliud ſonet, niſi, nolo, nolo. *Mentitur iniquitas ſibi* Pſ: 26 12 & quod non vult, hoc ſe non poſſe facit, enervatq; vim obedientiæ, & fidem in voto Deo obligatam frangit. Obedientia non attendit an poſſit, ſed attendit ut poſſit; conatur etiam ea, quæ non poteſt, ut ſuper aquas ire, leones capere ſaxa movere. Dicentium ergo non poſſum, excuſatio nulla eſt nec audienda, ſed urgen-
B di ſunt, ut experiantur, ut faciant quod poſſunt, & eum ſequantur, qui ne perderet obedientiam, perdidit vitam. Conſtat experientia quotidiana in Religionibus, virtute obedientiæ, ab obedientibus ea perfici cum dignitate, ad quæ facienda videbantur humano judicio deſtituti poſſibiltate. Sed hæc (ut ſic loquar) nõ mirabilia miracula (eò quia quotidiana) delicata ĩmortificatæ ſuæ volũtatis mancipia non vident, quia ad nihil, niſi ad id, quod ſibi libet, oculos converſos ha-
C bent,

2 In Religione, vitæ noſtræ & actionum pretium ab obedientia eſt. Unde nullum in Religione officium humile eſt, niſi cui non obedientia, ſed voluntas propria adjuncta eſt *Melior eſt obedientia quàm victimæ,* 1 Reg: 15. 22 ait ſcriptura: & ego victimas non hircorum aut vitulorum intelligo tantùm, ſed etiam victimas ſpirituales comprehendo. Nec mirabitur me quiſquam opinor, qui apud S. Thomam legerit & crediderit, ipſius

etiam

etiam IESU Christi sacrificium cruentum obedientiâ commendari debuisse, ut gratius fieret æterno Patri. Quis hic, quæso, sensus nobis obedientiæ contemptoribus re, laudatoribus ore, voto professoribus? Si quid ergo tibi ô Religiose obedientia præcipit, humile jam, & famæ tuæ scilicet noxium, derogatoriumq; ne dixeris: satis illud tibi obedientia speciosũ effecit. & si tibi superbia tua dixerit: Ne facias quia vile est, eris apud homines ex hoc contemptibilis, responde illi. Mentiris: non est vile, quod est gratum obedientiæ, quis me contemnet, si obedientẽ sciet?

3. Invidiosum officium, redde exequendi modo, ordine, dexteritate, suavitate, diligentia, usitatâ, & cum praxi non invidiosũ, quod si id facis, & nihil tamen proficis, junge obedientiæ patientiam, junge constantiam, junge in obloquentes caritatem & beneficentiam. Vincit sapientia malitiam, vincit caritas invidiam, Deum in officio quære. Deum cura, Regulas officii tene, pro disciplina zela, non errantes sed errores persequere, linguis altior sis, respectibus humanis nihil da. De invidentibus, de detrahentibus, de molestantibus, de obsistentibus tibi in officiò, nemini conqueraris, nisi obedias ipsi, idq; coactus & modestus, excusans potius non incusans, neq; officium ideo deprecans: sed ex spinis rosas colligens, & mala pro bonis retribui tibi gaudens.

4. Officium vel ad horam commissum, vel post horam deponendum, ita seriò & exactè gere, ut, si longissimè gesturus sis. Etiam in ultimâ horâ obediendum, immo in obedientia perseverandum est. Etiam in ultimo tempore ac brevissimo, vult te obedientia obedientem esse, non est autem plenè obediens, qui in opere obedientiæ vel ad momentum est negligens. Immo verò fine coronâ opus, & superioris temporis errata aut neglecta, finali diligentiâ compensa.

5. In officio non sunt quærenda propria, sed communia. Officium enim commune est, & aliorum causâ tibi impositum est, non tua. Ex magistratu oportet non ditiorem sed meliorem abire. Ab officio non commoda sed molestiæ sperandæ ac metuendæ sunt. quippe labor, comes officii est, cujus fructus, is solum ad te pervenire debet, quod alii tui laboris fructum capiant, tu verò deteriùs omnibus vivas, ut dicere possis: aliis inserviendo consumor.

6. Qui obit officium, non faciat sponsionem, sè nunquam in officii executione erraturum, nulli molestum futurum, nullius invidiam incursurum. Nolit errare, nolit molestus esse, nolit offendere: indubitatè tamẽ certus sit, se nihil horum evitaturum proinde moneri & corrigi velit, nec velit esse homo, qui peccare possit, corrigere autem se & corrigi non possit.

7. Sicut de eligendo officio, ita neq; de
A deponendo eodem, vult te Religiosa Virtus solicitum, tantùm tibi solicitudinem exequendi illud obeundiq; relictam scito, cura deponendi ejusdem, est, cujus & præponendi fuit. Non ergo ita gere officium, ut deponi merearis, ut deponi cures malitiâ functionis. Ex duobus malis, malo officialem qui repugnanter quid acceptet, sed tamen obeat fideliter officium, quàm illum, qui promptè in faciem acceptat, sed re ipsâ perfũctoriè, & consultò neglectim, ut amoveatur ab eo, illud exequitur. Nam & ille ore Do-
B minico Patris voluntatem fecisse legitur, qui imperanti laborem Patri dixit: *non ibo, & tamen ivit*: & ille rebellis judicatus est, qui cũ dixisset eidem Patri, *ibo, neq; tamen ivit*. Deniq; quid hoc plus improbem? cùm legam: *Maledictus qui fecit opus Dei fraudulenter aut negligenter?* Matth: 20. 28. nihil refert, quia utrumq; facit, quisquis facit inobedienter. Felix anima, quæ in Cruce cum Christo consummat obedientiam, etiam usq; ad mortẽ si opus est, nec deponi urget de Cruce. sed a-
C lieno deponitur arbitrio. Quilibet dictum credamus, quod uni alicui legimus dictum: *Esto ibi, usq; dum dicam tibi*. Matth: 2. 13. Nihil æquè oderit Religiosus, quàm obediendo non obedire. nam & fraudat Deum, & frangit fidem, & se se decipit, & officium corrũpit, & multorum cõmunitati damnosus est, & Societatem fraudat, & Superiores contristat, & semetipsum in peccato inobedientiæ (hoc est Idololatriæ) confirmat atq; obstinat. Crimen est, nec leve sane & periculosum, eò
D parum in Religioso perfecto, cogitare tam de imponendo, quàm de deponendo officio quocunque. Nam perfecta virtus resignata est. Resignata verò sui negligens, in sinu providentiæ Dei dormit, unum illud curans, ut ipsa quidem nihil curet, præterquam ut in sinu providentiæ & in manu voluntatis Dei æquè in dextera ac in sinistra, *dormiat, & in id ipsum conquiescat*. Psal: 4. 9.

8. Tota aut præcipua administrationis

officii

officii (sicut & cujuslibet virtutis) laus, in actione, & in efficacia consistit. Ideo officium committitur, ut fiat: fiat igitur, & fiat fortiter juxtà ac suaviter. Scire, quæ & quomodo agenda sint, scire etiam bene & bona imperare, ac ordinare, multorum, nec omnino difficile est, at, quæ scias, efficere, quæ imperes, ut re ipsa fiant curare posse, idq; tam efficaciter quàm suaviter præstare, hoc singularis reor prudentiæ, & solidæ virtutis.

Hoc est solidæ virtutis, in obeundis omnis generis ab obedientia, impositis officiis ingenium: hæc etiam ratio, virtutis in officiis solidandæ. Inspice te ipsum, qui hæc inspicis, & vide quàm istis proximus vel remotus sis.: illud omnibus prædictis addere non negligens, ut aliis serviendo non consumaris, ut aliis prædicando, ne ipse reprobus efficiaris, aliorum salutem & perfectionem promovendo, ipse tua perfectione & salute ne priveris. In parte non postrema officij tui, pone etiam curam spiritûs, & animi tui. Quis enim suis (præsertim tantis ac talibus) stipendiis militavit unquã *aut quam commutationem dabit homo pro animâ suâ.* Matth: 16. A 26. Carnis tuæ & famæ tuæ commoda, propter aliorum corpora, famam, animas, perdideris licet: anima tua in conspectu tuo sit semper, ut enim tantùm detrimenti patiatur nihil, verùm etiam ut incrementum sumat spiritûs sui, virtutis suæ, perfectionis suæ.



DIES V.

De instrumentis ac mediis solidæ atq; solidandæ virtutis. 1. Amore usuq; Orationis. 2. Amore, curâ, usu gratiæ Dei. 3. Amore & imitatione Christi ac Beatæ Virginis.

CONSIDERATIO XIII.

Virtus solidatur amore, usu, frequentia Orationis.



[I]Am occasiones virtutis solidæ consideravimus : sequuntur ut ejusdem instrumenta & media, quibus paretur, quibusvè solidetur, & denique quibus utatur ipsa, consideremus.

Atq; primo loco ponimus considerandam orationem, meditationem, contemplationẽ: sive illa sit vocalis, sive mentalis, sive illa sit longior sive brevior, sive illa sit cum affectu ex discursibus præviis nato, sive sit parca in discursibus, sed more contemplativorum, delectabili & gustativo intuitu, Deo & Dei bonis fruatur, purificetur, similior Deo evadat. Hanc orationem dicimus esse instrumentum singulare, aptissimumq; medium Virtutis solidæ, & etiam solidandæ: sed ita si ametur famelicè, si ejus labor, (qui non levis est) vincatur & devoretur strenuè, si deniq; frequentetur, quoad hæc vita patitur, assiduè.

Igitur qui virtutem solidam habet, aut habere vult, Orationem amet & frequentet. B In usu enim crebro Orationis sic solidatur virtus, ut sub igne, incude & malleo ferrum. Nesciunt vulgò homines pretium & efficaciam & necessitatem orationis: sed &, si qui illud norunt, speculativè id magis quàm practicè: cognitione non efficacitate. Quòd si etiam reperiantur aliquantum multi, qui usum orationis ament, & re ipsâ habeant, sunt tamen paucissimi, qui ejus laborem devorent, ac in eo perseverent.

Quid de Oratione sentiendum sit amatoribus solidæ virtutis, explico his Capitibus.

1. est: Oratio debet obstinatè amari & exerce-

exerceri, nec ullo modo aut negligi, aut negligenter confici, aut de tempore in tempus transferri, aut ejus tempora decurtari, aut ad eam animo non famelico, sed veluti ad rem usitatam, & non planè summè necessariam accedi. Tam obstinatè debet amari oratio, quàm obstinatè illam exigit Deus & præcipit Christus, quàm obstinatè illa indiget inexhausta nostræ ad omnia insufficientia abyssus. Hæc qui considerabit, orationis usum etiam laboriosissimum non refugiet, immo verò hac inter alias ad orandum præparatione utetur, ut oraturus, famem desideriumq; in se orandi exsuscitet.

2. est: Quandocunq; potes ora: potes diu? diu ora: potes breviter? breviter ora: potes dormiendo? etiam dormiendo ora: (sed non orando dormi) omni tempore aut benefac aut ora, sic implebis illud: *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Lucæ 18. 1.

3. Plùs sunt amandæ (quia plus proficuæ) Orationes quæ Illuminant, quæ ex reflexione super præsentem quotidianamq; uitam fiunt, quæ intellectu convicto, etiam voluntatem seque compellunt, & proponere agenda vel vitanda cogunt: quàm illæ, quæ in affectibus ut plurimum sunt positæ & luminis, veritatisq; convincentis, nihil in intellectu relinquunt, quâ deinceps anima regatur. Quare qui per orationem solidam quærit, ita oret, ut in oratione sua, se sibi quotidie ob oculos ponat, defectus suos, profectus suos inspiciat, occasiones, loca, tempora, personas, causas lapsuum suorum intueatur, atq; individua & circumstantiis circumscripta proposita, tam vitandorum defectuum, quàm exercendarum virtutum faciat, facta Deo, & gratiæ Dei auxilianti, Sanctorumq; suffragiis commendet, & efficaciam petat. Quanta hinc ad animam bona sequentur expertus sciet optimè. Eapropter quodcunq; vitium ex tua cupies anima evulsum, illud modo prædicto oratione quotidiana impugna, quãcunq; virtutem voles in corde tuo plantatã, & citò adultam, illam hoc ipso modo inter orandum cordi insere, donec radices mittat, donec ramos & folia & fructus ferat, hoc est donec tibi familiaris, facilis & suavis evadat.

4. Oratione pleriq; duritiem capitis, & intractabilitatem voluntatis, morumq; contrahunt. Quo ex fundamento S. Patriarcha noster dicere solitus fertur: ex 100. habentibus spiritum orationis, 99 esse vel solere esse illusos. Videas certè non rarò istos orationistas, quidquid inter orandum senserint vehementiùs à se apprehendi, id jam instinctum Spiritûs Sancti, jam Dei manifestatam sibi voluntatem credere, nec ab eâ persuasione etiam authoritate obedientiæ se avocari sinere. Inde obstinantur, indurantur, illuduntur: prædictiones & prophetias tentant & referunt, ac quamvis falsi fuisse vincantur, id aut nòn credunt, aut excusant,
A nihilominusq; pergunt. Hoc tamen non orationis vitium sed orantium, qui sine humilitate orant & non orant ut mendici apud Deum, sed ut amici & secretarii cum Deo loquuntur, non indigere se oratione credunt, neq, ex indigentiæ ac humilitatis affectu ad orationem procedũt, sed ex dignatione quadam, (quam illi caritatem putant) & præsũptione occultà, & quodam magnificandi sui, per orationis usum & crebritatem longitudinemq; studio. unde etiam mirantur se ob orationem, & spiritum orationis magnificãt
B in se, seq; per illum; quo fit, ut inflentur oratione & ab oratione surgant superbi, jactabundi de voluntate Dei, etiam quoad cõtingenter futura certi, atq; ita duri & obfirmati, ut verè à S. Patre dicti sint illusi, & verè ed sese detorquere valeat illud Psalmi: *Ego dixi in excessu meo omnis homo mendax.* Psal: 115 11. Hi enim in excessu suo verè mendaces sunt, & excessu suo in mendacia præcipitantur. Quod malum non evenit ab oratione, humilibus & verá caritate in Deum
C præditis, verè indigentiarum suarum infinitarumq; miseriarum gnaris, & ex ea causa tã pro se, quàm pro aliis Deum deprecantibus. Oratio enim est filia notitiæ sui & notitiæ Dei, abjectionis sui & æstimationis Dei, diffidentiæ sui, & fiduciæ in Deum.

5. Orationum ejaculatoriarum, seu ignitarum & vehementium in Deum aspirationum brevissimo tempore peragendarum usus, nunquam satis laudabiliter à spiritualibus viris, utinam ita nunquam negligatur.
D Experientia docet, sæpè nos una altera vé ejaculatoria in Deum efficaciùs rapi, & penitiùs Deum penetrare ab eoq; penetrari, quàm totius horæ Oratione. Hic porro unum vellem expositum & consideratum, duplices esse ejaculatorias. Quædam sunt meri tantùm affectûs nostri in Deum, indices, vel si quid aliud in sui materia continent; tamen qui eas ejaculatur, affectui tantùm soli suo, non autem etiam sensui, & materiæ intellectui indulget:

indulget: quod genus ejaculationum summè laudo & commendo; sed illud tamen aliud genus amplius probo, quia utilius existimo (saltem incipientibus & proficientibus) quo non tantùm affectus ejaculamur nudos, solumq; affectum ignescere facimus sed etiam quo proposita nostræ voluntatis vel dictamina nostri intellectûs, vel detestationes individuorum vitiorum, vel actus virtutum individuos, brevissimè quidem sed affectuosissimè, efficacissimè & ad infigendas cordi nostro virtutes habitusque earum radicandos utilissimè validissimè; neq; in Deum jaculamur. Ut, v. g. cum dicimus. (*Domine, amori tuo condono injuriam, quam mihi iste nunc (hodie, nuper) intulit: illumq; ex corde amo, illiq; hoc beneficium præstare volo*) Hoc actu & igneus in Deum affectus promitur, & caritatis actus heroicus elicitur, & individuè occasio peccandi expugnatur, meriti verò usurpatur & actualis amoris inimicorum fit, & iterum actuale propositum benefaciendi malefactori elicitur. Istud ergo ejaculatoriarum genus utilius reor, saltem proficientibus & incipientibus, quam illud: Deus meus & omnia, ô ignis qui semper ardes &c. Paratum cor meum Deus &c. O Domine ego servus tuus &c In talibus namq; vel solus affectus aliorum, & is etiam solus prodest animæ, Deoq; placet, vel certè talium latitudo & intellectus à paucis noscitur & rarò ab usurpantibus penetratur aut intenditur. Igitur etsi omne ejaculatoriarum genus, ad solidam virtutem multum facit, posterius tamen genus longè ampliùs eidem inservit, si non qua solida, certe quatenus solidanda est. Addo his, quòd *Si oportet semper orare & nunquam deficere*, Luc. 18. 1. id certè orationibus ejaculatoriis convenit quàm maximè præstare. Unde omne tempus, omnis locus, omnis actio, omnis occasio, ipsa etiam cum hominibus occupatio, talibus orationibus apta est, & condiri debet. Suaserim tamen, ut perfectus ac perfectionis amator, certis præterea temporibus ac vicibus certas ejaculatorias, (sidi generis præsertim) singulos in dies exerceat, ejusq; rei in examinibus specialem à se rationem exigat. Sic enim fiet, ut non solum ad se se & ad Deum redeat à creaturis, non solum ignescat in Deum, sed etiam actus practicos virtutum exerceat, actibusq; habitus in se perficiat, quibus perfectis virtutem solidam (quia perfectam) habeat, Qua virtutes parandi ratione, nescio (post divinæ gratiæ auxilia) quid sit vel suavius, vel celerius, vel efficacius. Qua in re non verbis ago, sed ad experientiam remitto.

6. In vita spirituali nemo est, qui peculiaribus atq; privatis non tangatur feraturque desideriis (vel etiam prematur indigentiis) sive certi vitij à se expellendi certive peccati actus devitandi, sive certam virtutem vel gradum virtutis in animo suo radicandi, vel gratiæ alicujus certæ, à Deo obtinendæ &c.
A His desideriis in effectum deducendis, pleriq; inter alia & orationis præsidium adhibent, sæpè tamen parvo aut nimis tardo profectu, Qui hoc fiat, nihil attinet dicere in præsenti: hoc tantum propono, quod efficax puto, tum ut citò, tum ut suaviter, tum ut efficaciter desideriis potiamur prædictis, salva in omnibus cum Dei voluntate concordia, quam supponimus & credere debemus, in prædictis desideriis nunquam nobis contingere, nec ab ejus repugnantia, sed à nostra inefficacia illam raritatem & tarditatem proveni-
B re: neq; esse culpam in oratione & aliis præsidiis, sed in nobis qui utimur illis. Itaque si quis captus sit desiderio, v. g. plenæ Resignationis, atq; cum Divina voluntate conformitatis, non solo & uno ejus sit desiderio contentus, sed laboret ejus pretium, vim naturam, latitudinem, efficaciam, occasiones, materias, actus, cognoscere atq; penetrare, laboret ejus intima æstimatione potiri, de ea legat, loquatur, scribat, audiat, eam orationis suæ & longioris & brevioris materiam
C faciat, ejusdem actus certo tempore, certo loco, certis occasionibus, certis vicibus, quà internos, quà externos eliciat. assignet huic labori non unam diem, vel orationem seu meditationem, sed mensem, annum, plures si opus est, singulisq; diebus inter alia Meditationis puncta & proposita, sit aliquantula saltem æstimatio, & desideratio resignationis, propositumq; illius actuale, individuum, circumstantiis præsentibus cinctum. Singulis item diebus eandem crebrò à Deo pe-
D tat proponendo, proponat petendo v. g. Fiat Domine de me voluntas tua. Domine miserere mei, sicut scis & vis. Domine in te jactatio mea semper, Domine quod vis, volo, quod non vis, nolo. Eadem Resignatio sit illi in actionibus ejus intentio. Ejusdem resignationis actus, desideria, proposita, una eademq; seriè repetitis vicibus, pro spiritûs & temporis sufficientia eliciat, decem, quinquaginta, centum, vel certè pro numero vul-

nerum Christi, gaudiorum dolorumve Beatæ Virginis, annorum Christi, annorum B. Virginis &c. neq; opus est ut ad id subtrahat occupationibus minora tempora, otiosa & vacua huic operi impendat, v. g dum ex loco in locum vadit, dum alicubi exspectat aliquid vel aliquem, tempus illud in repetitione actuum resignationis vel eliciendo, vel proponendo, vel postulando, vel desiderando terat. Huic vel toti industriæ, examen insuper adhibeat speciale. Audeo dicere, fieri non posse ut non brevi tempore, is qui ita oraverit, & laboraverit pro Religione, eam assequatur & ejus fructu gaudeat. In quo etiam ad toties repetitam experientiam remitto.

7. Orationis maxima est commendatio ex his tribus. Primum est Alacritas indefessa de qua supra satis. Secundum est reverentia, sine qua nemo, nemo prorsus oret, quia nemo neq; in oratione neq; ex oratione fructum faciet. Hic affectus est humilitatis filius, dux ad caritatem & familiaritatem Dei & cum Deo, qui nisi quem eò deduxerit, is non tantum frustra, sed & periculosè laborat, qui scopulus multorum, ex nobis est, qui sæpe priùs audemus intimè cum Deo agere, quàm didicimus reverēter. Multum est priùs operæ in affectu reverentiæ ponendum ei, qui securè cum Deo amicitiam contrahere vult. Accedit deinde, quod idem affectus sit fervoris spiritualis mater, devotionis quoq; sensibilis & spiritualium consolationū origo. Qui semper cum Deo reverenter agit, nunquam tepescit scriptum est enim *qui timet Deum, nihil negligit.* Et causa est. Quia reverentia ista miscetur vilificatione hominis, & exaltatione Dei ex cognitione utriusq; proveniente. Hæc autem ambo gratiam Dei & favores pelliciunt ad animā ex Deo, & eam in pace securā firmant, ex gratia & pace, fervor atq; consolatio manat interior. Tertium est fiducia seu fides Dei (ut eam Christus Dominus vocat.) Quæ ideo dicitur fides Dei quia credit Deum non tantum velle facere, quod petit aut orat Oratio, sed etiam credit, & quasi pro certo habet, quod facturus sit omnino Deus. Hæc fiducia inter difficiles virtutes est etiam una: orationi tamen necessaria prorsus, ut sine qua non constet Oratio. Porro fundatur, hæc fiducia in resignatione & conformitate nostra voluntatis cum divina, & quidem plena. Conformis enim voluntas nostra, nihil potest velle, nisi quod vult Divina, & quidē etiam non ob aliud, nisi quia vult Divina atque quod Divina vult voluntas fieri, infallibiliter fit, ideo etiā quia conformem cū Deo voluntatem habet, quantum aliquod petit, tam certus est futuri quod petit, quàm certus est conformare se suam voluntatem Deo, in eo quod petit, & quàm certus est nō A posse non fieri id, quod voluntas Dei vult fieri. Ex hoc ergo fonte oritur fides ista: *montes etiam transferens, etiam solem sistens, etiam mare dividens, atq; siccans, etiam mortuos suscitans quatriduanos* Ioan: 11 43. Tali fiducia solita virtus aliorum, nititur, gaudet, grandescit, solidatur.

8. Orationis fructus & finis, debet esse Actio, estq; illa optima contemplatio, quæ incitat ad actionem, quæq; dicit: *Egrediamur in agrum, videamus, si floruit vinea &c.* tam privata, quàm etiam aliena. Sublimitates B vehementiæ, inardescentiæ, lacrymæ, dulcedines, si veniunt non respuantur, neq; tamē quærantur. Mensura Orationis, perq; illā solidationis in spiritu & virtute, est, ut dixi, actio, magis v. passio. Vide quantùm subordineris Deo, subdaris Prælato, adæqueris proximo, humilieris spiritu, conteraris corde, oderis & vincas te, asperneris creaturas, ordines vitam, regas linguam, & affectūs gulam, & reliqua, quæ carnis sunt nescias. Amore tui honoris & libertatis careas, aliis C prodesse, solus esse ames, Regulas & communem vitam serves, pati pro Deo defectum, despectum, dolorem, quæras & gaudeas, ipsāmet deniq; ad Orationē adspires & anheles. Quantum de his in te invenies, tantùm te solidari per orationem in spiritu & virtute, nihil dubites.

Nec plura de Oratione propono, libri pleni sunt, & in promptu: considerationi hæc D sufficient, in quā quisq; suam orandi consuetudinem examinet: & ubi bene dispexerit, non dubito quod facilè causam, ob quam tot orationum suarum modicos & nullos fructus in se persentiscat, inveniet, quam inventam si emendatione tollet, tum vel facilè quantum sit ad solidam & solidandam virtutem instrumentum mediumq; oratio, experimento fructuoso cognoscet.

CON-

CONSIDERATIO XIV.

Virtus solidatur amore, curâ, usu, gratiæ Dei.



Nter instrumēta & Media solidæ virtutis atq; solidandæ, ponimus 2do loco Gratiæ Divinæ amorem, curā, usum. Non immeritò. Nā si absq; gratia Dei nihil fit boni, quantò magis absq; eadem nihil fit perfecti? Si nihil sine illa inchoatur, quomodo sine illa solidatur & consūmatur? Est ergo haud dubiè gratia, virtutis & instrumentum & medium, immo si rectè loqui & plenè volumus, est etiam principium, est semen, est vita, est fundamentum, est complementum.

Gratia Dei alia est Actualis, alia Habitualis. Illa non sanctificat, sed ad sanctificationem vel vocat, vel ducit, vel adjuvat, vel accedit. Ista verò sanctificat, immo sanctificatio ipsa & sanctitas est. Sine illa ad istam non pervenitur, nec in ea perseveratur, sed tamen illa sine ista, vel nisi introducat istam ad nihil, nisi ad cumulum pœnæ computatur. Utraq; ergò amanda, magni æstimanda, quærenda, conservanda, nutrienda est: & habitualis quidem, ut perpetua sit & constās, & nunquam exulet (alioqui de vita animæ actum est) semper vero crescat in nobis. Actualis vero ut frequens ut congrua opportuna, efficax, proportionata sit, illuminando intellectum, movēdo & stimulando affectum suaviter inducendo utrumq; ad ipsum effectum, quia ejus officium, docere, movere, delectare, & ante opus, & in opere, & post opus. Habitualem cum volumus, habemus immo qua ratione habenda sit, infallibiliter novimus, si modò rationem illam usurpemus: Nec recedit à nobis nisi volentibus, nec aufertur nobis, nisi ejicientibus.

Actualis alia ratio est, Prima & præveniens non cadit in meritum, cum enim gratia sit gratis & non merenti datur, alioqui si merenti daretur, non gratis daretur non essetq; gratia sed debitum seu præmium, sed nec aliæ prorsus ad voluntatem nobis serviunt: *Verum spiritus ubi vult, spirat. vocem eius audis, & nescis quò vadit,* Ioan: 3. 8. Omne tempus illius est, omnis locus, omnis occasio & actio, nulli tamen alligatur, nulli adstringitur; it & redit: Beatus qui vigilat, & paratus vel excipere venientem, vel occurrere venienti vel apprehendere atq; retinere avolantem *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usq; ad occidentem, sic est iste spiritualis adventus Filii hominis,* Matth: 24. 27 sive gra- A tiæ ipsius, proinde sapientissime gratia ista priùs avolat, quàm cognoscitur adfuisse, quantis autem cum nostris damnis, hoc nescio an cuiquam in hac vita cognoscere cōcessum sit.

Una aliquando Actualis gratia (inspirationem vulgò dicimus) ingentis est Messis seminarium: quæ si capiatur, & per consensū in exercitium actumq; deducatur, totam il- B lam messem hominis facit, eiq; possidendam tradit: si negligatur vel etiam rejiciatur, omni illa gratiarum secuturarum messe anima necessariò caret. Quantum gratiarum & bonorum homo aliquis Religiosus in totâ sua Religiosa vita ad mortem usq; percipit! metiatur & numeret, qui potest; at omnis hæc gratiarum immensitas ex una gratia vocationis effluxit, gratia vocationis, aut quid tandem fuit? aliud nihil quàm gratia a- C ctualis: hoc est unica cogitatio seu inspiratio menti intimata de seculo deserendo. hæc congruè data, congruè etiam acceptata, totū hoc gratiarum, Religiosarum mare peperit. Dedisset Deus inspirationem, sed homo non acceptasset, abjecisset vocationem, abjectione illa omnem hanc Religiosarum gratiarū farraginem à se exclusisset, & quo tandem suo damno? quo periculo? quo & quàm certo damnationis æternæ primordio? qui sapit, D intelligit. Ego dico, tales actuales gratias, multarum aliarum gratiarum maximarum post se trahentes seriem crebrò hominibus offerri, sed simul crebrò ab hominibus Religiosis negligi; an sine incredibili damno, judicent ipsi, sed vereor non judicabunt, quia perinde hanc veritatem, atq; Divinam inspirationem, nihili faciendam judicabunt.

Quamvis autem istiusmodi inspirationibus

bus

bus gratiiſq; actualibus, nulla lex præſcribi poteſt, neq; ſcire poteſt homo quando venturæ ſint; ſunt tamen in Religioſo ſtatu (Religioſis loquimur & hæc proponimus) quidam actionum & occupatioaum veluti niduli, in quibus hæ gratiæ quodammodo commorantur, ita ut ſi eos nidulos homo Religioſus tractet, & verſet, & excutiat, idem illas actiones debitè exerceat, reperturus ſit in eis evolantes, an avolantes, gratiarum & inſpirationum aviculas. Ejus generis ſunt Sacramenta inprimis omnia quidem & præcipuè Pœnitentiæ & Euchariſtiæ. Hæc ſi Religioſus Religioſâ præparatione, uſurpatione, conſideratione, prout cujuſq; natura fert, obeat, non eſt poſſibile, ut plurimas actuales gratias, plurimas inſpirationes, ad hoc vitandū, ad illud curandum, ad illam virtutem, ad illam piam obſervationem ſtimulantes non excutiat ex hiſce nidulis. Quod ſi neglectim Sacramenta obit, aut etiam non obit, ſi imparatus ad Confeſſionem, indevotus ad Communiouem ſacram accedit, quid mirū? ſi & guſtu & devotione, & permotione cordis caret? Gratia Dei non cōtingit indignis: *& qui ſordeſcit, ei dicitur ut ſordeſcat adhuc.* Apoc: 22. 11. Et ſanè ita fit Nunquid enim tam crebris uſibus Sacramentorum, vita ex æquo noſtrûm omnium reſpondet? & cur non reſpondet? cur in antiquis hæremus imperfectionibus, culparum actibus? paſſionū pugnis? cur? nempè dicitur de nobis: ſordeſcat adhuc, dicitur autem ideo, quia ſordidâ præparatione atq; diſpoſitione ad Sacramenta accedimus.

Quod de Sacramentis dixi, dico idem & expendendum ſuadeo de ſacroſancto ſacrificio, quæ eſt actio, omnium ſub ſole graviſſima, gratiſſima, efficaciſſima, ſed non, niſi dignè eam peragentibus. Dignè autem cùm dico, omnem apparatum præparationis, celebrationis, gratiarum actionis poſt celebrationem includo. Nec amplius moror. unū rogo Religioſum Sacerdotem, ut ſi qua in actione ſua vult & ſolet ſibi permittere negligentiam, ea, nè ſit ſacrificium miſſæ, nè ſit Communio & Confeſſio Sacramentalis.

Subjungo Sacramentis Orationem, Lectionem ſpiritualem, collocutionem ſpiritualem, reflexionem & examen conſcientiæ, collectionem mentis, horariam, diurnam, menſtruam, annuam &c. de hac dico & inculco totum hoc, quod ſupra attuli His occupationibus alligatæ ſunt, ut ſic loquar, gratiæ actuales, Divinæq; motiones, id adeo experientia probat; ut me explicare non ſit opus; conſideratio ipſa docebit rem ita eſſe. Conſtat eos qui debitè obeunt Meditationes, Lectiones, colloquia, examina, collectiones mentis, nunquam aut rarò deſiderare inſtinctus divinos ad omnem perfectionem ſibi cōgruam. Dum enim quis meditatur, conver-
A tit ſe ad ſe, ſuos mores inſpicit, probatos vel improbandos cognoſcit, agnitos complectitur & in eis perſeverat, ſi boni ſunt: reprehendit & corrigere proponit ſi mali ſunt, & hæc jam illuminatio eſt, hæc jam permotio eſt. Porro qui non meditatur, vel aliud lōgè agit, quam meditatio poſcit, is non ſe inſpicit, conſequenter ſua errata non agnoſcit non agnita, non corrigit; committere ergo pergit, inſueſcit: in eis roboratur, durat evadit correctu difficilis vel impoſſibilis; ita & excæcatur intellectu, & induratur affectu,
B tandem ruit præceps in gravia, & privatur gratia, quandoq; etiam punitur apoſtaſia. Factitaſſet is diligentiùs Meditationem, evaſiſſet omnem ruinam, & tenuiſſet perſeverātiam.

Quod de oratione ſeu meditatione attuli, par eſt de reliquis judicium formandum: ſicut & de obſervatione Regularum, quibus eodem modo actuales gratiæ alligatæ ſunt, ita ut ſi à Religioſo ſerventur prout debent, earum obſervatione, Religioſi mens vel illuminetur, vel illuminari mereatur, illumina-
C ta verò proficiat. Si autem obſervatio negligatur, conſequens eſt, ut etiam inſpiratio divina amittatur, & ad recipiendum, minus idonea reddatur. Obſervatio ſiquidem volūtatis Dei, præcipuum eſt medium, ad cognoſcendam voluntatem Dei. Unde ſalvator ait: *Si quis voluerit, voluntatem ejus* (Patris) *facere, cognoſcet de doctrina mea utrum ex Deo ſit* Ioan: 7. 17.

Ex quo etiam deduci ulterius poteſt, gratiarum actualium collationem à Deo præci-
D puè obtineri uſu earum gratiarum, quod fit quando homo mollem & tractabilem ſe exhibet inſpirationibus divinis, quando eas obſervat acceptat, fovet, in terram cordis ſui boni ſeminat, per propoſitum & magis etiam per actuale exercitium in officium deducit. Hinc namq; fit, ut gratia Dei & verbum Chriſti, non revertatur ad authorem ſuum, vacuum, ſed ferat fructum 30. 60. 100. & dicat ſervus fidelis Deo. *Domine mna tua acquiſivit 10. mnas*, Lucæ. 19. 16, viciſſimque

audiat à Domino: Euge serve bone & fidelis esto potestatem habens super decem Civitates. Inde gratia gratiam parat, imò (ut dixi) gratias catenatim post se trahit, incredibili cum fœnore spiritûs, roboratione virtutis, incremento fervoris & avaritiæ spiritualis.

Quod totum quia absq; reflexione mentis esse non potest, ideo spiritualis vitæ profectûsq; avidis, nunquam satis laudare possum vitam reflexivam: hæc enim est, quæ custodit vias Domini venientis, hæc quæ observat lucem gratiæ, & minimum quemq; attactum cordis, ut aperiat pulsanti in tempore. Hæc est quæ præsentem adesse cordi nuntiat, hæc est quæ abire parantem non sinit, sed desinet piissima violentia. hæc est, quæ implet illud Dominicum frequens satis præceptum: *Attendite, Vigilate, Videte.* omnibus istis reflexio occupatur & satisfacit. Reflexio igitur est infatigabiliter amanda & exercenda, citra tamen actuationem nimiam, & capitis detrimentum. Prudentia docebit modum, ut scilicet homo ad sese certis temporibus redeat, & se suaq. inspiciat. eadem faciet, ut semper homo sibi præsens sit, etiā tunc, cum aliud aliquid agit, circumspectè aget, & enim non effusè nec absorptè, sed veluti actioni suæ supereminendo, quæ reflexioni satis est.

Quia verò reflexionem maximè impedit multitudo, festinatio, moles actionum itéq; inordinatio tam temporum quam occupationum, ideo solidæ virtutis amator, & gratiarum sectator, importunitatem occupationum, effusionem in eas cogitationum & internarum virium, perturbatione etiam passionum (præcipuè cupiditatis & iræ) inconstātiam quoq;, incertitudinem, ac inordinationem negotiorum ac temporum vitabit diligentissimè quò fiet, ut perturbatè effuseque nihil, omnia maturè, sedatè, circumspectè, reflexeq; agat, suus & apud se sit, occupationibus supernatet, ad observanda interioris hominis negotia & eventa aptus, consequenter advertere & excipere venientes gratias hospites, potens ac facilis semper inveniatur.

Hæc de amore, cura, usuq; gratiarum actualium considerasse sufficiet ei, qui hoc instrumento ad solidandas suas virtutes uti volet. De gratiæ habitualis cura, cùm non pauca ex dictis de actuali, serviant etiam amori & curæ Habitualis, ideo pauca afferam.

1. Gratiæ habitualis pretio, nihil ex omnibus post Deum creatis bonis conferri posse: adeo ut minimum ejus bonum, præstet aliis omnibus maximis: consequenterq; minimum gratiæ istius lucrum & incrementū majus sit, majoriq; cura, labore, sumptu quærendum, quàm maximum augmentum aliorum quorumcunq;, consequenter item amorem & curam hujus solius gratiæ augendæ & fovendæ, debere esse majorem quam omnium aliorum bonorum parandorum post
A Deum: consequenter quoq; hujus gratiæ amittendæ periculum plùs formidandum & repellendum, quàm aliud omne: consequenter adhuc damnum hujus gratiæ etiam minimum, quod per hoc crebrò, incurritur quia non procuratur, magis esse deflendum, magis avertendum, majoriq; cura & studio sarciendū, quàm damnum ullius alterius rei, & opinione hominum maximæ. Et cum gratiæ istius parandæ atq; augēdæ tempus sit istius solius vitæ, quæ adeo volax & brevis est, cujusq; tot partes sine fructu gratiæ ab i-
B nitio usq; hic perdidimus, & adhuc perdemus: concludat qui sapit, *quanti tempus æstimare, quàm parcè tempore uti.* Sap. 4. 13. quàm in brevi explere multa debeat satagege vir Religiosus, ut gratiam hanc, quàm maximis inesse augeat & accumulet per omne momentum vitæ suæ incrementis. Et nunquid ita de gratia sentimus? aut ita pro illa augenda laboramus? sed præstat pergere.

Hæc gratia acquiritur in Sacramentis, fo-
C vetur etiam Sacramentis ac augetur, ac sacrificiis, quomodo? quàm efficaciter? non est hujus loci, quàm condignam exigat & sequatur præparationem atq; usurpationē, dictum iam supra de actualibus gratiis.

Fovetur hæc gratia fuga peccatorum omnium, etiam minimorum; observatione mandatorum, consiliorum, voluntatum seu placitorum Dei etiam minimorum. Fovetur fervore charitatis, cujus incrementa sunt incrementa gratiæ, fovetur afflictionibus spōtaneis, tam mentis per humiliationem & o-
D mnimodam resignationem, quàm corporis per discretam, assiduam mortificationem, per hilarem patientiam injuriarum & contemptuum, per contemptum actualem creaturarum, per zelum animarum: uno verbo, fovetur & augetur gratia per assiduitatem & frequentiam virtutum, per exercitium earum crebrum in heroico quovis gradu, per fidelitatem ad Deum in omnibus, per

per gratitudinem, per orationem, per vivam & jugem in omnibus IESU Christi passi, cōtempti, stulti, pauperis, obedientis, casti, crucifixi, imitationem, & deniq; per constātem in his omnibus perseverantiam. Satis de his. Quæ hic dicta sunt, in se unusquisq; nostrûm, quomodo se habeant, attendat, & quomodo deinceps virtutem in se solidare, per amorem, curam & usum gratiæ Dei debeat, cognoscat: idq; quàm firmissimè effectum dare proponat, neq; tantam æternorū bonorum messem inter manus suas positam, sibi elabi patiatur.



CONSIDERATIO XV.

Virtus solidatur amore & imitatione tam IESU Christi, quàm P. Parentis Virginis MARIÆ.



Uantò certiùs est, & apud omnes pios magis persuasum, solidæ Virtutis parandæ vel tuendæ instrumentum, atq; medium omnium præsentissimum esse, amorem, imitationem IESU Christi, & ejus Matris Pretiosissimæ, tanto mihi quidē pauciora scribenda, sed consideranti tamen in animum profundiùs efficaciusq; demittenda, & ad praxim revocanda erunt.

Imitari Christum & amare, itemq; Pretiosissimam Parentem, & omnis & solida virtus est. Nam & ille author, principium, Dominusq; Virtutum est, & ista mare virtutum verè censetur. Utrumq; ergo amare & imitari, non est virtutes habere, sed fontes atq; authores, atq; capita & maria virtutum possidere. Sed amandus atq; imitandus est Christus, nec non Mater ejus MARIA, nec propter Virtutes, verùm propterea, quia & MARIA digna est, & IESUS dignus ut ametur, ut imitatione mores utriusq; exprimantur, & quia est hæc voluntas tam MARIÆ, quàm Christi, inprimis autem SS. Trinitatis.

Amor Christi (item B. Virginis) si tener sit, bonus est, si rationalis melior: si sublimis, longê melioribus optimus. Tenerum voco, qui nescio quid de sensu & mollitudine sensibili habet, amatq; secundùm carnē, qui amor initio bonus est, neq; etiam unquā prorsus evacuandus, attamen seponendus tandem ut plurimum est, & in specialem purè evehendus, ut dicere possimus, Cognovimus Christum Dominum carne, nunc autem jam non novimus: consequenter &

A non amamus. Et hunc rationalem voco, qui non tam ad exteriorem sensualemq; Christi gratiam attendit, quod proprium est illius teneri, quàm interiorem: quòd sit Homo Deus, persona divina, Sanctus, plenus gratiā Redemptor, Doctor, Veritatis, Exemplar vitæ, Fons meritorum, Caput Ecclesiæ, Pater futuri seculi &c. Quæ omnia quia tantum rationali fide, & fideli ratione capiuntur, ideo amorem ex eis natum vocavi rationalē,

B qui haud dubiè perfectior est illo tenero amore. Sublimem voco eundem quidem ipsum realem sed delectum, distinctè Christi intima noscentem, lumine, normâ, exemplo ejus viventem, non contentum enim & præceptis, sed consilia sectantem, & ea ipsa non quolibet & plebeio modo, sed perfecto cui unica cura Christus, cogitatio vita Christi, studium gloria Chri, delectatio contemptus

C Christi, divitiæ paupertas Christi, lucrum mors Christi, & pro Christo; cui labor prædicare Christum, & hunc Crucifixum, adimplere ea quæ desunt passioni Christi, & circumferre mortificationem ejus in corpore suo, eidem configi, & ejusdem Cruci, vivere jam non in se, sed in Christo & viventem in se habere Christum, idq; totum ob unicā & solam gloriam & voluntatem Patris, vel SS. Trinitatis. Idipsum proportionabiliter sentiendum est, de amore B. Virginis, cujus

quoq; ijsdem gradibus amor in nobis discerni & crescere noscitur, ita ut in quibusdam & aliquando sit paulò maturior, & reverentia admistus, similis illi, qui in adolescentulis filiis est erga Matres. Deniq; in quibusdã est planè maturus & excoctus, omnes in se complectens, æstimationis & pietatis filialis in Matrem affectus & effectus: similis ei, quo adulti & maturi filij Matres amant. Sic A enim & illi Dei Matrem honorant, obsequũtur, candore, simplicitate, fiducia, communicatione, plenitudine integerrima Matri Divinæ convivunt, atq; cum ea tractant & conversantur, eamq; diligunt tenerè sed defecatè; filialiter sed appretiativè, graviter & circumspectè, sed intimè & plene fiducialiter, & liberè ac planè possessivè. Ad hunc amorem seu Christi, seu B. Virginis solidis virtutum sectatoribus aspirandum est, in eoque congruis exercitationibus, & pietatis B affectibus atq; actibus cor exercendum, & medium ponendum tamdiu, donec istiusmodi amor, radices in mentibus eorum egerit, & veluti in naturalem (licet sit summè supernaturalis) consuetudine transierit, quos quidem affectus & actus, tum ex dictis considerans colligere, tum ex proprio usu, aliorumq; tractationibus petere poterit.

De imitatione Christi breviùs erit negotium explicare, licet considerare, & re ipsa C imitationem hanc exercere, debeat esse longissimum immo quotidianum atq; perpetuum. Solidæ virtutis amator, imitabitur Christum in duobus, in spiritu, quo venit, vixit, mortuus est, & in modo, quo hæc ipsa præstitit. Spiritus Christi nullus alius fuit, quo in mundum venit, in mundo vixit, de mundo deniq; transiit, & quem in mundo reliquit, nisi facere voluntatem Dei, & evertere omnem voluntatem atq; sapientiam D mundi. Hoc quàm tota ejus vita, doctrina, mors clamet, luculentum satis est. Modus quo prædicta omnia præstitit Christus, est ille, quem Apostolus expressit unico verbo: Exinanivit semetipsum. Quidquid Christus fecit, cum exinanitione sui fecit, adeo, ut teste ipsomet, neq; locum capitis reclinãdi habuerit: adeo ut etiam inter creaturas esse moriendo morte turpissimâ desierit: & hæc omnia ideo, quia voluntas Patris ista fuit. Nihil opus pluribus tibi Religiose, qui solidus Virtutis esse sectator appetis. Vade, & tu fac similiter. Adjunge tibi triplicem illam IESU Societatem, paupertatem, contemptum, dolorem propter Dei voluntatem quarum nullam Christus ad mortem usq; demisit à se, sed ea perpetim in omni vitæ puncto comitatus incessit. Exinani temet ipsum usq; ad Exinanitionem illam, qua & Christus Dominus se se exinanivit: ubi hoc effeceris, sufficit tibi: his amplius fili mi ne requiras. Hæc est scientia, & imitatio Christi Mundo per omnia contraire Dei voluntati per omnia conformari Christum ad vivum & unguem, ut ajunt, sequi, per omnem ejus paupertatis, contemptuum, dolorum, exinanitionis plenitudinem. Decet enim capiti conforme esse membrum.

Virginis MARIÆ imitationem, mores ejus te docebũt si Christũ fueris secutus MARIAM imitaberis. MARIÆ namq; spiritus & vivendi modus, fuit Christum sequi & illi ministrare. Itaq; Christum sequi, Mariam imitari, & vicissim Mariam imitari, sectari, Christum est. Talis enim fuit MARIÆ vita, ut in ea velut in speculo reluceret omnis species & forma vitæ atq; mores IESU Christi; quapropter unius imitatio, alterius est expressio.

Solidis in virtute prædicta sufficient, sive illi jam sunt, sive adhuc esse volunt. Interim intueatur quisq; nostrûm, quantum absit, vel ab amoris, vel ab Imitationis Christi, ejusq; Matris soliditate. Et certè si Christi Mariæq; vita, vita quodãmodo virtutis ipsius est, itaq; quantùm à summitate vitæ Christi & MARIÆ abesse nos conspexerimus; tantùm nos à summitate virtutis abesse ne dubitemus. Attamen ad summa conantibus, gloriosum erit in secundis consistere, dummodo faciat unusquisq; quod est in se. Quod an faciat, quare non faciat, quàm nugatoriis nugis impediatur ne faciat, viderit ipse: & cogitet quomodo excusabilis erit apud Deum, qui excusabilis non est apud se.



DIES VI.

De speciebus Virtutum Solidarum. 1. De tribus Votis Religiosorum. 2. De Fide, Spe, Charitate, Humilitate, Patientia. 3. De resignatione, Fervore, Efficacitate, Perseverantia.

CONSIDERATIO XVI.

De Virtutis soliditate in tribus Religionis Votis.



HActenus generale tantùm virtutis solidæ nomen perpetuò usurpavimus, illius solidandæ, in soliditate conservandæ, locum, tempus, occasiones, media & instrumenta & exempla ad considerandũ proposuimus. Iam sequitur ut ipsas etiam spirituales virtutum solidarum considerandas proferamus. Atq; 1 loco in medium prodeunt, paupertas, Obedientia, castitas, non quia eæ sint omnium primæ, sed quia hæ sunt Religiosi status constitutrices. Constat enim substantiam Religiosis in Votis tribus scilicet paupertatis, castitatis, & obedientiæ consistere. Prima itaq, solidæ Virtutis species est paupertas. Paupertas, inquã, spiritu, item re & veritate, quæ perinde nihil habeat, atq; nihil amet seu cupiat. Nã etsi non tam substantia hujus mundi, quàm cupiditas & amor substantiæ nocet: tamen substantia si habeatur: esto non amata curatur: cor ergo quod Deum curare debuerat, ejus cura occupatur: & quia inter curam & amorem eorum quæ curavimus, modicum est intervallum, ideo habita curare difficile est non amare; atq; ita non est plenus Dei amor, si paupertas non est plena. Non est autem satis, nihil cupere vel habere, sed oportet insuper nihil habere, nihil cupere licitè posse. Oportet adhuc etiam in usu rerum solam necessitatem, eamq; rigidam spectare & nihil, quod necessitas non exigit, attingere. Oportet & hæc ipsa quæ necessitas possit, non ex propria voluntate vel quærere, vel accipere, vel retinere, sed in his alieno à nutu pendere. Oportet etiam in necessariis

A viliora quærere & amare. Oportet ipsa viliora, tanquam si essent optima, commodè, ut diu serviant, servare, & velut Patrimonia Christi, quibus tu indignus sis, custodire. Oportet hæc ipsa quæ habes necessaria, statim ac voluntas aliena accesserit, deserere, nec pro ijs retinendis vel recuperandis solicitum esse. Oportet, si quæ etiam necessariorum desint, æquanimiter ferre, modestè petere, patienter exspectare, ac si negentur,

B gaudere, & Matrem paupertatem tum demũ veram agnoscere, Nam pauperem esse & in nullo egere quis nolit? Majus est hoc omnibus mundanorum possessionibus, qui cùm pauperes non sint, nec esse velint, multis tamen egent. Igitur si Religiosus paupertatẽ professus in nullo egeat, aut in nullo egere velit, is secularium divitum paupertatis statum & paupertatem in nullo excedit, immò ab illis exceditur non tantùm in indigentis,

C sed etiam in egestatis suæ tolerantia, quorũ neutrum delicatus Christi pauper experiri dignatur, perpetivè potest. Mentitur ergo talis, dum se pauperem Christi dicit, cum omnis seculi hujus dives, illo & pauperior, & paupertatis suæ amantior, aut saltem tolerãtior est.

Altera spiritualis solidæ virtutis castitas est. Cujus neq; amorem, neq; media, neque perfectionem explico. Utor Sancti Patris nostri in hac re moderamine. Angelicam

ille

ille requirit & mihi satis est. Custos Castitatis & zelator solidus, laboret, vigilet, esuriat, oret, cor seu mentem seriis semper occupet. Tentationes vel importunissimas, contemnendo, & cor occupando, elidat, cũ iisque (nec per) speciem resistendi, nec per speciem corpus afflictandi, cominus depugnet, sed alia omnia agendo dissimulet, cõspectumq; & congressum fugiat. Pericula non intret, nec sibi fidat. Humilitatem sectetur. IESUM Christum & ejus Matrem viscerosè amet. Sacramentis bene utatur. Nullam creaturam viscerosè, (esto spiritualem esto spiritualiter,) amet. Tentationes suas in semine adhuc, vitæ suæ Duci manifestet. Sensus & corpus modestia & afflictatione atterat, omni genere & modo, quo discretè potest, sed imprimis inedia, & siti, & vigilia, & orationis assiduitate, ita ut murmuret corpus de spiritu dicens. Vivere nõ licet, & lascivire liceat? præstat vivere aut saltem valere non posse, quàm lascivire posse. Religiosus, non quod caro possit, sed quod spiritus velit, attendat. Sic tamen persequatur hostem, ut civem non interficiat.

Tertia species Virtutis solidæ, Obedientia est, de qua in superioribus sæpiùs, & multa solida sunt proposita. Hic pauca addo. Obedientia, est tota Religiosi felicitas, vita, fortitudo, substantia. Hæc debet esse aliquando inobediens ex parte, idq; in duplici casu 1. Si quid honorificum, si quid secundùm sensum & propensionem obedientis jubeatur, ægrè ad hoc obediens inclinari debet & non nisi adactus cedere, sincereq; cum imperante procedere, ac periculum inclinationis suæ manifestare. 2. Si quid vile, molestum, sensui voluntati, judicio, rationi repugnans jubeatur, ad id propria voluntas (alioqui obedienti prohibita) sponte inclinari, evolare & festinare debet. Obedientia mors est tentationum omnium. Nihil facere debet Religiosus, quantumvis gravis & veteranus, quod nolit superior, quod nesciat, quod non approbaturus credatur. Obediens verus & perfectus non vult, non sinit, non exspectat, non gaudet moram injici obedientiæ seu imperio suo, non desiderat retractari imperium, intercessores & interpositores apud Superiorem non tantum non curat, sed neq; curatos admittit, neq; interponentes se æquanimiter fert, sed potiùs denunciat, impedit, prævenit, & hoc ipso ad exequendum festinat, quòd aliquos ad se ab obediendo eximendum paratos novit. Alioqui collusor erit hostibus obedientiæ, & inobedientium frater. Obediens promptiùs minutis obedit Superioribus & Officialibus, quàm majoribus. Tantùm enim majoribus superioribus velle obedire vel libenter ac promptè obedire, superbia est, & personarum occupatio, & non divinæ sed humanæ personæ in Superioribus consideratio, alioqui enim Deus ubiq; idem est, & ubiq; æquè dignus, æquè magnæ authoritatis. Obediẽs quantò major & dignior, majorisq; authoritatis ac meriti persona est, tantò levior esse superioribus suis debet, neq; illorũ authoritatem premere, neq; obedientiam gravare, (alioqui inter filios serviæ computabitur) sed potiùs debet se superiori primus subdere, facillimum & tractabilissimum præstare, cæterisq; subjectionis exemplum dare, neque omninò, supra vel extra obedientiam esse. Nam si quis extra obedientiam est, est etiam extra disciplinam, ergo non filius, sed spurium & adulterinum vitulamen Sic enim argumentatur Apostolus ad Hebræos. Obediens, etiam cùm nemo testis est ejus obedientiæ, obedit. Obediens plenam & pũctualem obedientiam exercet, ut nec jota, nec momentum, nec passum, nec pilum in obedientiæ sacrificio non expressum, non expletumq; sinat. Obediens grandia & mira & quæ raris & non nisi insignibus imperantur, sibi imperari non cupit, non gaudet, communibus & vilissimis, & quæ nemo miratur imperari, hæc gaudet sibi imperari & his occupari. Obediens obedit, ut obediat, estque ejus præmium obedisse, vult post obedientiam peractam redargui, gratitudinem non spectat, tacitus ac si nihil esset actum, incedit. Obediens diem quo non obedivit alicui vel in aliquo, illũ perdidit, & Religiosus non fuit. Obediens in lectulo obedientiæ, & ultimum spiritum suũ in obedientia & ex obedientia emittere debet Obediens vult esse, vult non videri obediens. Obediens personam hominis in eo cui obedit non videt, neq, timet, neq, amat, sed Christum intuetur, estq, hoc obediti (sicut debet esse omnibus) perfecto persuasum, quòd in Superiore, respectu obedientiæ & obedientium, persona hominis non sit sed Dei, ut proinde nec imperet homo sed Deus, aut certè homo Deus, seu indutus hominem Deus, nec etiam obediens obediat homini, sed Deo, aut certo homini Deo, seu hominẽ induto Deo: adinstar ejus quod in Mysterio Incarnationis credimus, in quo

antequam Pater æternus diceret nobis de Christo. *Hic est filius meus dilectus. ipsum audite.* Matth: 17 5. Antequam visum promulgaret Magistrum nostrum, illiq; obediendum præciperet, abstulit ab illius humanitate personam hominis, & dedit illi personam Dei filii sui, ut sic, & qui doceret nos, esset Deus seu Homo-Deus indutusq; hominem Deus, & nos audiremus, obediremusq; Christo non homini, sed homini Deo, indutoq; hominē Deo, atque ita sicut obedisse Christo, obedisse fuit Deo, ita obedisse Prælato, obedisse est Deo, & sicut non audire, contemnere, obmurmurare Christo, est & erat non audire, contemnere, obmurmurare Deo, sic & modò non audire Prælatum, obmurmurare majoribus, contemnere imperantes, est obmurmurare Deo, non audire Deum, contemnere Deum. Itaq; videamus, an justè dictum sit: *Qui vos spernit, me spernit: qui vos audit, me audit,* Lucæ 10,16. Videamus an juste dictum sit. Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos, videamus an justè dictum sit, esse quasi peccatum ariolandi non obedire, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Dico vobis quicunq; obedientiam profitemini hominibus propter Deum. Sacramentum hoc magnum est, & nescit homo pretium ejus

Sed ista quæ dicta sunt, inspiciamus vota nostra, & probemus soliditatem virtutum nostrarum, & virtutum quidem harum nūc prædictarum eò diligentiùs, quòd ad earum supremam perfectionem, Votorum sanctissima devotione ampliùs obligamur.



CONSIDERATIO XVII.

De fidei, spei, charitatis, humilitatis, patientiæ, soliditate.



IN homine perfectionis ac solidæ virtutis cupido uti nulla Virtus deesse, ita nulla solida non esse debet, ea tamen, ut sic loquar, solidiùs debent inesse, sine quibus nihil solidum potest, in homine esse. Cujus quidē generis.

Prima Virtus est Fides, cujus est credere ea omnia, quæ credenda à Deo per Ecclesiam Catholicam Romanam proponuntur, porro perfectæ fidei, non est tantùm credere, aut firmiter credere, sed etiam practicè atq; efficaciter credere, vitamq; fidei conformē vivere. Et neq; hoc omninò ad perfectionem Fidei sufficit, sed insuper perfectionem in praxi & efficacitate ista requirit, ut fidelis non tantùm agat quæ credit, nec tantùm sic vivat, quomodo credit, sed etiam, ut quidquid perfectionis sublimitatis, atq; Heroici gradûs, in dictaminibus, in dogmatibus, in præceptis, in Consiliis fidei, denique in placitis Dei reperitur, hoc totum & credat, & quoad fieri potest, effectui det. Fides est illuminata, immo lumen perfectum, hominem perfectiùs de mysteriorum fidei cognitione illuminans, & penitiùs atq; gustabilius penetrare faciens, assensumq; confirmans, & voluntatem contentam faciens, dubitationes vel abigens, vel momento dispellens. Fides perfecta non indiget miraculis; sufficit illi dixisse Deum, proposuisse Ecclesiam. Fides perfecta veneratur Ecclesiam, & minutos etiam ritus ejus tenerè observat. Fides perfecta zelat fidem, ejus profunda scrutatur, enucleat, libenter prædicat, & omnibus innotescere facit, & pro uno fidei jota, parata est fundere vel vitam. Fides perfecta, totam hominis perfecti fermentat vitam, & omnem actum ejus facit proficisci ex fide, & sublimari fide, supraq; naturæ limites evehi. Et hoc est unum ex operibus tum fidei, tum hominis, perfectionis in fide cupidi, ut quidquid agit, ex intentione fidei, seu fideli, seu per fidem notá agat; agat autem ex intentione insuper non humili, sed sublimi atq; Heroicá. Quod genus vivendi rarum est in hominibus, rarum etiā

in perfectis, quia & iſti plurima vitæ quotidianæ opera non ex fide facta, nec in finem fide notum, perfecta, atq; directa amittunt potiùs quàm faciunt. Nullum enim opus eſto ab homine in gratia poſito perfectũ ſit, ſi fide, hoc eſt ſupernaturali fine animatum non ſit, ad meritum æternæ vitæ conducit. Et quanta, quàmvè multa talia quotidie etiam à perfectis fiunt! Ipſi videant quanto gloriæ æternæ, & gratiæ internæ damno fiant.

2. Virtus Spes eſt. Hæc ſperat à Deo æternam vitam propter Chriſti merita, propter rectè actam in Chriſto vitam, propter Dei liberalitatem atq; gratiam, Hæc ſperat in Deo tantùm quantùm non fidit in ſe & in ulla creatura, itaq; nulla eſt pernicioſior peſtis ſpei, quàm fiducia ſui. Præſumere juxtà ac deſperare ſpes non novit. Nam & non ſperat gloriam ſine bona vitâ, neq; deſperat, eandem cum bona vitâ; neq, tamen ſperat eandem cum bona vitâ; neq, tamen ſperat eandem ex bonâ vita, ſed ex Dei gratiâ cum bonâ vitâ per Chriſti merita. Spes hominem facit omnipotentem, tantùm enim poteſt homo, quantum ſperat de Deo, & quidquid non poteſt homo, ideo non poteſt, quia non ſperat de Deo, non ſperat, inquam, eâ ſpe quâ debet, quæ ſpes eſt perfecta ſubmiſſio & reſignatio, & ſepultura totius hominis in Deo, in Dei placito, in Dei providentia, in Dei auxilio. Nam niſi quis totum ſeſe conformet Deo, & niſi ſemper faciat, velitq, facere hoc ſolum & totum quod vult Deus, quâ fronte poteſt homo ſpe ſuâ obtinere, ut omne id quod vult homo indubitate faciat Deus? Quantum ergo homo conformatur, & obedit Deo, tantum Deus conformatur & obedit homini, quantum autem homini obedit Deus, tantùm per ſpem præſumat homo de Deo. Quare per omnia homo conformetur Deo, & in minutis etiam etiam ad momentum (quoad fragilitas humana ſinit) conſentiat Deo, exequaturque quod novit placere Deo, & tunc nihil volet homo, quod non etiam velit faciatq; Deus. Tunc nihil poterit non ſperare homo de Deo, tantumq; poterit homo, quantum ſperabit de Deo, & fiet per ſpem Dei omnipotens homo. Spes non ſperat in ſe, nec ſperans ſperat in ſpe ſua, ſed in Deo per ſpem ſuam. Solidatur tamen ſpe ſua, immo ſolidat ſpe ſpem ſuam, ita ut etiam in ſpem contra ſpem ſperet, & ex ſpe agat, & de Deo non hæſitet, ſed tunc ubi nulla humana præſidia ſunt, tunc quando Deus ipſe quaſi indormire negotio ſuo videtur, tunc quando collapſa omnia videntur, tunc quando jam adverſarij cauſæ triumphos parant vel canunt, quando omnia impedimenta in flore ſunt, quando nulla ſpei & ſpectandi ratio ſuppetit, tunc inquam ſperet: & vel maximè ſperet, quia evidentiſſimum auxilii Divini affuturi indicium habet, quia Deum, omnia hu-
A mana & creata auxilia, omnes induſtrias & vires conatuſq; humanos, ut deficiant exſpectare videt, ut cum defecerint omnia alia, conſtetq; palàm defeciſſe, tunc exurgat, tunc manum admoveat, tunc dexteram ſuam in virtute magnificet, tunc Deo ſoli ab omnibus gloria ſit, hominis autem faciem confuſio, mentem confeſſio & ſui humiliatio impleat & occupet.

Hi duo proximè explicati exceſſus ſpei, rari admodum ſunt, etiam inter perfectionẽ profeſſos. Nam & rari ſunt admodum qui
B plenè conformes eſſe curent Dei voluntati, eamq; in minimis, in obviis, in quotidianis ad unguem exequantur, ſolamq; in exequẽdo intueantur. Quoties enim quiſq; eſt, qui in minimis maximus eſſe velit, & in ordinariis obſervationibus non ordinarius? quotuſquiſq; eſt, cui (ut de S. Bern: legimus) in ipſis communibus ſit ſingularis puritas & devotio non communis, qui nihil negligens & minima quæq; cum ſtudio & intentione tractet? quotuſquiſq, eſt, qui voluntatem
C Dei amet faciatq, non propter aliud, quàm propter ipſammet voluntatem, ejuſq, dignitatem, & non propter ſuam aliquam (ſpiritualem etiam) utilitatem? quotuſquiſq, eſt, qui placitum Dei metiatur non ex objecto ſed ex ipſo Dei placito? qui habet id, quod vult Deus, non ideo magnum putet, quia magnum in ſe eſt, ſed quia, eſto illud minimũ & viliſſimum ſit in ſe, magna tamen eſt Dei voluntas, & placitum quo illud vult Deus. Quia ergo tales rari ſunt, rari etiam ſunt a-
D pti ad fiduciam & ſpem perfectam in Deum, pari ratione rari etiam ſunt, qui ingenjum auxiliantis Dei norint, rarò, qui quantùm zelet ille in omnibus factis ſuis gloriam ſuã, ſciunt. Rari ſunt, qui opera Dei fideliter propter Dei gloriam tractent, & ſibi vel poſt factum ſaltem, de facto & de gloria Dei auctâ non complaceant. Rari ſunt, qui opera Dei à Sanctis in gloriam Dei parata, Deo, prout par eſt, & non hominibus ipſis tribu-

tribuant, Deumq; defraudent, ideò etiam rari ſunt, qui illam Dei cunctationem in adjuvando, vel in eo quod patitur, concedendo, convertat in ſpei contra ſpem materiam, & non potiùs in deſperationis occaſionem. Accedit quod pleriq; hujus ſpei contra ſpem occaſiones nullas alias eſſe, miraculoſas quaſdam & extraordinarias ſibi imaginentur, inter manus autem & in quotidianâ vitâ, eas reperiri ſolere non credant vel non ſciant, Quaſi Deus miraculorum ſit tantum, quaſi in minimis etiam non ſit providentia. Atqui experti ſcimus Deum in minutiſſimis occaſiunculis, voluntatem ſuorum ſervorum in ſuam providentiam abjectorum & voluntati ſuæ divinæ conſecratorum adimplere ſolere. Voluntatem dico, non ſolùm eam quam ipſi habent, ſed illam etiam quam non habent, ſed tantùm haberent, ſi occaſionem ejus habendæ ſcirent. Ex quo apparere debet perfectis viris, etiam minutis, in obviis occaſionibus, actionibus, negotioſis orationum ad Deum cauſis providentiam adeſſe, Deum glorificari velle, ſpei exercitium eſſe poſſe, ad illius quæ eſt contra ſpem, dummodo adſint oculi. Dic mihi o homo Religioſe, nunquamnè petiſti à Deo, tibi vel alteri aliquid, quod tamen non impetraſti, etſi illud quod petebas, licitum, ſanctum, ad perfectionem, ad gloriam Dei conferebat, conſequenterq; conforme Dei voluntati erat? Dic iterum mihi, ubi petitam rem non impetraſti, nunquid in orãdo perſeveraſti, & non potius tanquam Deo non placeret poſtulatum, à poſtulando abſtinuiſti? ita eſt ſanè. Neq; te reprehendo, dico tamen tibi, illam non impetrationem, illam Dei in te exaudiendo ſurditatem, vel potiùs tarditatem, occaſionem fuiſſe ſpei cõtra ſpem: pergendum fuiſſe in oratione conformandum fuiſſe Dei voluntati tuam volũtatem: adhibenda tamen media ad expugnãdam Deum & ejus tarditatem in dando, non in deſperationis ac ceſſationis, ſed in ſpei atque exſpectationis & perſeverantiæ vertendam fuiſſe occaſionem. Et quoties in hoc, cæcutimus noſmetipſi, qui iſta aliis tam ſcilicet diligenter commendamus & exponimus! *Tu noſti Domine Deus, tu adiuva incredulitatem noſtram.* Mar: 9 23. *Et adauge nobis fidem fidelem, & doce nos orare,* Lucæ 17 5. quia quid oremus, verè nos neſcimus, quia fragiles ſumus & cæci nati: ſed ideo, ut manifeſtentur opera tua in nobis, & tu magnus glorificeris in nobis puſillis, *Nos autem confortemur per te, & omnia poſſimus in te.* Phil: 4. 13.

5. Virtus Caritas eſt, quæ amicitia Dei, affectio per omnia ſancta; cujus ſolius laus eſt in ſcripturâ, labor in Eccleſia, virtus in anima, pretium in opere, præmium in cœlo. *Hæc eſt, chariſſima potiſſimum, hæc nunquam ex-* A *cidit, hæc maior omnibus virtutibus, hæc plenitudo legis* Hæc eſt dilectum Chriſti teſtamentum atq; præceptum. Hæc dos Eccleſiæ, hæc deniq: (quid enim multa congeram?) ipſe Deus eſt. Non diſcerno caritatem Dei à caritate proximi, & à caritate ſive amore cæterarum rerum: quia ejuſdem eſt ac unius caritatis amare Deum ſuper omnia, & propter Deum, (atq; ideo infra Deum) reliqua omnia.

Hæc virtus, ſoliditas eſt aliarum omniũ, ipſa tamen etiam quandoq; tenera & mollis, B quandoq; robuſtior & grandeſcens, quandoque ſolida, grandis, & perfecta, *quæ foras mittit omnem.* 1. Ioann: 4. (non tamen caſtum, quia hic ipſa caritas eſt) *ſed omnem timorem* qui alius eſt à caſto.

Hæc diligit Deum, ſed neq; cauſam, neq; modum, neq; præmium diligendi habet, verùm eſt illi cauſa diligendi Deum, Deus: modus, ſine modo diligere. Amat, quia amat, amat ut amet: pretium amoris amor, præmium amor, finis amor, quocunq; fertur, a- C more fertur, pondus ejus, amor ejus. Neſcit reverentiã, quia amor non veretur, licet à reverentiâ amare didicit, & in amorem profecit.

Hæc Charitas & amor, ſi eſt & ubi eſt, magna operatur, ſi operari renuit, amor nõ eſt, otium enim in caritate non eſt, quia caritas & amor negotium negotioſiſſimum eſt, & quia ſemper operatur, ſemper creſcit; ſemper ergo ſibi parvus videtur, & ideo ſemper major eſſe cupit, & hic eſt labor ejus ex amando agere, ex agendo creſcere.

D Perfectio caritatis eſt nulla cupiditas illa quæ eſt amor ſui, quæ eſt appretiatio ſui, quæ ſe propter ſe quærit, quæ ad ſe omnia trahit, quæ etiam Deum præ ſe contemnit, quæ qualiacunq; bona & commoda ad ſe ſe non minus avarè, quàm ſuperbè, quàm injuſtè, quàm ingratè rapit, & eis vel ſibi vel irrationali rationi vel ſenſui indulget, quæ etiam in quærendo Deum ſe quærit, (alioqui non

quæſi-

quæsitura nisi sibi bonus esset) & nonnisi tūc quærit Deum, quando sibi bonum putat: quando autem sibi sine Deo melius esse apprehendit, omnia potiùs alia quàm Deum quærit & per hoc se finem Dei, majorem Deo, Deum Dei, abominationēq; idoli facit; hæc inquam, cupiditas si nulla est, & quando nulla est, tunc est perfecta caritas.

Quantum ergo vel servimus, vel adhuc obnoxij sumus cupiditati, tantùm adhuc deficimus, & caremus perfecta caritate, quantùm cupiditas nostra fervet in nobis, tantùm adhuc caritas tepet, quantum adhuc jactamur cupiditate, tantum adhuc non quiescimus in caritate, vis caritatem perfectam? tolle omnem cupiditatem, quæ quidem dum hic vivimus, planè tolli non potest, attamen quantùm possumus, de ea in nobis mortificemus & tantundem in nobis caritatem, & nos caritate vivificemus, quò faciet, passionum mortificatio, sensuum afflictio, naturæ se ubiq; quærentis, persecutio, honoris abnegatio, humilitatis consectatio, patientiæ lucta, intentio pura, Resignatio plena, de quibus omnibus sermo in sequentibus recurret aliquantus,

4. Virtus Humilitas est, de qua quod dixi cons. 5 & alibi supra sparsim, etiam pro hoc loco satis est. Unum tamen pro hoc dicere necessarium est. Humilitas & humilis verus atq; perfectus, fugit omnem admirationem, fugit & declinat ab omni eo, quòd illum potest facere apud alios mirabilem. Confusionem non fugere est perfectio, sed (nisi ego fallor) imperfecti, mihi videtur, plus esse & majus, fugere admirationē cum sæpè humilis, qui ex humilitate non fugit confusionem, idem ex elatione aut miretur ipse se, aut in admiratione se putet esse ob id, quod eam non fugerit. Unde dico, quod nunquam quisquam erit verè humilis, si humilitatē tanquam virtutem quæret, & non magis tanquam justitiam, ex quā illi contemptus abjectioq; ab omnibus ac in omnibus propter suam vilitatem malitiamq; debeatur, humiliationem acceptabit. Semper enim cui humilitas inerit ut virtus vel erit, vel esse facilè poterit de humilitate atq; humiliatione superbus, mirabitur se æstimabit, complacebit, superbiet. Ex quo fonte superiùs, tam humilitatem quàm omnem aliam virtutem, ut esset solida, volui esse humilem. Suadeo ergo ut qui humilis esse vult, nolit esse humilis, sed contemptus & contemptus ex debito sibi cōtemptu. Nolit videri humilis, sed vilis, nec se cupiet humiliari, sed sibi deberi sciat, & debitum quærat contemptum Hinc fiet, ut non se humilem miretur, sed se contemptum gaudeat, tanquam is qui debitam sibi mercedē accepit, aut is qui postquam luit pœnas culpæ, se evasisse metum contentus est. Sic persua sus fugiet admirationem, quisquis sectabitur

A humilitatem. Quam admirationis fugam egregiè docuit nos S. Petrus Apostolus, & Ioannes in illo miraculo claudi ad portam speciosam sanati, cum enim hoc mirum esset populo, & ob id ad Apostolus stupens cōcurreret, videns id Petrus, dixit ad populū. *Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?* Act. 3. Simile exemplum est observatum, vel ab ipso Christo in Ioanne Baptista, qui cùm esset planè admirabilis, non tamen apud se fuit in admiratione, nec se pro Christo venditavit, licet occasio illi daretur. Un

B de & à Christo inter alias laudes meruit audire: quòd non esset arundo vento agitata, agitantur enim qui se mirantur, qui se mirabiles aliis videri gaudent & mirantur &c. Hanc quoq; admirationis fugam summè, & merito quidem, laudant in S. Bernardo, scriptores vitæ ejus. (Summum erat huic famulo Dei studium, fugere admirationem, & tā quam unum se se gerere cæterorum. Proverbium illud, in ore ei frequenter, semper in corde: qui hoc facit, quod nemo, miran-

C tur omnes. Quo nimirum intuitu, vitam, Regulamq; cōmunem, amplius æmulabatur, nihil in suis actibus præferens observantiæ singularis. Ob hoc deniq; cilicium, quod pluribus annis occultè gestaverat, ponere maluit, quàm ut ferre sciretur, minùs illum latere velle contestans, qui cum cæteris ejusdem professionis, sibi communia non sectatur. In ipsis tamen communibus erat illi singularis puritas (perfectionis) & devotio non communis. Ex cujus ejusdem Sancti vita referre, quod ad propositum præsens facit, non gravabor. Nam cum Deus Sanctū

D illum, mirabilem facere cæpisset miraculis: non prætereundum, (ait scriptor vitæ ejus) quidnam ipse inter hæc animi gereret, qui à Christo humilitatem cordis & mansuetudinem didicisset. Disputans enim secum in cogitationibus suis, & ex ipsâ demum locutus abundantiâ cordis sui, domesticis quibusdam sibi fratribus Religiosis aiebat. Plurimum miror quidnam sibi hæc miracula velint, aut quid visum sit Deo talia actitare per

talem. Nihil mihi videor in sacris paginis super hoc genere legisse signorum. Siquidẽ facta sunt aliquando signa per Sanctos homines & perfectos, facta sunt & per fictos. Ego mihi nec perfectionis conscius sum nec fictionis. Scio enim Sanctorum mihi non suppetere merita, quæ miraculis illustrentur, confido autem nec ad eorum sortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur. Hæc & hujusmodi crebriùs secretiusq; cum viris spiritualibus conferebat. Novissimè verò opportunum sibimet exitum visus reperisse. Scio (inquit) hujusmodi signa, non ad sanctitatem unius, sed ad multorum spectare salutem & Deum in homine per quem talia operatur non tam perfectionem considerare, quàm opinionem, ut in eo commendet hominibus, quæ illi creditur inesse, virtutem. Neq; enim pro eis fiunt hæc, per quos fiunt, sed pro eis qui illa vident vel sciunt. Nec eo fine per eos ista Dominus operatur ut ipsos probet cæteris sanctiores, sed ut cæteros magis amatores, & æmulatores faciat sanctitatis. Nihil ergo mihi & signis istis, quandoquidem meæ illa famæ magis quàm vitæ noverim exhiberi, nec ad meam fieri commendationem, sed ad cõmonitionem potiùs aliorum. Satis, ni fallimur, hujus viri mirabitur animum, quisquis hoc diligenti consideratione pensaverit, nec præstantiùs reputabit æstimator quisque fidelis, signa aut prodigia mirabiliter operari, quàm perpetrata taliter interpretari. Qui ad effugandam ab animo proprio, admirationis vanæq; gloriæ pestem, à S. Bernardo usurpatus, non tantùm ad miraculorum, sed ad quorumlibet mirabilium operum laudabiliumq; gloriam retundendam modus, humili perfectoq; viro est usurpandus. Nam sive subtilitas affluat ingenij, atq; claritas in scientiis, *sive quis sit potens verbo, & loquatur tanquam potestatem habens*, Lucæ 24. 19. faciatq; multos converti ad Dominum Deum suum, sive in confessionibus audiendis sint verba ejus ignita, & malleo similia contũdẽti petras hæc similiaq; admirationem parientia, consimili poterunt S. Bernardi humiliari veritate. Quo fiet ut quis magnus sit, & tamen magnum se esse nesciat, & humilitas honorata ab omnibus, ignoret semetipsam, atq; contemnat, & vincat sublimitatem nominis humilitas cordis, nec tam possit universus mundus hominem erigere, quàm ipse se deijcere solus. Summus licèt reputabitur ab omnibus infimum tamen ipse se reputabit & quem sibi omnes, ipse se nemini præfert. Immo inter honores, laudes & favores hominum, in amicitiis sublimium quarumvis personarum, alterum sibi mutuatus videbitur hominem, sese autem qui est, reputabit velut absentem, velutq; quoddam somnium aut comicum spectaculum reputabit. Ubi A autem revertetur ad suos, ubi secreti sui cubicula, ab hominum tumultu subibit, ibi se ipse invenisse gaudebit & veluti ad propriam rediisse personam. Non oberit etiam illud ex eodem S. Bernardo decerpere, & humilitatem solidam amantibus proponere, quod & aliis usitatum Sanctis novimus. Opera sive miraculose sive insigniter & laudabiliter facta, joco potiùs eludenda esse, & miratores laudatoresq; eorum expediendos, quàm humilitate deprimenda. Quod factũ à Sancto cum ejus vitæ autor retulisset, hæc B deinde subdit. Noverat siquidem verus & verax non ostentator, sed æmulator humilitatis efficacius dissuaderi posse hominibus quod stupebant, obliquâ quadam & artificiosa objectione, quàm aperta excusatione, quæ humilitate magis prædicabilem præferendo, existimationem non minueret hominum, sed augeret. Hoc est ingenium solidæ humilitatis: hæc ratio admirationem declinandi: hanc imitetur & teneat solidus amator; & à Deo simpliciter ac veraciter petat, C ut eum faciat Sanctum, sed non mirabilem suum servum.

5. Virtus est Patientia. Ex adversis compositi aut oppositi potiùs sumus; in eo mundo vivimus, in quo omnia ex contrariis, ex pugnantibus, ex victis ac vincentibus, ex agentibus ac patientibus constant. Quomodo igitur aut evadere possumus quod patiamur, aut sperare ne patiamur? Tam est necesse hominem pati, quàm & hominem & in hoc mundo esse. Extra mundum eat, qui non pati desiderat. Nam dum hic est, in uni- D versitate & mundo patientiæ est, ac proinde & ipsi cum tota imò & à tota universitate mundi patiendum est. O quanta ergo homini, & quàm solida talariq; patientiæ virtuosæ togâ opus est, cui tantum patiendi mare perpetuò natandum est? cui quocunq; sese tandem verterit, inter incudẽ & malleum passionis hærendum est. Et tamen nondum hoc homini ad solidam patientiam sufficit, ut patiatur ab omnibus, requiritur, ut etiam patiatur à se ipso, ut ipse sibi incus, ipse malleus

leus, ipse agens, ipse passum sit, & hoc quidem per totam vitam.

Volo dicere: Tam necesse est hic hominē pati, quàm vivere, sed pati potest homo aut ægrè & nolens & hæc impatiētia, sive impatiēs impatiētia est, aut modestè & volens, & hæc demum virtus patientia est. Impatiens illa patientia; duplicata vel potiùs multipliciter aucta molestia est. Patiens & modesta patientia, simplex & ea quidem multùm diminuta molestia, ac quandoq; nec molestia sed lætitia est. Pati homo potest & debet, tam à se quàm ab altero. A se patitur carnis & spiritûs rebellionem, carnis per spiritum. mortificationem inferioris partis per Superiorem, superioris etiam per fidem & humilitatem, carnis infirmitatem, &c. Ab alio patitur triplex patientiæ genus sive molestiæ, videlicet vel verborum injurias, vel damna rerum vel corporis læsionem, & hæc quidem ab homine à cæteris rebus consimilia: à Dæmone insuper tentationem: à Deo & Angelo, nostræ voluntati contrariam Dei voluntatem. In his omnibus verus patiens servare debet patientiam, silentium modestiam, humilitatem, indifferentiam, resignationem, caritatem, constanriam, lætitiam: desiderium, perseverantiam, innocentiam, aut certè confessionem seu veritatem. Quot ex his conditionibus caret patientia, totidem abest gradibus à soliditate suâ. Post quæ omnia adhuc noverit patientiæ suæ aliquid defuturum, illud nempe ut semper aliquid, si non ab aliis, saltem à semetipso patiatur. Sicut animal semper indiget aere quē spiret, ita homo semper indiget, quod patiatur, si non patiatur, corrumpitur: sicut caro sine sale putrescit. Semper ergo patere ô Religiose si non vis putrescere, nec deerit tibi vel materia, vel modus patiendi modo non desit voluntas & diligentia inquirendi, aut potius temet affligendi. Quod si quispiam ita delicatus sit, ut non pati cupiat, & quomodo necessitatem materiamq; patiendi evadat nosse appetat, huic ne planè spem præscindam, unicum superesse nihil patiendi modū suggero, qui est, cum Dei voluntate conformem per omnia esse. Conformitas hæc faciet, ut non tantùm nihil patiatur, sed ut nec possit etiam pati quidquam. Quod ita paucis expono. Patientia est adversorum, hæc enim patimur quæ sunt adversum nos. Illa porro adversantur nobis, quæ voluntati sunt adversa nostræ qualicunque. Quidquid ergo accidit adversum voluntati nostræ, seu quod nollet voluntas nostra, illud dicimur pati. Nam si quid accidit nobis quod accidere volumus, hoc sanè pati nec possumus, nec dici debemus. Ex quo patet, omnem patien-

A di originem atq; necessitatem in nobis esse à voluntate nostra. Iam si quis voluntatem suam ableget à se, ita ut nihil velit, nihil nō velit, sed esse totum Dei voluntati permittat & hoc solum quod illa vult, velit, quod illa non vult nolit, consequens est, ut nihil unquam pati possit; quippe illi nihil accidit unquam quod accidere nolit, & nihil non accidet, quod accidere velit. Cui autem nihil accidit quod non vult, & nihil non accidit quod vult, is quod patiatur, non habet. quia omnia quæ vult, habet, & omnia quæ

B non vult, non habet, omnia quæ habet, vult, & omnia quæ non habet, non vult. Talis autem est omnis, qui uoluntatem suam cum Dei voluntate conformavit, hac enim voluntate conformata, nihil vult, nisi quod vult Deus, nihil non vult, nisi quod non vult Deus, & nihil sibi vult, nihilq; non vult, nisi quod etiam illi vult aut non vult Deus, itaq; quidquid homini accidit, hoc accidere sibi tam vult homo, quàm vult Deus, & quidquid homini non accidit, hoc non ac-

C cidere sibi, tam vult homo quàm vult Deus. Nihil igitur potest pati unquam adversi homo, quisquis ita voluntatem suam, unit divinæ, ut nihil unquam velit ac nolit, nisi quod vult ac non vult Deus.

Hæc qui legit, intelligat: & fructum perfectæ resignationis vel ex his cognoscens, ad impatibilitatem impatientiamq; istam, omni patientia perfectiorem aspiret, beatitudinemque cœlestem, in hac adhuc vita possidere ad-

D laboret. Neq; nos hæc deterreant: quia nec incognita SS. Patribus perfectionisq; magistris, suademus, nec impossibilia sunt, quæ proponimus, sed ut aliàs etiam diximus, sapientiam loquimur inter perfectos, & quia de solida virtute tractamus, solida etiam loquimur, spiritualibus spiritualia comparantes, & adhuc perfectiorem viam cum Apostolo demonstrantes. *ut æmulemur charismata meliora.*

CONSIDERATIO XVIII.

De resignationis, fervoris, efficacitatis, perseverantiæ soliditate.



Uatuor, quæ in hac Consideratione veniunt considerαnda, non solùm virtutes sunt, sed etiam aliarum reliquarum virtutū solidationes. Quare etsi fortè in earum descriptione erimus adstrictiores, in earum tamen praxi, viri spirituales atq; perfecti, debent esse quàm prolixissimi.

Et de Resignatione quidem neq; uno loco, neq; levia, neq; pauca prædicta sunt, ut vix aliquid addere necesse sit in præsenti, maximè cùm hac de re alibi, non semel etiam tractatum sit. Nonnulla tamen hic expendisse, operæ pretium erit.

Resignatio & conformitas cum Dei voluntate & indifferentia idem sunt, & idem diversis nominibus significant. Hæc virtus tam necessaria est, quàm nulla super illam. Quippe etiam caritas non est aliud quàm conformitas hæc. Amare enim Deum, est Deo bene velle: Bene velle Deo, est hoc velle Deo, quod Deus vult, qui quidquid vult, sibi & propter seipsum vult. Velle quod vult Deus, est habere voluntatem cum Divina conformem. Conformitas igitur caritas est. Hæc Virtus est in omni virtute, immo in omni actione necessaria, ut bona sit. Hæc virtus etiam in laude & caritate & servitio Dei necessaria est, ut nec plus nec aliter, nec aliis viis occasionibusq; velimus Deum laudare, amare, colere, quàm quibus vult Deus. Hæc virtus etiam ad seipsam necessaria est, ideo enim debemus conformare nos voluntati Dei, quia vult Deus, nec servire debemus Deo voluntativè Dei, nisi ad voluntatem Dei.

Hæc conformitas cum voluntate Dei, tam arcta & firma esse debet, ut faciat hominem non posse aliud velle vel nolle; quàm quod vult vel non vult Deus, & quidem ideo, quia vult & non vult Deus. Hæc conformitas ita absorbet volūtatem nostram in divinam, ut quodammodo transeat in ipsam non substantialiter quidem quia hoc est impossibile, sed tamen unitivè. Quomodo aërem istum ita penetrat lux solis, ut aër lux esse videatur, quomodo ignis penetrat ferrum, ut ferrum ignis esse videatur: quomodo ingens vas vini absorbet guttam aquæ, ut aqua in vinum A transisse videatur, sic etiam voluntas hominis conformitate & conformandi assiduitate, sic transit in divinam, ut penè ipsa divina esse videatur, (quò fit, ut in ea spes & fiducia illa de qua supra egimus fundetur.) Unde etiam sic eandem nostram voluntatem exaltat, ut sicut illa in divinam, sic vicissim divina in illam commutetur, adeo ut Dei voluntas in potestatem & regimen, arbitriumque se tradat voluntati humanæ, sibi cō- B formatæ, serviatq; illi, ut jam non seipsam. *sed voluntatem timentium se facere dicatur*, Nempe per hanc conformitatem, usq; adeo purificatur & dignificatur voluntas humana (& quidni dignificetur; cùm sit conformata divinæ, quā nihil est dignius?) ut non dedeceat Deum hoc velle, quod voluntas humana vult. Et sanè non potest dedecere, siquidem voluntas humana, nec scit, nec vult, nec potest aliud velle, quàm quod voluntas divina vult. Ita ergo miro modo & voluntas di- C vina humanam facit suam, & humana divinam. Quæ quidem res tanta est, ut ad hanc solam (quod alias dixi) omnis vitæ spiritualis labor collimet: tanta est, ut nisi quis ad eam sive in hac sive in altera vita pervenerit ad Deum facie ad faciem non sit admittēdus videndū, neq; quidquā in nobis seu dum vivimus, seu dū morimur, seu dum in purgatorij pœnis detinemur, Deus expurgat, quàm irresignationem, seu non plenam cum sua Sanctissima voluntate conformitatem, aut hu- D jus conformitatis impedimentum, a quibus dum expurgemur, rectè in cœlum convolamus, quoniam mundo corde esse invenimur. mundum autem cor Deum videt: quid autē illo corde mundius, quod est cum ipsius Dei corde unum, & cui cordi divinum cor non dedecet conformari & uniri?

Denique tanta res hæc est, ut cœlestis gloria Beatitudoq; aliud non sit, quàm hæc volūtatum nostrarum in Deum absorptio & trāsfusio

fusio

fusio æterna: quæ hic ex parte inchoatur & degustatur, ibi autem consummatur, & æter nitate ipsa terminatur.

Et quis nolit hanc Beatitudinis participationem in hac vita præcipere? nullus certè qui sapit. Sed quis sapiens & intelliget hæc? Gens absq; consilio est, nec in sæculo tantum sed etiam in Religionibus ipsis, etiam inter eos, qui perfecti esse, sibi & aliis videntur, A Abscondita hæc sunt ab oculis eorum, & nec capere, nec experiri dignantur, peregrinum nescio quid metuunt in hoc genere scientiæ atq; exercitij, quia perfecta sectari, & perfectionem possidere periculosum sit, & non magis hærere in propriæ voluntatis dumetis, servire propriis designationibus, humanis rationibus regi, abundare in suo sensu sit periculosum, quia tepidorum proprium.

Hujus conformitatis jugum nemo potest excutere, sed sive velit, sive nolit, debet divinæ voluntati subesse. Dei enim voluntas, B absoluta Domina & Regina omnium est, in cujus ditione cuncta sunt posita, & nemo ejus potest resistere potestati ac ordinationi. Quidquid illa vult, fit: quidquid non vult, nõ fit: adeo ut nullum sit verius signum, quòd aliquid voluerit fieri Deus, quàm hoc, quia factum est: invito enim, inscio, nolente Deo, factum non est. Quare etiam ij qui resistũt voluntati Dei, non resistunt revera, sed potiùs obsequuntur, resistunt tamen in sua improbâ voluntate ob quam etiam puniuntur. Item etiam ij, qui impediunt Dei voluntatẽ C ne fiat, non impediunt, nisi volentem impediri, & non fieri: immo non impediunt sed promovent, atq; adeo perficiunt. illa enim ipsa, quæ voluit fieri, voluit etiam, ne fieret, in eo ipso ab his impediri, quod & factum est sed ad facientium hoc est impedientium pœnam, quia impediverunt, non ut per hoc servirent Dei voluntati, sed potiùs ut obsisterẽt ejus potestati. Miro itaq; modo (ait Bern: ep: 11. in medio) æterna lex fugitivum suum & posuit sibi contrarium, & retinuit subjectum, D dum videlicet, nec justitiæ pro meritis legem evasit, nec tamen eum Deo in sua luce, in sua requie, in sua gloria remansit: subiectus potestati, submotus felicitati. Suspicabantur fratres Iosephi, quòd ipsis esset futurus Ioseph Dominus: id à Deo per somnia, præsignari audiebant, metuebant, impedire laborabant, sed quomodo? ipso impediendi conatu promoverunt consilium Dei, nam ex suo vendiderunt fratrem, ne dominaretur, ex divino autem vendiderunt ut dominaretur. Ita ergo malitia fratrum servivit Dei voluntati per hoc ipsum, per quod conabatur contraire Dei voluntati, propter quod & illi se non subduxit, & ut mala punitaque fuit. Atq; non aliter in omni pectore: qui dum non vult facere unam Dei voluntatem sibi ad salutem, facit peccando alteram ad damnationem. Insaniunt ergo quicunque jugum divinæ voluntatis excutere conantur, nam per ipsum excutiendi conatum, illi eidem subjugantur, sed subjugantur inviti, proptereaq; perversi ad pœnam, qui nolunt volentes, proptereaq; recti, subjugari ad vitam. Vita namq; in voluntate ejus sicut mors in contemptu voluntatis ejus. Ex quibus omnibus concludat perfectus, conformationem cum Dei voluntate, talem esse virtutem ut nulla sit ei similis. Nemo potest illâ carere: tam bonus quàm malus habet illã necessariò, quia necessario subditur quisque eorum Dei voluntatis arbitrio, sed qui eam habet volens, hic bonus est, & ei virtus est: qui eam habet nolens, hic malus est, & ei peccatum est. Eliget ergo qui sapit, conformari Dei voluntati per omnia & semper volendo, ne cogatur conformari nolendo. Voluntaria enim conformitas, erit omnis & cõsummata sanctitas. Voluntaria verò difformitas, & coacta conformitas, erit omnis & consummata impietas. Et hinc etiam advertant illi, qui hujus conformitatis studium suspectum habent, quòd illud non suspectum habere, sed suspicere debeant, non contemnere sed commendare, non negligere, sed affectare & exercere teneantur, ne & ipsi, dum ei conformationi studere sponte ad salutem negligunt per hanc ipsam negligentiam in eo studio, ignari & coacti exerceantur, non dico ad damnationem dico tamen ad tardam salutem & perfectionem.

Fervor spiritûs, est jugis proficiendi in virtute conatus, cui semper modicum videtur id, quod habet, id, quod facit; & ideo sẽper aliud quàm est habet, facit, appetit, ad ulterioraq; se se extendit, quod nisi faciat, continuò deficere, id est fervor non esse incipit. Sicut enim ignis nunquam contentus est hoc comburere quod comburit, sed perpetuò vicinam in materiam transit, & eam in se se rapit: quàm primùm non habet quò transeat aut in quod agat, & quod in se transmutet, statim etiam deficere incipit; sic & fervor spiritûs nostri, aut semper proficit aut cer-

ut certè quàm primùm non proficere statim deficere incipit, adeo, ut ipsum non proficere, sit illi deficere. Sic naviganti contra impetum fluvij, hoc ipsum est descendere cũ fluvio, quod est non ascendere contra flumẽ ubi enim desinit contra flumen pergere conari, ibi statim rapitur deorsum cum flumine, etiamsi ille nihil ad descensum suum col laboret. Sed satis hoc ipso collaborat ire deorsum quia non conatur ire sursum. Sic ergo etiam satis hic facit ad deficiendum in spiritu, qui ne deficiat non impedit proficiendi conatu. Per hoc enim ipsum, quod nõ proficit, aliquid utiq; in quo proficere potuit, perdit: quod si perdit aliquid, igitur deficit, in hoc saltem quod perdidit. Quis verò potest asserere, se modicum, quid perdidisse tunc, quando licet potuit, non profecit? quis mensus est gratiam illam, quàm neglexit, Divina, voluntas providerat secuturam, si non neglexisset profecisse? Et quia res hæc maximi est in vitá spirituali momenti, operæ pretium est, eam adhuc paulisper perpendere Igitur si in viá Dei, non progredi est regredi, (uti & vidimus, & vulgo Sanctorum sensus est) igitur non progredi uno die in viá Dei, est regredi uno die, & non progredi duobus diebus est regredi duobus diebus, & non progredi uno anno, est regredi uno anno, & non progredi multis annis, est retrogredi multis annis. Et quid mirum nobis esse solet, multos ad seculum regredi, qui benè in Tyrocinio versati fuerant? Biennio Tyrocinij progressi sunt, postea per biennium sunt non progressi, & fortè per aliud & aliud, igitur per illa omnia biennia sunt retrogressi, igitur usq; ad portam quá ingressi fuerant, sunt regressi, tandemq; & egressi: quare? quia nõ progredi, est regredi. Atq; etiam hinc est illud quod videmus crebrò, antiquos Religiosos esse deteriores Tyronibus, etiam seipsis dum Tyrones erant. Homo dum carnaliter nascitur; nascitur minutus, sensim tamẽ crescit in virum. Homo spiritualis contrà, nascitur magnus dum nascitur, postea sensim decrescit, ita ut ex magno fiat minutulus, & 100. annorum licèt, puer tamen moriatur. Cur ita? quia non est progressus, ideo regressus, ex magno factus est parvus Quia ergo rarò fit, ut veterani Religiosi progrediantur, necesse est regrediantur, & pejores Tyronibus, pejores suo ipsorum tyrocinio inveniantur. Ex quo fit, ut optandum sit Religiosis tanto cum spiritu saltem mori, cum quanto Religioni sunt nati. Fit etiam ut oporteat Religiosum & solidum in virtute hominem semper progredi, semper ad ulteriora conari. Quam ob causam verè solidus Religiosus, sẽper vult fervere, semper vult in fervore crescere, nescit minutos profectus vocare, nescit nosse, quia omnes maximi tenetur æstimare, & ideo nullus ei parvus, nullus negligendus occurrit: alioqui nec solidus ille A Religiosus, neq; spiritus ejus fervens erit. Superbi spiritûs est non ferventis, magna lucra expectando modica negligere, ferventis est, modica lucrando, ad majora se idoneũ & capacem facere: *qui enim in modico fidelis est, super multa meretur constitui* Matth: 25. 23. &c. Fervens spiritus modica lucra fervore adæquat maximis, & ideo non exspectat maxima: tepidus vero spiritus, magna scilicet lucra exspectat, ne cogatur multum laborare, seu fervere: unde etiam tepiditate sua, quæ poterant esse per fervorem maxima B facit vix minimis comparanda. Sicut enim unus actus fervens, pro multis remissis facit, ita contrà multi actus tepidi, unum ferventẽ non adæquant. Sed neq; tepiditatis mala, neq; ferventis spiritûs bona enumerandi, finis esset. Sit finis hic Ferveris Spiritûs soliditas non est alia quàm semper fervere. Sicut fluvij hæc est natura, fluere semper & currere, ignis, hæc est natura semper agere, motûs natura, semper moveri aut movere, Fervor enim spiritûs, fluvius est. hæc imitetur, ut sit id quod est.

C Efficacia suo ipsius nomine declarat, quid sit, ab efficiendo dicta est, facere enim facit, in quo est. Hæc est virtutis vita, quia virtuti, in actione omnis est vita Nec quisquam virtutem quærit aut habet ob aliud, nisi ut agat; cùm virtus non agens non sit virtus, sed optimum in virtute sit operatio sive opus perinde ut in nuce optimum est nucleus. Actio ergo, operatio, efficacia, virtutis est nucleus, vita, finis, optimum. Proinde si desit efficacia deest in virtute, quod est optimum D cortex est, nucleus non est. Religiosis præsertim perfectioribus nihil est æquè vitandũ ac inefficacia qua rarus non laborat. Quis est enim perfectorum, qui omnia quæ scit, facit, qui omnia, eá perfectione, qua scit aut potest, facit? qui eo conatu, quo scit vel potest, omnia facit? qui tam perfectè omnia facit quæ facit, quàm facienda scit? qui intellectum affectu, affectum effectu assequatur? qui pro mensura gratiæ ipsi communicatæ devotioni quærendæ & meritis parandis, & virtutibus perficiendis insistat? qui uno ver-

bo

bo, nihil negligat, sed pro mensura gratiæ, pro mensura habitûs operetur? Et tamen habitibus perfectiores actus ut sint, si mereri debent, nonnulli requirunt: quod si falsū est, autoribus relinquimus, zelum tamē commendamus: & ut hoc non requiratur quod dicunt, possibile tamen est, perfectiores ac intensiores habitibus actus esse; & quotus est ex perfectis, qui curat esse? Ergo rarus est etiam perfectorum qui inefficaciæ morbo non laboret; qui morbus partim est innatus defectuositati humanæ, partim negligentiæ ac tepori familiaris. Vir servens ac solidus, semper ea, quæ facienda sunt cogitat. cogitata autem efficere curat, & à Deo frequēter juxta ac instanter postulare non cessat, ut sciat, velit, possit, faciat voluntatem Dei. Religiosi enim rari sunt præsertim in Societate, qui peccent inscitiâ vel impotentia faciendorum: at frequentissimi qui defectu voluntatis efficacis peccent. Rari sunt item, qui ab hoc genere peccati se extricare sciant, rariores quid curent, de die in diem differunt, & per hoc nesciunt quòd quotidie sibi difficiliorem efficaciam reddunt. differendo namque insuefaciunt se negligentiæ, cujus consuetudo tantò difficiliùs expugnatur, quantò longiori dilatione roborabatur. Finem faciam de hac efficacia, si dixero efficaciæ ipsi necessariam esse efficaciam, hoc est: actiones nostræ non tantum actiones sint qualescunq; sed sint activæ, sint vivæ, sint efficaces, & intensionem vehementiamq́, habentes, quam fervor spiritûs facit, quia fervor ignis est, ignis autem est omnium elementorum activissimum, ita & fervor omnium virtutum activissimus. Sicut flos ignis maximè agit, ita fervor, qui est flos caritatis, maximè & strenuissimè operatur. Fervor ergo efficaciam, efficacia fervorem nutriat & solidet.

Perseverantia, virtutum summa, Portus, corona, finis, præmium. Utinam esset etiam carum meritum, sed non cadit in meritum, adeo pretiosum est istud Deo donum. Et quod est perseverantiæ obtinendæ mediū, quando ad eam neq; omnes virtutes sufficiunt? Gratia est Dei, medium perseverandi: huic blandiātur qui perseverare in omni bono meditantur, illam exaltent, qui istam ambiunt, in manu gratiæ perseverantia est: gratiam apprehende ut te coronet. Facilius habemus quid nobis auferat perseverantiam, quàm quid conferat. Nam superbia (illa præsertim quæ ex conscientia boni nascitur, quam David timuit Ps: 55 3 Ab altitudine diei timebo:) & securitas & tepiditas

A ad non perseverandum, viam sternūt. Quam firmus stetit Angelus in cœlo, David in solario, Petrus in Pontificis atrio! illum tamen superbia, hunc securitas, istum dejecit tepiditas, *quia sequebatur à longe & fugebat*. Elationem, securitatem, & illi sororem, tepiditatem fuge, qui non perseverare times. Quod si hæc faciunt non perseverare ergo opposita his facient nostra ex parte aliquomodo nos

B perseverare. Humilitas cordis, timor Dei, fervor caritatis operantis & nunquam cessantis, faciunt perseverare. Quis enim corruet, si jam in humilitatis fundo jacet? Quis securus aut otiosus erit, qui Deum timet, & timendo nihil negligit, atq; haud dubiè quòd & nunquam? Quis non perseverabit in bono, qui ex fervore caritatis operatur bonum, & nunquam cessat instanter operari? Utiq; diligentem se Deus non abjiciet, alioqui

C quem retinebit? & *qui otiosos vocat ad laborem* ut habeat unde illis solvat, mercedem: *quomodo, qui sustinent pondus diei & æstus, sine mercede divinâ expediet?* deniq; *qui humilibus dat gratiam*, quomodo ab ijs auferet perseverantiam? *Humiles spiritu salvabit Deus, & beatus est qui semper est pavidus. Beati quoq; servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilātes: Beatæ illæ Virgines, quas cùm venit sponsus, in-*

D *venit paratas cum lampadibus ornatu*, & copioso oleo instructis atq; succensis. has enim secum deducet ad nuptias. His ergo omnibus insistat, qui perseverare cupit: super omnia autem, gratiæ Dei aduletur, adhæreat, innitatur, fidat, cooperetur, adhæreat, ut teneat: aduletur, ut placeat: innitatur, ut teneatur: fidat, ut juvetur: cooperetur, ut operetur, & in operando conseruetur. gratias agat, ut in eo gratia multiplicetur & confirmetur.



DIES

DIES VII.

De his quæ in nobis emolliunt virtutis soliditatem, horum est. 1. Cura carnis & ad externa effusio mentis. 2. Contemptus minimorum. 3. Tentationes, & neglectus utendi virtute.



CONSIDERATIO XIX.

Quòd solida virtus enervetur curâ carnis, & effusione ad externa.



NOn est satis ad solidam de solida virtute cognitionem habendam, nosse quid sit, quæ sint ejus species, quibus paretur instrumentis ac mediis; nisi etiam advertatur quibus eandem emolliri, enervari, ac etiam deperdi contingat. De hoc ergo in sequentibus considerabimus.

Loquendo itaq. universaliter, his omnibus enervatur soliditas virtutis, quibus confirmatur obstinatio vitii, cum enim contrariorum contraria sint ingenia, contraria remedia, contraria disciplina, virtusq; vitio sit contraria, opus est, ut quod vitio conducit confirmando, hoc faciat ad virtutem evertẽdam, & quod conducit ad virtutem solidandam, per hoc, vitium infirmetur. Et quia vitia confirmantur variis modis, ideo etiam virtutes variis rationibus enervantur.

Enervatur virtus primò curâ carnis, curâ commodorum sensualium, molli delicataq; vestitione, molli lecto, longo somno, largo & delicato, selectoq; cibo & potu, declinatione æstûs, frigoris, venti, pluviarum, fuga laboris & fatigationis, oblectatione sensuum externorum, visûs, tactûs, odoratûs auditûs, gustûs, colloquiis, lepidis, festivis, ludicris: risu & cachinnis, conversatione facetâ, recreationibus, otio. Et ratio est: quia cùm hæc omnia carnem nutriant foveantq, consequenter vitiis suffragentur, ideo impossibile est, ut spiritum, ut virtutem, ut perfectionem ista non enervent, non pervertant, non pessundent. Horum ergo omnium hostis erit, qui solidæ virtutis cupidus erit. Ne-
A que solùm istorum hostis & fugitans atque parcus, & nisi strictam ad necessitatem in eis sibi indulgens, sed etiam omnia his contraria, discretionis moderamine regulata, carni suæ sensuiq; inferet, & inferet, non interdum, sed assiduò sed jugiter, ita ut quòad fieri poterit, nullo momento temporis permittat carnem & sensus suos, vacare â sensu alicujus molestiæ vel doloris. Dolor enim sensûs, est consolatio rationis: infirmitas carnis, est sanitas animæ: mors sensualitatis, est
B vita spiritûs. Qui Sanctorum vel doctrinas vel vitas legerit, hanc in eis doctrinam nec aliam videbit: audiet illos clamantes *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam mortificate membra vestra quæ sunt super terrã, propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oves occisionis.* Virum spiritualem oportet mori in diem 24. vicibus, & alia infinita magis factis quàm verbis à Sanctis expressa. Amator ergo virtutis, hostis erit commodorum carnis, & neq; sub prætextu necessitatis
C permittat carni gustum voluptatis. Hunc enim inter alia, scopulum nosse & vitare debet perfectus, quòd sæpè mortificata caro, deficere se mentiatur, & compassionem hominis super se moveat, ut non affligatur, in quo solidus qui est, erit & discretus, atque ita vigilanter attendet, an caro sua veram exigat necessitatem, veramq; patiatur infirmitatem, an verò sub pallio infirmitatis ambiat voluptatem, aut non necessariam quietem

atem. Sciant autem perfecti se potissimum hoc genere compassionis super carnem suam solere tentari, quia cum ordinariè ætate provecti & laboribus fracti sint, facillimè in eis caro sua sicut veram infirmitatem ac necessitatem habere, ita sub hujus prætextu ac occasione non necessariam indulgentiam potest & solet prætendere. Quibus viris, ut ab hoc scopulo, & quâ ratione sibi caveant, non dicimus, quia cum eos perfectos & purgatum habentes mentis sensum præsumamus, doctrina nostra longiore, aut cohortatione minùs indigere credimus.

Enervatur spiritus effusione ad externa, non jam dico commoda, sed negotia, furantur enim hæc sibi hominem & ab illo ipso abducunt, atq; prout ipsa inter sese, unum ex alio surgunt, invicemq; nectuntur & trahuntur; sic animum hominis ita distinent; ut ab uno ad aliud impellant, spe illum finis & exitûs in uno negotio jam apparentis lactant, & interim ex insidiis nova plura erumpentia eum invadunt, atq; post se abducunt, & apud se illaqueatum tenent. Quod si contingit etiam illis, qui ad negotia parci, circumspecti, nec toti accedunt, quid putamus evenire ijs, qui se totos in eadem effundunt ijsdemq; demergunt, ac insuper demergi oblectantur, & demersionem illam suam infelicem, etiam zeli animarum specie honestare, sibiq; & aliis venditare non erubescũt.

Nolo perfectum virum, sibi soli vivere (nisi hoc ejus sit instituti) nolo ab aliorum commodis spiritualibus curandis abstinere: sed tamen nolo etiam sic ab eodem ista curari, ut eum contingat animæ suæ detrimentũ pati & cum aliis prædicaverit, *ipsum velut æs sonans & tympanum tinniens & reprobum à Deo fieri*, concham se exhibeat non canalem, & de eo aliis fundat, quod ipsi de plenitudine sua superfluit. Non eum ita zelus domûs Divinæ comedat, ut etiam perdat: an non enim & ipse pars est domus ejus? *Sic ergo zelet Dei domum ut zelet omnino totam.* si zelaverit totam, non negliget, neq; perdet, sed curabit & servabit etiam animam suam. Primò ergo ad zelum accessurus homo, ad animas tãtum zelandas accedat, non autem negotia etiam secularia; *quia nemo militans Deo*, implicat se negotiis secularibus. Non placent mihi illi zelatores animarum qui eo ipso quòd dirigant animas, jam & pascere corpora, & ornare membra, & regere familias, & litibus assistere & patronos agere, & factores esse, de bonis temporalibus disponere, & liberis prospicere non erubescunt. Quid enim zelo, & curis istis? quid negotiis animæ cum difficultatibus istis? *Posuerunt te custodem in vineis nescio qui respectus, vineam verò tuam non custodisti.* Nam tales, rarò perfectos faciunt pænitentes suos, sed solùm ipsi eorum servi fiunt, quia ab eis oblectamenta carnis suæ A interdum accipiunt. Deinde ad zelum accessurus, nolo ut accedas, nisi vocatus à Deo tanquam Aaron aut Samuel *Nam quomodo prædicabunt nisi mittantur.* Sunt enim non rarò, sunt qui zelum Dei habent, qui zelant quodãmodo pro Deo sed non ex Deo. zelant priùs quam ad zelũ exponãtur, zelant quando aliis, quæ cum zelo non stant ab obedientia distinentur: & primo quidem parcè in zelum intrant, nec se occupationi suæ impositæ sibi subducũt: deinde largiùs zelant & occupationi suæ à se satisfieri cum zelo commodè B ostentant, tandem toti in zelum præposterũ rapiuntur, occupationem vel magis obedientiam negligunt, aut perfunctoriè cum damno suo, cum damno multorum, cum fraude & dolore Religionis obeunt, nec moniti aut instructi cessant, sed monitionem aut ab invidia, aut ab zeli inopia proficisci murmurant: zelum suum, laboresq; suos, quos nec Deus, nec obedientia ab eorum manibus requisivit propriæ suæ voluntatis idolo immolant, & inter alios fructus, fractas vires cor- C poris, inutilem ad labores Religionis valetudinem, commoditatum carnis indigentiam & exigentiam, fastidium zeli etiam ordinati ac imperati reportant.

Præterea ad zelum accessurus, vel zelo jam traditus, non plùs, non plures zela, quàm occupatio tua & vita disciplinaq; patitur Religiosa. Zelum qui disciplinam te frangere, aut extra illam te esse jubet, non laudo, non suadeo. Contingere potest necessitas, quæ legem non recipit: fateor, sed ut necessitas in consuetudinem vergat, hoc permittendum D non puto, non laudo zelum toto die à mane ad noctem zelantem, garrientem, concursantem, negotia tractantem, domos obeuntem, non cum aliis surgentem, non cum aliis orantem, non cum aliis ordine suo sacrum dicentem, non cum aliis ad somnum se se conferentem, non congruis horis, Canonicas horas dicentem, concionesue parantem, nunquam legentem pia & profutura propriæ animæ, nunquam legentem docta & profutura scientiæ, nunquam legentem dogmatica, & pro-

& profutura aliorum redargutioni aut doctrinæ. Non laudo zelum qui ita obrutus est, ut vix apud se sit, ut non sciat, quid primùm, quid deinde agat aut egerit: non laudo zelum, qui negotia. alia ex aliis rapit, & omnia imperfecta, omnia inchoata, nunquã finienda relinquit. Uno verbo non laudo zelum, qui totus alienus est, nunquam suus, totus foris, nunquam domi, totus dispersus, nunquam collectus, totus laborans, quiescẽs nunquam. Talis enim zelus, tandem desinet esse zelus, infinitus enim non fuit nec est effluet ergo aliquando totus, & nihil ejus erit, quod effluat, quando hoc erit? tunc quando zelus ille vertetur in sensum & carnem, tunc quando zelus impinget semel iterumq; in suam & Religionis famam, tunc quando zelus ille, judicio superiorum, securè & absq; salutis detrimento zelare non poterit, sed abstinere, sed latere, sed sese colligere jubendus erit, quod necessariò à superioribus faciendum erit, quia alioqui de perfectione, de spiritu, de virtute, de fama, de vocatione & perseverantia zeli actum erit. Cujus rei tota ratio & causa hæc erit, quia talis zelus, sic scilicet effusus & profusus raro se aut nunquam inspiciet, inspiciendive tempus, otium, modum, vires habebit: rarò igitur in sui notitiam veniet, rarò suum statum, suas necessitates animæ & spiritus excutiet: tandem ergo eas nesciet, nescitas negliget, neglectæ illæ crescent, virtutes cessante usu evanescent, vitia non advertenter succrescent, invalescent, radicabuntur: negligetur virtus, spiritus, & anima, regnabit vitium, sensus, & caro. Quid sequitur? illud: cum spiritu cæperint, carne consummabuntur. Hæc qui legit atq; considerat, non zelum, sed zelantem reprehendi sciat, reprehenditur ut corrigatur: scopulus ei ostenditur, ut cautè naviget: tentationis laqueus dissolvitur, ut securus incedat.

Zelatoe ergo nec injussus zelabit, nec plùs quàm jubetur, zelabit, nec aliud quàm animas zelabit, & cũ animabus aliorũ, suam etiam animam, suæ etiam domûs disciplinã zelabit. Zelum deniq; ipsum suum ut sit secundum scientiam, ut patiatur mensuram, ut servet ordinem, ut capiet aliquando quietem, ut instauret sui diminutionem, ut confirmet suam fatigationem, ut solidet suam vivacitatem, ut circumspiciat suam zelando rationem, & utilitatem, ut habere possit perseverantiam.



CONSIDERATIO XX.

Quòd solida virtus eneruetur minimorum contemptu, & sui reputatione sive amore.



ENervatur adhuc solida virtus minimorum contemptu. Minimorum contemptus includit.

1. Observationis Regularum, quæ parvæ & ad substantiam perfectionis non videntur pertinere, neq; culpam gravem involuere, neglectum.

2. Includit neglectum consuetudinum receptarum, esto non præceptarum in Religione ut sunt consuetudines in sumendo cibo, in petendo lecto, in serviendo sacro &c. quæ recepta sunt ut laudabilia, & ea olim in Tirocinio nobis proposita sunt, ut servanda, tamen de eis observandis nulla exstant imperia, & super ea non admodum excubat majorum vigilantia.

2. Includit neglectum consuetudinum bonarum piarum privatarum, & unicuique olim aut placitarum & delectarum, aut etiã servatarum in multis & quotidianis actionibus suis. Quas consuetudines in actionibus servari nemo jubet, nemo prohibet, si tamen serventur, non absq; lucro spiritûs, non absq; profectu virtutis fiunt: si non serventur & spiritûs & virtutis lucra non habentur, & à bene operando desuescitur. Tales sunt v. g. observationes illæ, quas quis surgens è lecto, quas orationem inchoans, quas examen ingrediens, quas studia ingrediens

diens, quas sacrum, horasve dicturus, quas confessiones auditurus, quas domo egressurus &c facere vel solebat, cùm fervebat vel facere posset, si fervere vellet. Hæ reculæ modicæ videntur, si singillatim spectātur, sed si in cumulum omnes colligantur, & quotidiè à devota mente observentur, dici aliter non potest, quàm quòd messem facerent magnam observanti, damnum ingens negligenti.

4. Includit neglectum circumstantiarum & perfectiuncularum minutarum, in operibus quotidianis: quando scilicet tantùm fiunt, ut fiant, ut usui satisfiat, quia fieri mos vel imperium est, serviliter ob pœnæ metum, vel politicè, honestatis naturalis imperio, non ex spiritu & caritate & disciplinæ atque perfectionis amore.

5. Includit neglectum à Deo immissarum inspirationum & instinctuum ad observantias & exercitationem virtutum, fugamve vitiorum qua de re alibi actum est, hic nihil opus est repetere.

6. Includit neglectum minimarum culparū nec culparū solùm sed etiam imperfectionū tantùm, quas ideo committimus, quia parvas putamus, & nihili facimus, neq; earum evitationem, multùm perfectioni obesse consideramus: ut est, ad pulsum campanæ litera imperfecta non obedire, non compositis manibus incedere, &c, res compositas in cubiculo non habere & mundas &c.

7. Includit contemptum minimarum occasionum proficiendi in virtute, se v. g. humiliandi, aliquid patiendi, alicui caritatem exhibendi, pro aliquo officium supplendi, obediendi, se affligendi atq; confundendi, curiositatem sensuum, judicium, voluntatem, amorem proprium vincendi, alios non censurandi, sine causa non loquendi vel aliquid non cognoscendi: quarum rerum assiduæ occasiones sunt in vita communi, sed non perinde sunt assiduæ observationes & aucupationes; vix enim quis ea sentit, quis observat. An utinam non sit, qui etiam ea & ipse observare contemnat, & alium observantem non rideat ridendumve propinet.

8. Includit contemptum minimarum rerum & personarum; non contemptum illū gravem, qui gravis culpa sit, sed leviorem, & magis neglectum vocandum, ut quando rebus, esto non pretiosis non tamen parcimus, non eas servamus, non male jacentes meliùs componimus, & paupertati in minutis non prospicimus, in reliquis candelarum panum, vestium &c. Item quando personarum delectum habemus, nec parem honorē humanitatemve aut obsequium præstamus, parem licet fortè merentibus, sed quia ille notus hic ignotus, ille prodesse posse putatur, hic enim speratur, ille veteranus, hic novus, ille dignitate quadam externa præditus, hic contemptibilis formæ, staturæ, vestis, ille sacerdos, hic coadjutor &c.

A Hoc delectu non laborat perfectus: quia scit minimos curæ esse Deo, & fratres Christi vocari à Christo, & eis præstita sibi imputari à Christo: &c. Immo perfectus ad tales, qui specie abjecta sunt, festinat; illos, ad quos accurrunt omnes, omnibus relinquit, ad hos quos nemo curat, ipse accurrit, *& cum simplicibus sermocinatio eius.*

Horum minimorum cura, non est in vita spirituali minima; immò hæc cura non est nisi cum virtute solida connexa. Habet enim

B difficultatem maximam, nec nisi magnâ virtute superabilem. Difficultas hujus curæ hæc est, quia difficillimè ista curantur, quæ difficillimè sciuntur, & adhuc difficilius scita magni æstimantur, quia ob sui exiguitatem contemptibilia cùm appareant magni æstimari non nisi ab illuminato corde possunt, curari autem, & non negligi, nō nisi à fervente voluntate, & efficaci ac latâ atq; solida virtute prævalent.

Horum ergo minimorum cura, est virtus

C & perfectio maxima, ut non immeritò Sanctus Chrysostomus pronuntiaverit; quòd in minimis sit perfectio; quia revera sine minimis non est perfectio. In hac cura quales simus nos, quàm multa quotidie defectu hujus curæ lucra perdamus, in quantis quotidie defectibus inveniamur, acriter quisque nostrum dispiciat, & omni, quâ meliori ratione poterit, emendationem, hoc est minimorum curam proponat.

Enervatur præterea Virtutis soliditas superbia, & sui quadam reputatione aut amore, atq; appretiatione & complacentia. Quæ

D res plus quàm nota est, nec indiget longa nō dico tractatione, sed etiam consideratione. Perfectus enim longissimè abesse debet à superbia & sui amore. Neq; tamen ullus status est, cui plus cui pertinaciùs, cui dolosiùs insidietur, perniciosiorq; minetur amor sui & superbia, quàm est status perfectorum: adeò, ut nulla sit eis pugna magis gravis, nulla magis timenda, nulla magis scienda, & in usu habenda, atq; cum superbia. Et perfectorum

ctorum quidem esset proprium, ita perfectos esse, ut superbiæ vitium possint non timere, immo ita, ut nullum vitium minùs, quàm superbiæ deberent timere; tamen secùs evenire certum est, & maximum periculum maximé perfectis, ab altitudine diei & à Dæmonio meridiano, hoc est à superbia creari notorium est. Quo in passu nihil post Dei gratiam homini suffragari potest meliùs quàm suimet germana cognitio, & ex cognitione necessariò consequens vera atq; justa sui æstimatio, hujusq; æstimationis perpetua ob oculos suos propositio, & practica ubique ejusdem applicatio, & ad omnes superbiæ, complacentiæ, vanæq; gloriæ motus & assultus objectatio. Quisquis in sui nihili abyssis bene versatus, bene vagatus, bene peritus est. quisquis novit suum esse, esse nō esse, suum posse esse non posse, suum valere esse non valere, suum habere esse non habere, suum sufficere, esse deficere, suum mereri esse non mereri, suum bonum esse malum, suum verum esse falsum, suam feracitatem esse sterilitatem, suum fructum esse peccatū, suam vitam esse mortem, suam beatitudinē esse materiam, suam lucem esse tenebras, suam sapientiam esse stultitiam, suam prudentiam esse errorem, suam sanctitatem esse malitiam, suum honorem esse contemptum suum meritum esse suppliciū, suam laudē esse confusionem, suam possessionem esse, nihil de suo, omnia de alieno esse & habere, omnia alteri debere, totum alienum esse: suam existentiam esse non existere, & ad non existendum continuò tendere atq; ruere, & pondus in præceps ruinamq; suam esse: hæc, inquam, quisquis novit, & in veritate novit is superbire, is se amare & reputare, & appretiare non novit. Similiter quisquis novit Deum, esse fontem sui esse, ex Deo se habere quod habet, posse quod potest, agere quod agit, mereri quod meretur, manere quod manet, cogitare quod cogitat, moveri quod mouetur, velle quod vult, durare quod durat; quisquis novit non solum gratiam & supernaturalia bona gratiæ, esse sibi à Deo, sed etiam naturam ipsam suam, omniaq, naturalia bona, sibi non debita esse sed gratis donata, & proinde ipsam quoque naturam suam sibi esse gratuitam atq; gratiam, quisquis novit se magis Dei esse quàm suū, magis Deo esse quàm sibi imò totaliter Deo, nullatenus sibi nec propter se, magis Deo subesse quam sibi, magis, immo totum ex Deo posse & agere, ex se autem nihil posse nihilq; facere; quisquis novit etiam libertatem suam esse Dei servam, etiam cum liberè aliquid vult, illud liberè magis Dei, pluribus nominibus Dei esse, quàm suum suæq; libertatis, ipsum consensum suū in bonum aliquid, Dei magis quam suum esse, Deoq; deberi non ipsi, etsi non sine ipso

A quisquis novit id, quod bonum aliquid & rectum novit, appetit, eligit, facit, perficit, persequitur, perseverat, quòd occasionem, quòd potestatem, quòd actum ipsum habet; hoc totum ex Deo esse, Dei esse, & magis Deum per hominem, quam hominem per se habere; quisquis novit, quòd bona ei sunt dona Dei, & quòd merita ejus sint gratiæ Dei, & quòd dum merita homini præmiis rependit, dona sua coronet Deus; quisquis novit, quòd ad omne bonum suum, nihil ampliùs afferat homo de suo, quam quòd

B aut impediat Deum, ne illud per ipsum faciat Deus, aut si non impedit ex se tamen aptus est impedire, nisi gratia suâ pondus illud ejus ad impediendum, sublevet & superet, impediatq; Deus; quisquis novit, quòd ad omne bonum suum, nihil de suo afferat homo nisi quod ille sit, aut per quem omne bonum ejus faciat Deus, aut qui cum Deo faciat bonum, non sit ex homine ipso sed ex Deo, detque illi Deus, ut ille cooperetur Deo, & sine illo non facit Deus, det, inquam, non tantùm esse hominis cooperantis, non tantùm

C virtutem cooperandi sed etiam actum ipsum cooperationis, quia omnium istorum est autor primus Deus; Hæc, inquam, quisquis novit, & in veritate novit, & experimentaliter atq; practicè & applicativè novit, is superbire, is se amare, is se reputare & appretiare, non novit. *Quid enim habes ô homo quod non accepisti*, qui & te ipsum, & omne tuum posse accepisti, & insuper ipsam etiam acceptionem accepisti? *Quid ergo gloriaris quasi non acceperis? Quid superbis non dico, terra & cinis*, sed nihil & abyssus nihili? Quid tam

D tuum ô homo, quam tu? sed rursum quid tam non tuum, quam tu, si alicujus es totum id, quod es? An autem totum alicujus sis, quidquid es, nega, & ignora si potes, certè saxa docebunt te confessionem istam, & retundent superbiam tuam, & dicent tibi, *Ipse fecit nos, & non ipsa nos, in ipso vivimus, movemur, & sumus: in ipso omnia constant, sine ipso factum est nihil.*

O duo niduli è quibus nunquam contem-

platio

platio humana evolare debeat? Nihilum meum, & Deus meus. Ex me nihil sum quod sum, ex Deo sum quidquid sum. O quis det in his nidulis mori! ô quis det in hisce abyssis duabus immergi, ætatem perdere, immori! Miseri nos, qui alia omnia discimus, & hæc negligimus, miseri nos, qui dum alia cognoscimus, hæc cognoscere desinimus, & dum in aliis subtiliter speculativè sumus, in his stupidissimè cæcutimus, immò quod majus ac mitius miseriusq; est, etiam dum hæc ipsa subtiliter atq; argutè & solidè de humana insufficiẽtia de gratiæ necessitate, de Deo Prima causa primoq; efficiente indagamus, disputamus, enucleamus, concludimus, penetrativè scimus, ex horum ipsorum cognitione, de horum ipsorum cognitione cæcutimus, hoc est superbimus, & cognitione vilitatis nostræ ad reputationem nostri ex cognitione illa sustollimur, sitq, nobis lux nostra tenebræ, & dies nostra nox nobis efficitur. At non ita magisterium tuum currit ô Deus, neq; in tenebras cognitio tua desinit, cum illam donas, illuminat illa, sed simul & hnmiliat: humiliat; sed simul in se sustollit, ut homo cognoscens se, contemnat & desperet de se, desperando autem de se, convertatur ad sperandum de te, & invocandum te contemnendo se, totus convertitur ad exaltandum in omnibus te, odiendo se, convertitur totus ad amandum te toto se, accusando se convertitur ad confitendum tibi & laudandum te: nihil tribuendo sibi, omnia attribuit, & pro omnibus gratias reddit tibi & sic ad liberalitatem in se provocat te, nihilq; inveniendo apud se, omnia quærit & invenit apud te, & fit dives in omni gratia non de suo sed de tuo, gloriaturq; securus & præsumit, non in se sed in te. Hoc est magisterium tuum Deus, quo nos humiles non facis quia sumus; sed esse nos ostendis nobis ut sciamus & fateamur, & in confusione faciei, in confessione nostri nihili ambulantes, usq; ad te sufficientiam & plenitudinem nostram ascendamus, *& de plenitudine tua accipiamus* Ioan: 1. 16 atq; te solum ex omnibus, pro omnibus, per omnia magnificemus, superbiam ignoremus, tibi fideles simus.

A Ab hoc Magisterio, qui scientiam perfectionis inchoat, ab hoc fundamento qui domum virtutis ædificat, is securè potest erigere quantamlibet fabricam celsitudinis, quia inchoavit à fundamento humilitatis, qui secus ædificat, ruinam ædificat, Babylonem ædificat, infernum ædificat, nec miretur; superbiam enim ædificat, superbia autem cæcitas & ignoratio est, tribuit sibi quod non deberet sibi tribuere, sed Deo, magnificat se in eo, in quo magnificandus erat Deus, complacet sibi, in quo complacendum erat Deo,
B proprium suum facit quod est proprium Deo, aut saltem commune illi cum Deo, minus autem illi quàm Deo. Inde superbia statim mendax est, statim & furax, rapax, & injusta, rapit enim sibi quod est Dei, mentitur suum quod est Dei, insuper blasphema est, quia negat Dei esse quod est Dei: negat autem, quia sibi appropriat. Deniq; in Idololatriæ malitiam degenerat, quia complacet sibi in se, quod facere debuit in Deo, facit se fontem sui esse, quod est proprium Deo
C immolat sibi laudem & gloriam, quæ est propria victima soli Deo. Hæc est malitia superbiæ, ob quam non immeritò nihil illi potest esse commercij cum Deo, & cum omni Dei servo.

Hæc meditare serve Dei, in his esto, quia hic sapientia est, quam qui ignorat, superbus est: si superbus est, jam quo ultrà pereat, non habet; quia perditione ipsa pejor superbia est, mater namq; perditionis est.



CONSIDERATIO XXI.

Quòd virtus solida enervetur tentationibus & neglectu utendi virtute.



Ui perfectus est, necesse est ut eum tentatio probet. *Virtus enim in infirmitate perficitur*: dum enim tentatur, A quodammodo ad infirmitatem deducitur, cui dum resistit, exercetur: exercendo habituatur, atq; ita roboratur. & sic perficitur, sicut ferrum, dum igni injicitur, mollius efficitur, sed tamen ab igne exemptum & malleo percussum induratur & rubigine privatur. Quo ex capite Venerab: Beda pronuntiavit; quòd *Catholica Ecclesia magìs magisq; roborata est, non resistendo sed perferendo*, B tentationes nimirum & furores hostium tam invisibilium quàm visibilium. Sed quid ad hoc dicimus, quòd tentatio non tam videatur perfectionem virtutis quærere, quàm eversionem? quis enim tentat, ut ei prosit quem tentat, non potiùs ut noceat? Nihilominùs verum est quòd tentatio virtutem solidet. Vexat discipulum Magister, & scientiam ejus ventilat, non ut discipulus nesciat, sed ut meliùs sciat quia *vexatio dat in ellectum auditui*. C Tentat militem imperator & periculis exponit, ac laboribus fatigat non ut eum perdat, sed ut robustum ac fortem efficiat. Sic etiam Deus permittendo à Diabolo nos tentari, non quærit ut cadamus, sed ut pugnemus, pugnando vincamus, vincendo coronemur & triumphemus. Evertit quidem aliquando tentatio virtutẽ, quia sicut idem ignis liquat ceram, durat lutum; purgat aurum, comburit paleam, D ita tentatio quosdam exurit, quosdam puriores reddit; quosdam solvit qui amittunt sustinentiam, quosdam durat, qui fructum afferunt in patientia; evertit inquam, aliquando virtutem tentatio, sed non propterea, ut non fuisse vera solidave virtus probaretur, vel ut si fuit vera & collapsa, de novo & quidem firmiùs restauraretur. *Vir enim fugiens iterum pugnabit*, & semel lapsus cautiùs incedet, semelq; deceptus prudentiùs credet. Cytharam ajunt confractam in minuta licet frusta, iterum autem instauratam, solidiorem reddi & magis sonoram: sic anima tentatione esto prostrata sed aliquando tamen restaurata, fortior redditur, in humilitate solidatur in caritate augetur, *cui enim plus dimittitur, plus diligit*. Quantus surrexit post lapsũ David? quanta Magdalena? quantus Petrus aut Paulus? nonne testudines restauratæ dulciùs sonuerunt. Neq; tamen ideo tantum succumbendum est, ut dulciùs aut fortius sones: non enim facienda sunt mala, ut eveniant bona, sed si succubuisti, da operam ut fortior surgas, cautiùs vivas, robustior pugnes,& fias quasi David post offensam.

Habent tamen aliud adhuc periculum tentationes, quia etsi non evertant, retardant tamen & infrigidãt virtutem: ita *ut non faciat cum tentatione proventum*, quem ut faceret, à Deo erant permissæ vel solent permitti Sicut enim frigida aqua calidæ superinfusa, eã infrigidat, ita tentatio animæ virtutiq; ferventi adveniens eam refrigerat. Quanti enim modò ferventes, tentatione adveniente, ferveris obliviscuntur & languent! quid ferventiùs Petro in hortum pergente cum Christo? quid illo frigidius cui dicitur; *Simon dormis? non potuisti unâ horâ vigilare mecum*? Quid ferventiùs illo qui dicebat: *Ego dixi in abundantiâ meâ non movebor in æternum*? Quid eodem frigidiùs qui mox dixit: *Avertisti manum tuam, & factus sum conturbatus*? Ob quod oportet semper esse paratum ad pugnandum & servandum illud sapientis; *Sta in timore & præpara animam tuam ad tentationem*. Impossibile enim est non tentari in hoc mundo, & impossibile est aut non vinci tentatione, aut eâ superiorem non fieri. Tentaberis: pugnabis: igitur aut succumbes, aut pervinces non succumbes nisi ipse volens, nisi negligẽs,

nisi

nisi te negligẽs, nisi te tentationi tradens; nõ vinces etiam nisi gratia Dei adjutus, & voluntate bona præditus. Gratia tibi nunquã deerit, modò tu illi nunquam desis; *& fidelis est Deus qui non permittet, te unquam tentari supra id quod potes.*

Sciendum verò est, variè infringi fervorem virtutis tentatione. 1. Metu tentationis, quem metum metuens Deus Israeli ex Ægypto egresso, noluit illum rectâ paucorũ dierum via ducere in Palæstinam, ne Israel videns adversum se plurimarum fortissimarum gentium bella consurgere, metu illorũ rediret in Ægyptum, ob quod per desertum, illum circumduxit 40 annis, ut sensim eum & cultui suo assuefaceret, & paulatim atque per partes, gentes illas deleret. Ita Deus provide non finit nos in servitio suo graviter tẽtari, sed dispensat tentationes secundùm tempora, secundùm vires, secundùm quod nobis magis expedire noverit, & sibi placere voluerit. 2. modo tentatio fervorem reprimit virtutis, non jam metu sed experientia sui; expertus enim quis tentationes & earum vires, lentior & segnior efficitur in operibus virtutis. Irrisus semel, vexatus, cõtemptus, confusus, vel aliter probatus, fugit deinde esse observans disciplinæ, ob quàm ab aliis irrisum se meminit & vexatum. Quid huic factum est? Tentatio fervorem virtutis infregit, atq; hoc contingit etiam victoribus tentationum qui vincunt quidem tentationem semel vel quoties se offert, nolunt tamen illam sibi offerri, nolunt ejus offerendæ occasionem dare, nolunt crabrones irritare, eligunt magis sine pugna pacatè vivere, quàm pugnando vincere & triumphare. Sed hi in professionem suam peccant, quia milites se profitentur & pugnam detrectant. Deinde isti dum tentationem vitant eáq; carere volunt, jam hoc ipso tentantur, pax enim illa, quam amant, periculosior est bello quod horrent. illam enim pacem volunt ut securi sint; quod in hac vita non licet, quod in hac vita periculosissimum est, non est enim hic tempus securitatis sed cautelæ, quia non est locus pacis, sed pugnæ. Isti ergo aquam in igne quærunt, pacem in tentationum regno. Præstat inter hostes viventem semper arma & pugnas meditari, quam pacem somniare, quia etsi tu pacem fortè desideras, sed hostis tuus in tuam perniciem vigilat, faciliùs autem te perdet, pacis consilia meditantem & securè agentem, quàm omnia suspecta habentem, semper excubantem, semper gladio accinctum, galeâ munitum, scuto tectum, hostem exspectantem. 3. Modo infringit tentatio fervorem virtutis, molestiâ certaminis, aut potiùs inscitiâ pugnantis. Sciendum namq; est tentatorem nostrum sæpe nos tentare, non ut speret & ad peccatum inducat, quia hoc in A perfectis plerumq; desperat; sed ut oppugnet oppugnando inquietet & melioribus studiis, quibus nos deditos vel dedendos novit, tentationis abigendæ cura divertat. Utroque igitur modo virtutem retundit, inquietando nempe & occupando mentem. Et assequitur utrumq; hoc improbus tentator, si non sit cautus virtutis suæ propugnator. Nam si voluerit tentationi ita resistere ut cum eâ velit cominus congredi, ejus omnia initia occasiones, vices, gradus, momenta observare, ad singula scrupulosè objecta scrupulosiùs respondere, omnia distinctiùs nosse B semper expressè, distinctè explicitè consensum negare, neglectis aliis rebus ad obsistendum, tentationi toto virium suarum & vigiliarum exercitu occurrere: talem, qui sic pugnat & tentationi resistit, necesse est & inquietissimum reddi, & à melioribus studiis occupationibusq; avelli, & insuper umbris suspicionibus, perplexitatibus, dubiis, formidinibus, scrupulis, scopulisq; innumeris, ac quotidie pluribus involvi. vires præterea corporis frangi, sanguinem aduri & corrumpi, C spiritus exhauriri, cor emarcescere imaginativam & judicativam vim lædi, totum denique hominem tentatum phanaticum, carnalibus, infidelibus, blasphemis, cogitationibus agitari ac impleri, prope insanum pene illusum, vix non obsessum, planè & plenè ad omnia inutilem, exosum, ridiculũ, gravem effici. Ad quos scopulos etsi non omnes, devenire certum est, devenire tamen non paucos, etiam certum est, omnes autẽ qui illa prædicta ratione cum tentationibus depugnant, eamq; plùs minùs sectantur, certum D quoq; est, his duobus se primùm quidẽ damnis prioribus involvere, inquietudinis nempe & à melioribus avocationis, deinde illis sequentibus periculis plùs, minusve non procul abesse. Et tamen in spirituali vita, inter spirituales homines, vix reperire est aliam tentationibus resistendi rationem ab ista: quam ut ob utentium frequentiam atq; authoritatem non damno, ita ob suprà dicta incommoda non laudo. E qua illud etiam eminet

minet incommodi, quòd cum sit illa via resistendi adeo tum difficilis, tum inquietuosa, tum bonorum meliorum impeditiva, tum etiam ad illa alia mala viam veluti insternens; non pauci id videntes in aliis, & metuentes in se experiri, eligunt potiùs laxè vivere, de tentationibus parvam curam agere, neglectim spiritualia tractare: ne si velint id diligenter facere, cogantur à tentationibus omnia illa incommoda subire, vel illa subeundi periculo se se exponere. Quod incommodum sanè grande est, & vitandum Deoq; odibile, quia detrahuntur per illud homines sacrificio Domini, & multi qui possent, & alioqui vellent, non curant esse perfecti.

Quid igitur cum tentationibus faciendum est, ne aut molestæ sint, aut nos ob optimis studiis actionibusq; longè magis in Deum animam transferentibus atq; corda unientibus avellant? Obsistendum illis est, & quidem si fieri potest in ipso earum primo initio, obsistendum non illa prædicta ignoranti diligentia, sed alia quadam diligenter vigilanti negligentia, dissimulatione, contemptu, ignoratione, & ad res quæ bonæ in manibus sunt, & à mente tractantur, attentione, mentisq; applicatione; ita ut his velut immersi, tentamenta diaboli vel non advertamus, vel certè ac si non adverteremus, ea prætereamus, nostras res agere pergamus, linguam tentationum tanquam nobis peregrinam non intelligamus, ipsum deniq; sensum & motum inferioris nostræ portionis, perinde ac si alibi & non in nobis esset, dissimulemus & hanc dissimulationem tam diu tamq; obstinatè teneamus, donec ad alia animo distracti, tentationis apprehensionem & memoriam non habeamus, aut certè Diabolus tædio victus tentationi supersedeat, nosq; quietos interea vel ad tẽpus relinquat. Idq; servandum est, etiam tunc, immò maximè tunc, quando tentatio maximè fervet, furit, se se objectat, viscera etiam ipsa, & imaginationem oberrat, memoriæ se se obtrudit, & quodãmodo nũc hinc, nũc illinc assistit & assilit, tunc, inquam, ad tentationẽ maximè clamantem, maximè surdescamus, maximè linguã ejus cognoscamus, advertere nos dissimulemus, nullo, quantum fieri potest, signo molestiam & advertentiam ostendamus, sed ac si extra nos esset negotium, ita contemptum hostem eludamus. Neq; tamẽ hoc periculum aut non resistendi aut consentiendi, aut tardè resistendi metuamus: quia nemo meliùs resistit diabolo, quàm qui neq; ad congressum illum admittit, sive respondere dignatur, nemo minùs consentit, quàm qui neq; colloqui cum Diabolo, nec quid sibi velit, nosse advertereve dignatur, nemo citiùs resistit, quàm is, qui primos etiam hostis assultus frangit: quod facit qui illos con-

A temptu expedit, & neq; animadversione dignatur, is enim neq; ad suggestionem plenè faciendam, diabolum admittit, primum autem tentationis opus est suggestio, secundũ delectatio, tertium consensus, ex quibus duo postrema in anima sunt, quando sunt, & cõsensus quidem peccatum est, delectatio peccatum non semper est, nisi quando morosa, vel cum consensu est, at suggestio tota extra animam est, licet ad animam fiat, quàm citò ergo putandus est is tentationi resistere, qui etiam suggestionem non admittit, facilè

B quisque cognoscit. Atq; ita omni tentationis generi securissimè & fortissimè resistitur, quando contemptu supra explicato resistitur. Sic quando resistitur, nec anima molestiam patitur, ab importunitate & assiduitate tentationis, quia illam non curat, neq; à melioribus studiis tentatione avertitur, quia ab illis non tantum non avocatur, sed etiam ad illa occasione tentationis, magis advertitur & applicatur. immo per ipsam illam applicationem, diaboli vis, & tentationum omnis violentia statim in ipsa prima suggestio-

C ne frangitur, ut veluti ex glacie factus gladius objectu contemptus clypei dissilit & eliditur, immo eluditur. Sic quando resistitur, omnis tentationum instantia, omnis passionum vehementia, nullo labore, nullo periculo sustinetur & vincitur. Neq; aliam quisquam inveniet rationem resistendi (post divinam gratiam, cælesteq; auxilium, quod hic semper supponimus) meliorem, id est securiorem ac faciliorem, quàm istam jam modò explicatam. Quæ in omnibus quidem

D tentationibus locum habet, sed præcipuè in tentationibus molestis (ut sunt vindictæ ac recenter ferventis libidinis, contra fidem blasphemæ, suspiciosæ, contra vocationem, tepidæ, scrupulosæ &c.) ea si adhibita non fuerit, nulla humana industria proderit.

Hujus doctrinæ de resistendo tentationibus jam prædictæ, illa causa est atq; fundamentum, ex natura intellectus nostri virtutisq; animadvertentis, seu reflexivæ, ad objecta proposita sibi desumpta. Etsi enim in-

telle-

tellectûs nostri ea ratio, ut ad duas res nullo modo plenè advertere possit, seseq; convertere, & eis inhærere atq; occupari. Potest quidem intellectus uni rei se applicare,& interim dum uni est applicatus, aliam objectã sibi percipere, sed si se ad illam novè objectã voluerit etiam converrere, à priore illâ advertendâ necessariò se debebit avellere. Quando igitur tentationem diabolus obijcere vult, tum vel otiosam mentem quærit, & ei inventæ tentationis objectum proponit: à quo objecto si mẽs statim se ad aliud quidpiam contuendum non avertit, necessariò ad tentationem advertit, & jam suggestionẽ excipit, delectationisq; opus succedit, cui si non resistit, consensus in foribus & peccatum est. Si autem sese mens à tentatione tentata statim ad aliud quidpiam disparatũ à tentatione converterit, & ei se adverterit otiumq; excusserit, necessariò tentationi renuntiabit, & ad eam non tantùm non advertet, sed nec advertere poterit: consequenter neq; eâ delectari, aut in eam consentire. Vel cetè occupatam aliis rebus ac studiis invadit, & suam ei tentationem pro eis substituit, & tunc si se mens non custodit, sed primis suis occupationibus desertis ad tentationem se convertit, jam suggestionem habet & tenet, quia tentationem jam cernit & advertit: quam nisi ruperit, delectationi locum dabit, cum delectatione periculosa pugna est, & facilis consensus; ut ergo non facile consentiat,delectationi fores claudat,ut claudat adversionem impediat, ut impediat, se se ad prima illa objecta, in quibus deprehensa est, vel ad alia similia, à tentatione diversa convertat,& ad tentationem nec quidem advertat, sed eam contemptu & neglectu autori suo relinquat. Quod si mens cauta diabolum spernit, & suis intenta est; labor nullus, victoria plena est.

Ex quo patet, quanti refert hanc advertẽtiam mentis nostræ illico à tentatione ad aliud diversum objectum transferre, atque tentationi illam subducere. Patet etiam quam periculosum sit mentem otiosam habere, ut non sine causa dictum sit: Otium pulvinar diaboli,& otia dant vitia,& in desideriis est omnis anima otiosa &c. Patet insuper, quàm efficax est iste modus resistendi tentationibus, & quàm in ipsâ naturâ intellectûs nostri fundatus. Quòd adhuc validiùs confirmari potest ex eo. Omnis tentatio peragitur suggestione, delectatione, cõsensu, hoc quidem ordine: primùm suggestio menti, obijcit aliquid peccaminosum seu malum: mens illud objectum habens propositum, cognoscit, cognitum advertit esse tale vel tale, bonum, malum, delectabile &c. Si tamen hæc advertentia non statim peragitur ab illa cognitione ita ut nihil sit, ab ea divisa, quidquid tamen sit,advertentia illa provocat delectationem sive concupi-
A scentiam, ut vocat S. Iacobus. Delectatio expenditur adversione alia, & quodammodo deliberatione circa objectum, sitne scilicet acceptandum cum sit delectabile, an reijciendum cum sit illicitum & turpè, post deliberationem acceptatur à voluntate & fit cõsensus, & quia fit contra rationem (illicitũ enim & turpe, ratio reprobat) consensus ille est peccatum. Hic in objectione tentationis non est peccatum; in cognitione ejusdem primâ, simpliciq; non est peccatum, in
B advertentia ejusdem quod sit talis, nondum est peccatum: in delectatione concupiscentiaq; motâ ex objecto seu tentatione delectabili & concupiscibili, adhuc non est peccatum, (nisi jam sit collusio voluntatis. In advertentia quod obiectum sit delectabile ex una, illicitum ex alia parte, ut in deliberatione sitne acceptandum, quæ antecedit consensum, nondum etiam est peccatum, at si voluntas pro illicito magis est contra delectabile, & negat consensum; vincit. Si verò pro delectabili magis est contra illicitum
C (quod idem est ac contra rationem, legem &c.) consentit, & peccavit, captaq; est. Hic videmus quàm longè sit advertentia illa cognitioq; tentationis ab obiecto propositæ & à consensu qui etiam ipsam delectationẽ & delectationis advertentiam antecedit. Videmus igitur etiam necessariò, quàm sit iste, (de quo loquimur) tentationibus resistendi modus securus, & à peccato remotus, qui illam ipsam advertentiam, tam a consensu remotam, non dico non admittit,sed admissam statim impedit, statim deserit, & alia ad
D aliud obiectum adversione excludit.

Quærat aliquis, cur tandem velim tentationibus resisti, negando, adversionem illam etiam quæ præcedit delectationem, cùm tam sit a peccato, hoc est à consensu remota? Respondeo inprimis, diabolum iisdem esse petendum artibus, quibus petit. Tentat ille hominis mentem avocando à bonis ad mala, hoc est curando, ut non attendat bonis, advertat verò se ad mala; ideo repel-

repellendus est etiam sic, ut hominis mens attendendo ad bona, non attendat ad mala. Deinde respondeo causam esse hanc, quia *qui amat periculum peribit in illo* Anima nostra est veluti stuppa sicca, fomitem peccati insuper in visceribus habens, minima delectatione succendendum si se offerat. Tentatio ignis est suggestio scintilla, cognitio tentationis, est stuppa quædam, incensio an illuminatio? qui vult judicet, si post cognitionem & adversionem tentationis quòd sit tentatio, succedat delectatio, quid aliud speretur, nisi stuppæ accensio & conflagratio hoc est voluntatis & animæ ad peccacatum per delectationem inclinatio? Ne igitur delectatio consensum provocet, delectatio impedienda est ne in mente nascatur; nō nascetur, si advertentia præpediatur: præpeditur, quando mens ad alia convertitur, & contempta atq; dissimulata, flaccescere atq; languescere finitur.

Quærat aliquis adhuc, ad quæ tandem & qualia objecta sit mens convertenda, cum tentari se suggestione sentit? Respondeo Primùm quidem ad invocationem auxilij Divini & Sanctorum, tacitam & devotam. Deinde vel ad id, quod habet homo in manibus tunc cùm tentatur, vel ad timorem Dei, timorem pœnæ æternæ, timorem judicij divini, vel ad amorem & vulnera Christi, ad amorem Beatæ Virginis, ad amorem virtutis, ad suum statum, & ad similia, in quibus homo liber est suiq; juris, modò mala sint, quæ tunc cogitet, aut saltē non mala, tunc enim etiam ad indifferentia advertere indifferens non est, quia id fit, ut tentatio explodatur, dummodò hæc cogitatio talis sit, ut attentionem ad tentationem impedire possit.

Hæc opinor non otiosè, neq; infructuosè, etsi præter intentionem meam hujusq; tractationis finem & naturam, dicta sunt, & ut minimum ad hoc proderunt, ut solidis viris solidi securiq; modi, cum tentationibus suis pugnandi proponantur, placebit alicui non uti, libertate fruatur, hac in re sua, ego neminem sententiis meis in servitutem redigo.
A Quanquam hæc quæ attuli, mea dicere non possum, cum & in probatis scriptoribus reperiri sciam, & experientia Magistra id cōmendatum in multis habeam, & hic nihil de meo, præter verba & explicandi conatum exhibeam. Redeo tandem ad propositum.

Enervari virtutem etiam neglectu atque non usu virtutis certum est, nec probandum multis. Aqua immota putrescit. Instrumenta etiam ferrea, si in usu non sint, rubiginē
B contrahunt. Otiosa virtus mortua est. Agere oportet, qui vult virtutem sive habere, sive solidare. Est autem otiosa virtus, non solùm quando prorsus nihil & nunquam agit, sed etiam quando vel agere differt, vel agit, perfunctoriè. Virtutis verbum est hodie, cras non novit dicere, Virtutis verbū est, nunc cœpi. Virtuti dicitur: festina, accelera. Si non festinat, tardat: si tardat, negli-
C git: & quomodo non etiam otiosa est? immo verò est etiam maledicta, *maledictus enim qui facit opus Dei negligenter.* Sed de hoc puncto plura etiam dicta sunt superiùs. Quando de usu virtutum agimus non negligendo, non est opus verbis, sed ipso usu Utamur ergo virtutibus, hoc est enim opus nostrum & opus virtutis nostræ.



DIES

D I E S VIII.

De rationibus & causis solidandæ virtutis recensentur sexdecem causæ seu stimuli.

CONSIDERATIO XXII.

Stimuli solidæ & solidandæ virtutis.

Asuas etiam suadentes nobis & excitantes nos ad solidandam virtutem, adducere atq; expendere operæ pretium est. Etsi enim ea res cuiq; obvia est & superiùs alia occasione nonnulla dicta sunt, quæ ad hoc propositum faciunt Complementi tamen causa nihil oberit, hoc loco etiam aliquid saltem attingere, exaggerare enim facilitas materiæ non sinet.

1. Urget nos ad solidandam virtutem inprimis. Exiguitas, teneritudo. & paruitas paucitasq; virtutum quas habemus, quam quidem nobis conscientia nostra facilè ob oculos ponet, si quotidianas imperfectiones proponet. Has igitur inspiciamus, paucas & parvas virtutes inesse nobis credamus, de ijsdem augendis & augmentandis concludamus.

2. Urget nos etiam ad id ipsum fragilitas & inconstantia virtutis. Maximæ quæque columnæ cœli ceciderunt & confractæ sunt, quid nisi nos timeamus nostro vitro ne frangatur? solidetur ne frangatur. quam diu hic vivimus peccare possumus, & parum est causæ ut nos quotidiè solidemus?

3. Urget nos ad istud ipsum virtutum solidandarum studium, temporis ad hoc studium apti brevitas Tempus breve est totum, sed bene, sed perfectè vivendo brevissimum; nisi cauti simus, nisi scilicet semper perfectè vivere, perfectè omnia facere conabimur. Redime tempus, quisquis es amator virtutis.

4 Urget nos ad id ipsum, multitudo meliorum seu solidiùs Deo servientium, quanti sunt, qui nobis in Religione posteriores, nō ita instructi præsidiis naturæ, doctrinæ, gratiæ, non in tam disciplinata familia, carentes tot præsidiis, tot stimulis, curis, occasionibus, exemplis, perfectiores tamen sunt! Ij ipsi quorum in spiritu Duces sumus, quàm multi prævolant nos! festinemus vel sequi, si prævenire tardavimus.

5. Urget nos ad id ipsum, paucitas minimorum, quæ comparavimus pro vita ordinatâ, & quidem non nisi per nostram socordiam, quam tandem excutere, tempus, ætas,
A ratio, Deus, conscientia, vocatio, monent, jubent.

6. Urget nos ad id ipsum mors instans, & fortè ex insidiis sed propinquis nos captās. Quid in morte facere velles, id jam facito, quia forte jam in morte es. O quantum solatium morienti fervens vita! Hoc solatium qui tibi optas, cur fervorem non procuras?

7. Urget nos ad id ipsum tanta spiritûs scientia, tantumq; lumen in divinis: quod
B quid prodest, si non lucet? & si lucet, quid prodest, si non etiam ardet? Prô! quanti indocti surgunt & rapiunt perfectionem, nos autem in lumine nostro & cæci sumus, & testudine tardiùs pergimus, assamq; ut columbam ore hiante, sic cœlū captamus! Et quid respondebimus Christo? vel quàm durum erit audire ab ipso: Et tu nō potuisti pervenire quò iste? tantum meâ divinitate frui nūc
C quantum iste? tantùm meæ vitæ assimilari, quantum iste? O quàm durum erit audire, quando dicetur alteri: *Amice ascende superiùs. mihi autem*: *descende, da huic locum*, quàm durum erit videre, *cum ecce multi venient ab oriente pueritiæ, & occidente tardæ in senecta conversionis*, (qui tamen expleverint tēpora multa) *& recumbent cum Abraham, & parem mercedem accipient his, qui portaverunt pondus diei & æstus*.

D 8. Urget nos ad id ipsum ætas, Iuvenis & robustus es? ergo fervere debes quandoquidem fervet ætas, & serviunt anni, nam in senio fractæ vires magis de corpore quàm de animo solicitabuntur. Senuisti? igitur quanto propiorem finem vides, tanto te urge am-

ge ampliùs. Non ſeneſcit virtus, fides non computatur annis. Fervor ſemper juvenis eſt & ideo in fine ne corrumpas: In fine motus velocior.

9. Urget nos ad id ipſum tanta ſtimulorum gratiæ efficacia atq; perpetuitas. Hic ſe quiſq; inſpiciat ex perfectis. Durum certè cor eſſe debet illud, quod ad ſtimulos tantos tam aſſiduos, tam potens, tam congruos, nihil velociùs currit: an fortè occaluit, & jam ſentire deſuevit? ô abſit. *Videte ergo ne in vacuum gratiam Dei accipiatis*, ſed curate ut poſſitis dicere: *Gratia Dei nulla in me vacua fuit.*

10. Urget nos ad id ipſum ratio reddenda, non dico jam peccatorũ non dico vitiorum (careamus his, licet per me) ſed virtutum non perfectarum ſed gratiarum non effectarum, ſed inſpirationum & invitationum non auditarum, ſed occaſionum neglectarum, & otiosè dimiſſarum, ſed exemplorum propoſitorum & non ſecutorum.

11. Urget nos ad id ipſum illa noſtra tantæ propoſitorum, & deſignationum & reſolutionum multitudo, quæ omnis penè omnis in caſſum cecidit, in chartis tantùm noſtra ſcripta perfectio fuit, in operibus, in cordibus ulla vix fuit. Et quis dicet? quis ſine pudore cogitabit, quantis nugis impediti, quantis ineptiis leviculiſq; rebus ac rationibus dererriti fuerimus dejectiq; à propoſitorum conſtantia! Revoca quiſquis es, hæc tibi in mentem, quæ dico; & in nullo mihi crede, ſi in hoc fallo. Propter ictum oculi alieni, propter motum labii alieni facti ſumus quàm ſæpè deſertores fermè omnis noſtri propoſiti!

12. Urget nos ad id ipſum pudor ille dolorq; æternus, quem tepidi ſi non habent, habere certè digni ſunt, & haberent, ſi poſſent, in cœlo. Et quid ni haberent, quando videbunt, quantum boni cœleſtis in æternũ lucrati fuiſſent, ſi tantillo conatu teporem vivendi & agendi excuſſiſſent? quo interim bono carebunt in æternum, aliis innumeris ſuis ſodalibus eo fruentibus ob fervorem ſtrenuum.

13 Urget nos ad id ipſum periculum amittendarum gratiarum tam copioſarum, & forſitan etiam univerſarum: neq; enim hoc novum tepidis evenire & non ferventibus apud Deum. An non Apoſtolus ille erat, cui Chriſtus dixit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum in æternum?* Ioan. 13. 8. Et tamen ipſomet Chriſto teſte, non indigebat ille niſi pedes lavari. Ergo ob nolle ſibi pedes lavari, merebatur parte cum Chriſto in æternum privari. Quis crederet, ſi veritati non crederet? Et tu ergo time ne audias, immo ne ſentias ſimiliter. Excute torporem, excita fervorem, lava etiam pedes etiam digitos, etiam ungues extremos, ut A nihil ſit in te, quod ſponſo diſpliceat in te, nam non eſt parvum, quod ad ſponſi non admittit complexum, immo & conſpectum.

14 Urget nos ad id ipſum, ſuppletio præteritorum damnorum, per vitæ ſuperioris negligentias contractorum (taceo per peccata gravia incurſorum) quantas nos actiones ſine fructu egimus hactenùs! quantas actiones in ſe ſanctas, nos imperfectè fecimus, & noſtris imperfectionibus inquinavimus ſi non inutiles reddidimus! Quot meditationes diurnas (E. G. dictum ſit) nos in deb itâ B diligentia perfectioneq; fecimus? quoties imperfectè præparati ad Sacram Communionẽ Miſſamve acceſſimus? mitto alia & quanta hic damna ſpiritûs ac meritorum & gratiæ! & nunquid non competens eſſet, ſupplendi rationem inire & ſarciendi? Suppleri poſset fervore ſi non pigeret nos ipſius fervoris damna priùs fervore ſupplere.

15. Urget eos ad id ipſum ipſamet Virtus ſolida. Si non ſolida eſt, hoc certè exigit, ut impigra ſit ut nihil negligat, ut ſuo inge- C nio indulgeat, ut ſuis alimentis paſcatur. Adolevit enim fervore, nutriatur fervore, ſaginatur fervore, impugnetur fervòre, quia etiam coronanda eſt caritatis conſummatæ fervore, Ne ergo naturæ ſuæ obliviſcatur, ferveat: ne marceſcat & langueſcat: ut facilè ad coronã Iuſtitiæ perveniat, & parum illi ex hac vita, vel nihil deſit ad coronidem ſuam, ferveat: tota ejus cum ſit, tota cogitatio, tota occupato, ut ferveat.

16. Urget nos ad id ipſum natura cordis ſeu mentis noſtræ, quæ talis eſt ut tepore & D ceſſatione à bono jugiter magis magiſq; anguſtetur & ad recipiendas Divinas gratias (ſine quibus nihil poteſt noſtra infirmitas) aſſiduò magis arcta incapaxq; reddatur. Poteſt ergo evenire cordis noſtri vaſi, ut ita arctetur & anguſtetur, ut neq; guttam, neq; micam, neq; atomum gratiæ, aptum ſit recipere, radiolumvè inſpirationis divinæ perſentiſcere prævaleat. Et quæ poteſt eſſe major cordis miſeria, quàm ſi illud ſubingredi non poſſit Dei gratia? Væ animæ, in qua Chri-

ſtus non poteſt ullas virtutes operari. *Operemur ergo dum lucem habemus, ne nos tenebræ comprehendant*, ne veniat tempus, in quo & cor noſtrum non poſſit operari, & Deus in corde non poſſit virtutem ullam facere. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*, ad Deum, ad proximum ad nos, ad omnem creaturam, ut creſcamus in viros perfectos, in vaſa auri ſolida *in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*



DIES IX.

De Signis Solidæ Virtutis.

CONSIDERATIO XXIII.

Quænam ſigna ſolidæ virtutis ſint.



AD coronidem tandem deduximus ſolidam virtutem. Signa ejus exponimus; ut qui ſigna viderit ejus in ſe, gratuletur illam ſibi ineſſe meminerit tamen *ut in Domino glorietur*, ne ſit ad inſipientiam ſibi: qui verò minùs ea in ſe deprehenderit, curet omni meliori modo, ut ea tandem in caſtello animæ ſuæ collocet ut & ipſe de eorum præſentia apud ſe, nonminùs gaudere, quàm ſecurus *in idipſum dormire ſub alis Domini Virtutum poſſit*. Et eſt quidem Virtus ſolida, ipſa ſibi ſignum ſatis evidens: neq; enim ſe occultare poteſt ſibi, ſed tamen habet & alia ſigna, per quæ cognoſci poſſit, etiam ab aliis, alioqui ipſi de ſeſe teſtimonium perhibenti non credituris.

1. eſt ſignum difficultas pravè & imperfectè agendi, facilitas autem & veluti naturalis (per virtutis exercitium atq; uſum parta) rectè, ſanctè, ſublimiter agendi vivendique facultas. Ita ut homo ſit ſibi obſequens & facilis ad omnia neq; in ſe gravem aut periculoſam ſentiat ſpiritui obſequentem, conſentientem, & quodammodo collaborantem ad hoc enim adjutorium iſtud terrenum ſpiritui noſtro dictum eſt ab initio, ni eſſet inſtrumentum virtutis; ſed ex peccato factum eſt impedimentum. Iam ergo ſi reformetur, & iterum inſtrumenti officium obire amet, in ſuum ſtatum priſtinum, reductum eſſe nemo dubitet, atq; in hoc ſigno, continetur etiam paſſionum quies & ſubjectio, ut non niſi ſint ad rationem, non verò contra illam: in hoc ſigno continetur etiam propenſionum inſtabilitas, ut non proripiant neq; præcipitent ſe, mentemve ſecum, ſed ejus imperiũ A atq; conſilium exſpectent. Multò autem magis hic continetur etiam gulæ, (& quæ gulam conſequuntur, additamentorum Leviathan) conſopitio, & quaſi infractio, ut non neceſſe ſit homini beſtias illas ut efferatas horrere, ſed ut mitigatas cohibere.

2. Signum eſt puritas cordis (atq; etiam conſequenter corporis) quâ niteat cor in conſpectu Dei, tanquam vas auri mundum ſoli- B dũq; & artificis manu diligẽter elaboratum. Non ſordeat peccatis gravibus non venialibus, non voluntariis, non per negligentiam ſubrepentibus, vix diligentiam effugientibus & vigilias animæ excubantis vincentibus. Non horreat vitiis nec vitioſis ſeu habitibus pravis, non propendeat in malum gravius, non agitetur paſſionibus, non fuligine aut caligine obſcuretur concupiſcentiæ & phantaſmatum, ſed ſedata & defecata mens, velut ſudo cœlo ſol, ſic reſplendeat in rationali C ſuo cœlo, reſplendeat intentione ſublimata, Divinæ præſentiæ jugi conſpectu, inviolata cum Dei voluntate in omnibus conformatione, deniq; humilitate & caritate, cogitationibus non ſolùm puris & ſanctis, ſed etiam ſublimibus & altis rationibusque æternis. In hac puritate cordis includo etiam ſimplicitatem mentis atq; bonitatem, quâ homo ſpiritualis omnia intuetur & recipit prout ſunt ſine doli ſuſpicione qua item nec

nec timet decipi, nec decipit, quà loquitur ut res ſunt. Eſt, eſt: non, non. Includo etiam illæſibilitatem quandam, homo perfectus, nec lædere novit, nec læſus. Sentit, ſed læſionem ſui ac ſi omnia ad mentem eſſent dicta factave ſibi, accipit, malum pro malo non reddit, immo malum ſibi factum aut non agnoſcit, aut non in ſe detortum putat, aut elevat, aut excuſat. Amat odientem, in bono malum vincit, & magis dolore vel peccato adverſarii uritur, quàm adverſitate ſuâ. Inter malos bonus eſt; ex malis bona eruit, male agentes niſi notoriè agant, non judicat. Tales mores non niſi in ampla virtute, lata mente, puro & à felle libero corde, inveniri ſolent, unde & ejus ſignum ſunt

3. Signum perpetua pax cordis & conſcientiæ tranquillitas atq; ſerenitas, quæ poteſt ſtare cum inferioris partis extraneis afflictionibus: ſive illæ ſint corporeæ ut dolores, ſive à ſpiritu maligno advenientes ut tentationes, ſive à Deo immiſſæ, ut ariditates atq; deſolationes: modò ratio ſedeat immota neq; turbetur euétibus inſperatis, neq; deijciatur, cum non ad mentem quid accidit, neq; diſtrahatur ingruentibus multis neq; torqueatur ambiguis, neq; impotens ſui ſit in ſubitis & magnis proſperis nec obſiſtentibus contraeat turbatiùs, nec inſtantibus irruentibus vè cedat meticuloſiùs, nec gaudeat ſuis bonis ſucceſſibus, laudibus plauſibus, honoribus, aliorum de ſe opinionibus: neq; contra triſtetur aut zelet contra eos, qui eum non mirantur, non ejus conſilia & ſenſa probant, non conſulunt, qui ab eo ad alios recedunt, nec voluntati ſuæ tenax inhæreat, ſed perinde illi omnia ſint, eſſè atq; non eſſe, ſic vel aliter eſſe, quemadmodum Deo placuerit, velle illa eſſe.

4. Signum, amoris erga juſtitiam, veritatem, atq; rectitudinem libertas, ut juſtitiam omnem liberè ſequatur, exerceat, fateatur, nullis rationibus humanis à recto deflectat. Rationi ſemper cedat, veritati locum det, & eam tam libenter agnoſcat à quocunq; auditam, quàm libenter perferat cuicunq; indigenti neceſſariam. Eſto ob id linguas, ſcommata, irriſiones, cenſuras, condemnationes, pænas, mulctas, exilia, notas, damna, verbera, tormenta, mortem ſuſtinere debeat. Hæc libertas etiam in minutis obſervantiis Regularibus exhibita, ſignum eſt ſolidæ virtutis: hæc libertas idola non adorat oculorum humanorum, & ſermonum, & favorum. Hæc libertas manſuetudini conjuncta reprimit etiam procaces audacias, ut in ſui conſpectu atq; præſentia peccare formident vel erubeſcant, manſuefacit verò & conciliat, etiam feroces inimicos, ut vel nolentes ament, quos alioqui graves ſuæ malitiæ nôrunt. Sed ad hoc, ut prædixi, libertas manſuetudini conjungi debet, Nam ſola libertatis puritas rigida eſt & timetur: ſola manſuetudinis facili- A tas mòllis eſt & contemnitur, utraq; conjuncta & mutuò concatenata, facit temperiem admirabilem, & ſtupendam ad hominum animos flectendos. Deoq; lucrandos confert gratiam & inſuper ipſi homini adfert ſecuritatem atq; ſoliditatem.

5 Signum. ſtabilitas mentis in Deo quâ in re intelligo aſſiduam hominis coram Deo præſentiam cumq; Deô ambulationem. Intelligo viciſſim jugem hominis, Dei memoriam, reverentiam, fruitionem, & omnium quæ agit acturuſvè eſt, ex Deo deſumptionẽ, B in eumq; relationẽ Intelligo præterea ſecuritatem hominis de Deo, qua ſic eſt conformatus ſuâ volũtate cum Divinâ, in omnibus objectis & objectorum circumſtanriis, ut nihil formidet adverſi, ac præter ſuam mentẽ, evenire à Deo; ſed perinde ut infans inter ubera & ulnas nutricis ſecurus ludit, moratur dormit, ſic homo inter voluntatem Dei conquieſcat. aut ſicut Dominus aliquis cum habet ſervum fidelem ac prudentem, qualis fuit Ioſeph apud Ægyptium, illi omnia permittit curanda: ipſe ſecurus & oblitus & igna- C rus omnium cum amicis quietos agit dies, ſic homo.

Deo permittit & ſe, & ſua, & totius mundi negotia, cauſas, curſus, circumſtantiaſq; curandas; ille autem veluti Magdalena ad pedes Chriſti ſedet, & audit verbum Dei, de ſoloq; Deo cogitat, certus Deum de ſe longè ſolicitius fideliùſq; cogitare. Intelligo præterea ſub hac mentis ſtabilitate in Deo confidentiam ſeu fiduciam de Deo, liberamque ab eo petitionem, & quaſi omnia Dei ſua eſſent, ſibiq; licerent, uſurpationem, quomodo ſponſi inter ſe, aut amici intimi atq; famili- D ares, res ſuas mutuò ita uſurpant ac ſi indiſcriminatim unius omnia eſſent: quæ eſt quædam ſancta de Deo præſumptio gratiſſima Deo in ſuis ſervis, modò illi in fide non hæſitent. & ſic omnia à Deo, quæ cupiunt fieri, futura confidant; ut tamen Deo ſuam libertatem definiendi de modo, loco, tempore difficultatibus futuris relinquant, ſed finẽ quidem & exitum, certum veluti habeant,

modum

modum autem Deo permittant. Deus enim qui in fine suos servos consequendo exaudit, in modo libertatem, suam servat, quia in modo, multa soli Deo nota esse solent, quæ cæteros latent, & in unius negotij exitu, multorùm Deus bonorum semen, multorũ hominum salutem, multam gloriæ suæ messem reperire solet, quo fit, ut etiam ea quæ felici fine concludi negotia decrevit, multis difficultatibus & longis trahi sinat, ut dum eæ complanantur, interea salus multorum, vel uniùs alicujus, qui sit instar multorum, vel alia similia bona Deo soli cognita, mira suavitate coordinentur. In hac ergo morarum injectione & per difficultatum objectionem finis optati extractione Deus liber esse vult, & servi ejus libertatem hanc ei permittere debent, ac agenda quidem à se agere, sinere tamen ut ita omnia fiant, prout fieri volunt Hac cautelâ servatâ, erit & præsumptio seu confidentia de Deo plena & sancta, & conformitas voluntatis cum Dei voluntate integra.

6. Signum est. Fervor quotidie major, quotidianusq; ex fervore profectus. Omnis omnium nostrum vita, motu & cursu, immo volatu constat, quin etiam, ut meliùs dicam, motus, cursus, & volatus est. quies in ea nulla fingi potest nisi mors, quid est enim vitam nostram quiescere nisi mori? Ita omninò etiam in spirituali vita est, nec aliter fingendum ac illudendum nobis à nobis est. Vita spiritualis, etiam vita est. Actio igitur & Actus & motus est. Quietem itaq; in hac vita velle, est velle mortem, & quis non horret mori spiritu? moritur, quisquis quiescit, quiescit autem qui non progreditur, qui non conatur, qui non fervet, qui non urget. Quis nollet vitam suam corporalem esse quàm vivacissimam actuosissimam, &, quod idem est, ferventissimam? Nempe vivacitas vitæ, signum est sanitatis nostræ signum absentis longè mortis, & dissolutionis à corpore. Cur ergo in vita spiritûs non idem sapimus? Cur corpori vitam optamus vivacem & ferventem, animæ autem sinimus vitam esse languidam & torpentem? Spiritus est vita animæ. Vita motus est & actus. Si vita languida est, si spiritus languidus est, quomodo anima mortua non est? rursum autẽ si spiritus seu vita animæ vivax est? nonne tunc quando fervet? Igitur quando spiritus fervet, vita animæ & sanitas viget. Ferveat ergo semper spiritus, & ferveat semper ampliùs & ampliùs, tunc anima semper vivet vivaciùs, semper saniùs, semper securiùs, semper à morte remotiùs, semper solidiùs. Solidat ergo animæ vitam, qui ferventiorem quotidiè curat habere spiritum, ac deniquè ferventior semper spiritus, & ex ferventiore spiritu, ulterior semper progressus, signum est solidæ virtutis, securæ animæ, solidiq; spiritûs.

A 7. Signum est Sanctitas practica, quo nomine intelligo aliud nihil, quàm quod sæpiùs hoc in toto tractatu repetij, virtutem, ut sit virtus, esse activam debere & operativam: neq; hoc loco aut nomine aliud quidquam designare describereve volo. Utor tantùm hoc nomine, ut rationem istam, quæ est agere & vivere secundùm virtutem, quàm commodissimè proponam atq; explicem: si quomodo quà me ipsum, qua alios ad operosam virtutem exsuscitem. Omnia enim alia nihil

B prosunt, si opus virtutis desit. Deus noster actus est, actibus etiam delectatur, actibus præmia promittit: deniq; ait: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequũtur illos. Ex quibus verbis patet, nos dum hic vivimus, operari debere, patet opera nostra nos post mortem sequi, patet opera nostra Deo præ omnibus cordi esse, ut quæ sola hinc cum animabus ad cœlum admittat, quæq; sola hic remanere in terrâ non sinat; patet, ex operibus nostris beatitudinem pendere, ideo namq; mortui

C beati dicuntur, quia illos eorum opera sequuntur, si ergo non sequerentur mortuos opera sua, mortui beati non essent, sed quia sequuntur beati sunt. Et quomodo faciunt opera beatos mortuos? quia propter opera afficiuntur præmio, præmiùm autem est beatitudo. Si opera non essent, non sequerentur, si non sequerentur, præmium mortuis non daretur, si non daretur præmiũ, beati non essent, ergo quòd mortui beati sunt, operibus suis debent. At unde opera

D nisi ab operatione? oportet itaq; dum in hac vita sumus, exerceri nos & occupari omnino operatione, operatione, inquam, sub nomine operationis, tam actionem, quàm passionem includendo, ut in hac vitâ tam agere quàm pati practicè & re ipsa, & quidem quàm plurima & quàm solidissima contendamus. Multi multa sciunt, multi subtiliter de virtutibus disputant, de gradibus perfectionis, de modis proficiendi subtiliter, solidè, affectuosè, efficaciter loquuntur

quuntur, sed scientiam suam & disputationes, & sermones suos ipsi operibus non exequuntur. Si speculativè tantùm Sancti & perfecti erimus, & hoc satis esse putabimus, quòd omnia vitæ spiritualis puncti sciamus, & nihil novi ab aliis discere (quod non sciamus) possimus; si hoc, inquam, satis esse putabimus, neq; scientiam nostram ex speculativa practicam, in nostro proprio subjecto, in nobis, inquam, ipsis fecerimus, quid aliud restat, nisi ut etiam præmium cœleste, gloriamq; æternã perfectioni promissã speculativè à nobis haberi, satis esse dicamus & putemus. Nam speculativæ perfectioni, speculativa ut respondeat beatitudo, necesse est quod si speculativa beatitudine contenti nõ sumus, cur ergo sanctitatẽ perfectionẽq; speculativam, Deo aut potiùs nobis obtrudimus, & illam satis esse putamus? Neq; negare possumus, quòd non putemus, quia ut hoc sermo neget, opera tamen, quæ nullam speculationem sequuntur, probant. Si enim nihil eorum quæ de perfectione novimus, re ipsa facimus, ergo tantum speculativam, & non practicam perfectionem habemus, relinquitur ergo etiam, ut non practicam, sed speculativam beatitudinem exspectemus. Dicimus nos vulgò & crebrò. Non est opus nos doceri perfectionẽ, scimus jam ista, hic liber nihil novi habet, ab isto Patre, in Colloquio, in Exhortatione, nihil audimus quod nesciamus: scimus in quo sit perfectio, scimus quid sit institutum, Sanè bene est totum hoc bene ista dicuntur & verè, sed nunquid satis est solum hoc? si satis est; igitur etiam satis erit post mortem ut Deus dicat, se scire bene omnia, quæ cui virtuti, cui gradui virtutis debeantur in cælo præmia, quibus præmiis quæ merita sint à se afficienda &c, satis inquam, erit hoc dici etiam à Deo, & certè dicentur ista omnia verè & benè à Deo, sed nunquid sufficienter ad nostram beatitudinẽ? nihil minùs. Igitur etiam illi nostri sermones, non sufficient ad perfectionem, ut mereamur per illam, cœlestem beatitudinem. Quare si speculativum præmium speculativè nobis à Deo dari nolumus; speculativè etiam Sancti esse speculatione beatitudinem mereri, speculativam sanctitatem & nobis prodesse, & Deo obtrudere nolimus. Practi-
A cam sanctitatem quæramus, curemus, sectemur, exerceamus, in illa dies noctesq; consumamus. Si scimus speculativè opus esse homini humilitate, & propter humilitatem humiliatione, practicè id etiam sciamus, hoc est re ipsa faciamus, re ipsa humiliationes subeamus. Si scimus speculativè, societatis hominem zelosum esse debere, & animas quærere multorum assiduò, in eoq; vitã consumere, sciamus id etiam practicè, & zelum, quem scimus, habendum, habeamus,
B hoc est exerceamus & exeramus ita, ut conscientiam nostram effectu & praxi adæquemus vel etiam superemus. Si scimus speculativè, quàm perfectam obedientiam Regulæ nostræ requirunt. Sciamus id etiam practicè, & re ipsa nullum apicem Regularum quæ sunt de obedientia, prætereamus quem in obedientia nostrã Deus reperire & recompensare non possit. Similes inductiones exemplorum de orationis, reflexionis, puræ intentionis, mortificationis usu &c,
C quæ optimè speculativè scimus, faciamus, & eas practicè re ipsa in effectum deducamus.

Atq; etiam huic ipsi tractatui, hisq; de solida virtute considerationibus finem faciamus, ut quòd hic vel docuimus, vel didicimus, practicum reddamus, re ipsa exequamur, & in ipsa ad praxim seu nostri seu aliorum cohortatione, practici esse laboremus, & in omnibus, praxi non scientia, opere non cognitione, reales non verbales sancti simus.



TU DOMINE VIRTUTUM

QUi non tàm virtus, quàm actus es, & qui ideò Dominus Virtutum vocaris, quia omnium actibus & ipse constas, & nos constare delectaris: da mihi servo tuo non solùm vocem, non solùm scientiam virtutis, sed etiam opus virtutis. Da mihi Domine, ut quæ tibi placita sunt, sciam, sciendo faciam, faciendo alios doceam, & facere faciam. Da Domine ut omnis nostra sanctitas in operatione consistat, & in passione propter te, potiùs quàm in scientia & sermocinatione de te. Da Domine, ut cognoscendo voluntatem tuam faciamus, faciendo, ampliùs in ejus cognitione atque amore crescamus, & crescentes ad faciendam illam, solidiùs assurgamus ac roboremur. Da nobis Domine quod jubes, & jube quod vis: miserere nostri sicut scis & vis. Da nobis Domine, ut quidquid vis, sciamus, quidquid scimus, faciamus, quidquid facimus, in eo crescamus, proficiamus, & perseveremus, per te Deum nostrum, & per gratiam tuam, fontem & virtutem omnis virtutis nostræ, ad gloriam tuam & ad gustum voluntatis tuæ, & ad exaltationem dignitatis tuæ.



SERIES CONSIDERATIONUM.

DIES I.
Considerationes præambulæ.

DIES II.
De requisitis Virtutis solidæ.

DIES III.
Ubi solida virtus paranda, exercenda, possidenda.

DIES IV.
De occasionibus solidæ virtutis

DIES V.
De instrumentis ac mediis solidæ virtutis.

DIES





CAPVT I.

De fine perfectorum, quem tenere, & exercere debent.



§ I Extra omnem dubitationem est, perfectionem spiritualem & Christianam consistere in charitate: seu in dilectione Dei super omnia, quod idem est cum dilectione ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex omnibus viribus, ex tota fortitudine. Ita enim amandus est Deus. Et quidem ab omnibus & singulis creaturis rationalibus, quantùm ad debitum & obligationem, quæ omnibus eadem inest: vel ex eo solo quia creaturæ sunt, & quia Deus est Deus. Discernitur tamen ista charitas, seu dilectio Dei, non tam ex seipsâ, quam ex ipsis amantibus Deum: qui prout variè dispositi sunt in Divino obsequio, variè quoque se habent in Dei dilectione, etiamsi super omnia diligente.

Aliter enim se habent in amore Dei super omnia incipientes & aggredientes obsequium Dei: aliter verò proficientes, & jam purgationem peccatorum, seu potiùs animarum à peccatis egressi, virtutibusq; acquirendis ad exemplar Christi IESU intenti; aliter deniq; perfecti, & cordis puritatem, virtutũque divitias & ornatum, Christiq; similitudinem adepti, & in potentias Domini ingressi, adhærentes Deo, & unius spiritûs facti cũ ipso. Incipientium enim Charitas habet timorem & dolorem. Proficientium, habet spem & laborem. Perfectorum autem foras mittit cum timore dolorem, transcendit spem, vincitq; laborem, obtinet gaudium & pacem.

§. II, Hæc perfectorum charitas est, eorundem finis: ad quem non solùm tendere, (hoc enim etiam incipientium, proficientiumque est; & perfecti facere, imò propè fecisse supponuntur) sed etiam pervenire, in eo stare, stando tamen ampliùs & altiùs proficere, neq; unquam in eo profectu languere, multòminus deficere, qui perfecti sunt debent. Rotundum & explicatum est, Domini nostri dictum ad discipulos, hoc est ad

A perfectos omnes. *Perfecti estote, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Matt: 5. 48.

Sanè ita & ad tantam perfectionem nobis est enitendum, quanta est in Patre cælestis cumq; ea sit absolutè infinita, absolutè etiam nobis à consectatione amplioris altiorisque perfectionis nunquam quiescendum est. Si enim alicubi vel aliquando cessaverimus: manifestũ est, quod ab infinità omnino perfectione, quæ adhuc in Patre cælesti residet

B excidemus: & exigua quadam particula perfectionis (nam finiti ad infinitum nulla cõparatio) potiemur, si tamen potiemur, & nõ potius hoc ipso quia defecimus, progrediq; cessavimus, eo, quod habere videbamur, privabimur.

Perfectus enim nemo est: qui perfectior esse non appetit loquor de creatura, & statu hujus vitæ Nam alioqui Deus perfectior esse non potest, neq; appetit quàm defacto est. Beati verò, esto absolutè perfectiores esse

C possent: non tamen jam appetunt, quia in termino sunt Nobis dicitur, & de nobis; *In via Dei non progredi est regredi, non proficere, est deficere*, nolle proficere, est velle deficere. Nullus justus verus, dicit sufficit: ubi dixit ibi hæsit. Deniq; Paulus Apostolus, ubi hunc de semper proficiendo, & in ea, quæ sunt priora, tendendo, sensum amplè exposuisset, mox præceptivè concludit. *Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Phil: 3.

14. & hunc in modum perfectionem nostrã possidentes augeamus, augentesq; possideamus, atq; in finem nostrum, charitatem scilicet perfectorum enitamur.

§ III, Ista porrò caritas perfectorum, quam finem eorum statuimus, attendenda est penes intensionem appretiationis Dei, ejusq; tum dignitatis, tum gloriæ, tũ voluntatis. Quantò enim hæc appretiatio Dei erit in nobis verior, fortior, ardentior, sincerior, constantior, operosior, seu efficacior, infatigabilior & insatiabilior, & ad purum plenumq; depuratior, sublimatior, ipsique Divinæ appretiationi, quâ ille se, dignitatem, gloriam, honorem, voluntatem suam appretiat, conformior, intimior, & (ut sic loquar) inviseratior, identificatiorq;: tantò charitas nostra erit in suâ non tantùm substantia, verùm etiam perfectione atq; consummatione absolutior.

Est hoc loco repetenda meritò, jam proximè adducta vox Pauli. *Quicunq; perfecti sumus, hoc sentiamus.* Est enim error non tantùm perniciosus, sed etiam pervulgatus, ferè tamen paucis inter ipsos perfectos cognitus: scilicet perfectionem charitatis ex intensione teneræ ac vehementis affectionis ad Deum metiri, de appretiatione autem gloriæ & voluntatis Divinæ, deq; ad ejus promotionem & executionem conatu & ardore, parum valdè, & nonnisi in evidenter crassis, inq; facilibus, & obviis, fortè etiam in proprii amoris, & honoris, commodique gustum vergentibus, solicitudinis & operæ ponere. Sic Deum amare puerorum, & mulierculatum, sensualium, & lactentium est, non perfectorum, quibus dicit Christus: *quid autem vocatis me Magister & Domine: & non facitis quæ dico?* sentiunt hi ardorem cordis, inflammationem pectoris & tumorem, anhelitus ex profundo viscerum tractos, gemitus & suspiria, avidos oculos, lachrymas dulces, suavitates non tam rationalem portionem, quàm inferiorem sensitivamq; replentes & demulcentes: sed interim ad se se vincendos, abnegandos, frangendos, conculcandos, ad exaltandum suâ vilificatione honorem Divinum, ad subeundas cruces, contradictiones, irrisiones propter Divinæ voluntatis executionem: tantùm habent animi & roboris, atq; efficaciæ, quantum fœminæ imbelles ad prælia, & aciem, quantum lepores ad venaticorum canũ indaginem.

Non ex intensione ergo affectûs, sive affectionis cujuscunq; ad Deum, sed ex intensione, & robore, fervoreq; appretiationis Dei, & ejus gloriæ, nec non voluntatis implendæ, propagandæ, tuendæ energia metienda & noscenda est vera charitas perfectorum. Talis enim fuit charitas Christi in Patrem: qui cibum, & vitam suam dixit fuisse facere voluntatem Patris: talem nobis effinxit & præcipit dicens: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Ioan: 14. Et iterum *Si diligitis me, mandata mea servate.* Ibid: v. 15 Et rursus. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Ibid: v. 23. Itaq; vera ac multò magis perfecta charitas non ex tenero affectu sensibiliq; ardore in Deum, sed ex rationali appretiatione Divinitatis, voluntatisq, æternæ, cum devota executione desumenda est. Quoniam probatio dilectionis est exhibitio operis.

§ IV. Hæc intensa seu intensiva appretiatio Dei, ejusq; gloriæ ac voluntatis, in quâ finis & charitas perfectorum sistere dicitur, non est statuenda seu arctanda, solùm modò ad obligationem gravẽ, & talem cujus trãsgressio criminosa sit, neq; obligationem leviorem, & talem cujus neglectus venialis sit, talium enim transgressio vel observatio, minimè implet limites charitatis perfectorũ sed extendenda est ad omnium absolutè voluntatum beneplacitorumq, Dei adimpletionem, omnimodamq, gloriæ Divinæ, quantacunq; per vires charitatis viatorum fieri possit propagationem & executionem, nihil attendendo sitne ea imperata, sitne placita, sitne possibilis, modò sit, & futura præsumatur gratiosa & gloriosa Deo, in cujus gustu & exaltatione tota est, esseq, debet vita, contentatio, beatitudo, perfectè amantis charitatis, Illa enim vivendi ratio, in quâ adhuc consultatur, sitne contra Dei voluntatem? sitne juxta Dei placitum? sitne gravis an levis obligatio & offensa, negligentia? sitne magna an levis imperfectio? possitne consistere cum gratia sanctificante in anima? tales similesq; calculationes procul à perfectorum mentibus & charitate exulant, utpote cujus & quorum unica & suprema est cogitatio atq, solicitudo, Deum amplius, ampliusq, exaltasse, ejusdem gustui & placito intimiùs deseruisse. Deseruisse autem ita exactè, ita omnimodè ac si in unius jota punctivè divini placiti executione, cæli terræque jactura vel salus verteretur.

Hoc

Hoc consideremus, hoc sentiamus, hoc re ipsâ opereq; perpetuò & infatigabiliter præstemus, quicunq; perfecti sumus, seu nomine, seu professione, seu opinione seu veritate. Iste est enim finis noster, iste scopus, iste quietis locus, iste laboris terminus, iste sumptus, & impensarum consolatio, ista vitæ præsentis anima, istud charitatis operæ pretium, ista Christi imitationis consummatio, ista deniq; Dei voluntas & gloria. Super hæc sese examinet diligenter, quisquis seriò se perfectum in charitate esse aut vult aut putat: ne fortè sit in spiritu ejus dolus: nevè currat in incertum &c.



CAPVT II.

De Regulâ charitatis perfectorum erga Deum.



§. I. Charitas sive finis perfectorum Dei servorum habet suam Regulam atquè normam in charitate & à Charitate Dei ipsius, quâ nimirum Deus afficitur erga servos suos. Cùm enim Dei perfecta sint opera, & maximè quæ circa Electos operatur, consequens est eam charitatem, quâ suos diligit Deus, omnino esse perfectissimam, quare etiam perfectis Dei servis non potest proponi exactior regula, absolutiusq; exemplar præsertim practicũ, quo in Deum diligendum ferantur, quàm isthæc ipsiusmet Dei in nobis praxis.

Cum autem Deus diligat nos non ob aliam causam quàm ut vicissim ametur à nobis: inde consequens est, ut sicut amandus est ideo quia amat: ita etiam eo modo amãdus sit, quo ille nos amat, estq; impossibile omninò vel alteram, vel altiorem diligendi à nobis Deum, normam invenire, præter istam, quam in nobis diligendis servat, & ad se diligendum nobis proponit Deus.

§. II. Ad cognoscendum porro quam normam, & praxim in nobis diligendis servet Deus, facilius esse, experiendo & oculis cernendo, manibusq; palpando pervenire, quàm verbis explicando; tam est enim effusè manifesta, ut eam bruta & saxa ipsa sentiant, tam effusè exundans ut eam intellectus creatus vix capiat, quia tamen imposita est nobis necessitas, eam à nobis imitatione exprimi quam maximè, ideo etiam incumbit eisdem nobis eandem à nobis investigari, & considerari, & combibi quàm plenissimè; alias exprimi imitatione non poterit: si autem expressa non fuerit, ex salutari

A in perniciosam nobis converti oportebit. Ita enim se habent divina beneficia in nos atq; gratiæ, ut si eis non utamur vel utamur, in perniciem; si autem benè & debitè, in salutem nostram convertantur, eademq, est divini erga nos amoris ratio: si ei respondemus vicario & mutuo amore, certa salus nostra est. Si autem negligitur à nobis & ejus ratio non habetur, certa & indubitata perditio nostra efficitur dicente Apostolo. *Pec-*

B *catum ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum.* Rom: 7. 13. Et consonat Domini ipsius vox dicentis. *Tu Capharnaum, nunquid usq, in cœlum exaltaberis? usq, in infernum descendes* Matt: 11. 23. Ad hoc ergo amat Deus nos, ut ad mensuram amoris sui in nos redametur à nobis.

§. III Tenendum est, amari nos à Deo non verbis nudis, sterilibusve votis, neq; affecti-

C bus teneris quidem sed jeiunis: at amari rebus ipsis & operibus: ita ut amor ejus erga nos, prodeat in opus, imo in opera, & ea quidem grandia valdè, quibus grandiora nos non possumus excogitare, multò minùs expetere. Docent hoc nimis evidenter convincenterq; opera Dei, v. g. creantis nos ex nihilo, dantisq; nobis omne quod sumus & habemus. Esto, subsistere, posse, agere, valere, vivere, sentire, moveri, intelligere. Guber-

nantis nos quoq; & conservantis atq; disponentis nos *cum omni providentia, imò etiam cum reverentia.* Redimentis item, & quidem tali modo (quem fides incarnationis, & omnium vitæ mortisq; Christi mysteriorum oeconomia nos edocet) redimentis. Ad hæc sanctificantis nos, & à peccatis abluentis, gratiis insuper tam habitualibus quàm actualibus, in immensum locupletantis. Deniq; (ut paucis totum dicatur) glorificantis nos atq; beatificantis in æternum.

§ IV Sciendum item est amari nos à Deo operatoriè, non tantum prædictis generalibus, & cum omnibus communibus modis, beneficiisque: sed insuper amatur quisq; nostrûm singillatim practicè & operatorie, qui amans particularis prodit sese circa quemq; nostrũ in minutissimis necessitatibus, cōmoditatibusq; nostris, tam naturæ quàm gratiæ, tam corporis, quàm animi, quam fortunæ, & quidem per singula momenta vitæ nostræ, sine ulla cessatione. Quæ quidem Dei charitas in nos, est plus quam excessiva, plùs quàm per cogitationem & cognitionem creatam comprehensibilis. Est charitas fecundissima, satagens, irrequieta, infatigabilis, incessabilis gratuita, nulla nostrâ vincibilis ingratitudine, malitia, vilitate, morositate, sterilitate. nulla quoq; compensabilis nostrâ gratitudine, aut merito, aut laude aut dilectione.

§ V. Item tenendum ita nos & omnes & singulos amari à Deo operative, ut præter hoc etiam quod ita singulos amet, ac si alium aliquem nisi unum solum amaret vel curaret neminem, amet insuper nos occupeturq; circa nos ita sollicita ità plena, ita omni curâ, ac si sui ipsius omnino videatur oblitus, neq; ulla suarum rerum curâ tangatur: id unum, solumq; animo versans, & virtute agens, ut nobis bene, nobis abunde, nobis delectabiliter, nobis securè, nobis beatè, nobis semper ubiq; in æternitatem ipsam, quantum ex ipso est, sit provisum atq, prospectum per omnia.

§ VI. Item tenendum amari nos à Deo non tantum ita, ut operetur propter nos, & circa nos, sed etiam ita, ut patiatur humilietur, vilificetur, exinaniatur propter nos, circa nos, in nobis, deniq; (quod probrosissimum, dolentissimumq; nobis esse debet) etiam à nobis. Nihil his est manifestiùs, ut proinde exaggerari non sit opus, sit tamen considerari quàm maxime opus. Quid enim Deus non passus est in Incarnatione, vita, passione, morte? quid non patitur in Sanctissimo sacrificio Sacramentoq; altaris, & aliis Sacramentis: quid non patitur in suis membris atq; corpore quod est Ecclesia, ejusq; sancti? quid non patitur in suâ gratiâ, in suâ voluntate, præceptis, consiliis, meritis, donis, exemplis? Quid non patitur in sua præsentia, potentia, scientia, majestate, A dignitate, veritate, bonitate, charitate, miseratione, justitiâ, patientia, longanimitate, liberalitate? Quid non patitur in suâ gloriâ, honore, cultu, reverentia, redamatione, quæ ipsi debetur à nobis, sed minimè exhibetur a nobis? Quid non patitur à nostra vilitate, malitia, ingratitudine, sterilitate, malorum pro bonis retributione, stultitia, morositate, incônstantia obstinatione, duritia, rebellione? Et ex his non discet homo pati & contemni & humiliari pro- B pter Deum, non animabitur ad amandum Deum cum jactura sui? fatigabitur homo in redamando Deo: & terrebitur ab obsequiis ejus, tantillis incommodis, tantilla aliorum censurâ ingratitudine, vilitate, vilipensione, malitia?

§ VII Item tenendum amari nos à Deo non ita solùm ut per se ipsum suamq; sapientiam & potentiam operetur infinita bona propter bonum nostrum: verùm etiam ita, ut & omnes creaturas suas servire nobis, operari pro nobis, existere & interire, propa- C gari & exhauriri propter nos faciat. Et quia creaturæ istæ nihil possunt absq, ipso: quia inquam neq; esse, neq; vivere, neq; sentire, neq; operari, neq; moveri, neq, pati, neque cognoscere aut intelligere possunt quidquã etiam ad momentum absq; ipso Deo, idcirco Deus etiam nobis in creaturis & per creatutas servit, idcirco inquam & dat illis esse, & in eis ipse est, dat illis vivere, & ipse in eis vivit. Dat illis operari, & ipse illis cooperatur, in illisq; operatur, dat illis motum, & ipse eas movet, in eis immotus. dat D illis cognitionem & directionem, & ipse eas dirigit: inq; suos fines agit.

Atq; hoc facit in creaturis istis non sibi, neq; ipsis creaturis, sed nobis hominibus tam omnibus quàm singulis, hac etiam viâ (mediantibus nempe creaturis) se se nobis dans & donans, & impendens nobis suam essentiam, præsentiam, potentiam, ad omnem absolutè necessitatem, voluptatem, usum, quicunq; cuiq; nostrum collibitus, vel idoneus, oportunusq; sit.

§ VIII.

§ VIII. Item tenendum amari nos à Deo ita, ut nobis communicet bona sua, perfectionesq; suas Divinas, non tantum eas circa bonum & obsequium nostrum occupando, uti supra vidimus: sed etiam nobis eas imprimendo, & consortium earum nobis tribuendo.

Itaq; Deus non tantum suam essentiam circa nos occupat, sed etiam dat nobis esse. Non tantum ex bonitate sua facit nos bonos, non tantum charitate sua amat nos, sed etiam charitatem ipsam infundit nobis ut amemus ipsum, non tantum sanctas nobis leges & consilia sua inspirat, sed etiam nos sanctos facit. Non tantum sapientia nos regit, sed etiam sapientes nos reddit, deniq; (ut paucis dicam) facit nos justos, rectos, innocentes, immortales, potestate, autoritate, regimine præditos, & hæc omnia non tantum in nostrum proprium bonum & usum, sed ita etiam abundè, ut hæc omnia bona ejus in nobis deposita in alios etiam derivare possimus. Amando illos, benè illis faciendo, peccata eorum condonando, prudentiam & sapientiam, & vitam rectam, innocentemq; docendo, sanctos faciendo, gubernando, monendo, manu ducendo, à malo avocando, ad bonum manu ducendo, à periculis animæ corporisq; defendendo, orationibus, meritis, suffragiis, sacrificiisq; adjuvando, pro merito & dignitate cujusq; honore vel præmio afficiendo, juxta mensuram delicti cujusq; puniendo & corripiendo. Ista namque omnia à Deo in nos derivantur tum in nostrum proprium, tum in aliorum bonum & usum.

§ IX. Deniq; tenendum amari nos à Deo, ita ùt non solùm per creaturas suas, inque creaturis suis nobis se communicet: non solùm perfectiones attributa divitiasq; suas in nos effundat, eorumq; participes nos faciat: sed insuper ita, ut sine mediantibus creaturis seipsum, per semetipsum, substantivè personaliterq; nobis communicet, largiatur, donet, habendum, possidendum, fruendum. Ita in Incarnatione Deus Verbum in personâ sua se nobis dedit: datusq; à Patre est, quia sic *Deus dilexit mundum*. Ita Spiritus Sanctus personaliter descendit in Apostolos, universamq; Christi Ecclesiam, ut A maneat nobiscum in æternum, docens nos omnē veritatem &c. Ita in sacrosancto Altaris sacrificio atq; Sacramento Deum Hominem, verè realiter, substantialiterq; immolamus, manducamus, habemus, manibus tractamus, adoramus, præsentem colimus cernimusq;: facturi hoc usq; ad consummationem sæculi. Ita *Less: de sum: bono. l. 2. c. 1. n. 4. Or. 5.* in justificatione & sanctificatione nostra, quando in filios Dei per gratiā B sanctificantem reformamur: unitur nobis ipsa Divinitas per specialem naturæ Divinæ communicationem, & Spiritus Sancti inhabitationem, qui nobis unitur per gratiam sanctificantem. Ita enim gratia hæc secum in nos trahit naturam Divinam, eamq; præsentem nobis facit & inhabitantem: ut etiamsi ipsa non esset immensa, at ubiq; tamen eam nobis intimè præsentem sisteret. Atq; C ita unio Dei quæ fit per gratiam in nobis, non est unio solùm per affectum & amorem, sed est unio per naturæ communicationem & spiritus inhabitationem, ut dixi: Ita deniq; in beatitudine cœlesti quam speramus, immediatè unietur Deus nobis; & nos Deo: videbimusq; illum, & possidebimus, & fruemur illo, sicuti est, & facie ad faciem, non sicut modo in ænigmate, & per speciem.

Ex horum consideratione, quæ sit, debe- D atq; esse Regula charitatis perfectorum erga Deum discere potes. Iam quomodo huic Regulæ, eadem charitas conformanda sit, plenius videndum est capite sequenti:



CA-

CAPVT III.

De conformatione charitátis perfectorum, ad charitatem Dei erga nos.

§ I. Cire desideras quæ tuæ sint in amando Deo partes, qualis esse tua charitas in ipsum debeat? Talis quæ Divinam istam in te charitatẽ quam maximè, si non assequatur, certè sequatur, si non adæquet, æquare certè optet cum omnimodo infatigabili, incessabili, insatiabilique adæquandi conatu. Hoc autem fit his fere modis seu passibus, atq; gradibus, quibus nimirum amor in nos Dei processit & procedit assiduò.

1. In conspectu Dei perpetua præsentiæ ejus memoria & agnitione & æstimatione morando: quemadmodum ille nobis & in se ipso, & in omni creatura, & in ipsis nobis est intimissimè præsens.

2. Donando sive (quod veriùs dicitur) restituendo nos illi totos, omniáq; nostra, quæcunq; à Deo nobis indita sunt, eaq; permittendo & consignando omni absolutè usui & beneplacito ipsius, pro omni circumstantia, in qua ponere & habere nos nostraq; omnia Deo collibitum fuerit, eo modo quo figulus habet potestatem luti, vel omnipotẽs Creator habet nihili, ex quo operetur quidquid libet.

3. Voluntatis ejus omnis omnino executioni impletioniq; nos per omnia perfectè addicendo, consecrando, desponsando, impendendo, ita ut extra voluntatem (non dico præter vel contra, hoc enim absit penitus ab genio perfectæ charitatis) vel ad momentum esse exosiùs, formidabiliusq; sit apud nos, ipsa morte, ipso inferno, ipsa damnatione: insistere autem voluntati ejus, hoc omne cogitabile, & super omne cogitabile bonum, ita ut nullus motus noster in nobis & à nobis fiat unquam, sive per corpus, sive per animam, sive per naturam, sive per gratiam, qui non in Divinam à nobis amatam, & fieri intentam voluntatem resolvatur.

4. Studio nostro in Divinam gloriam tuendam, augendam, extollendam, superque extollendam omnibus atomis substantiæ nostræ, omnibus motibus vitæ nostræ, o-
A mnibus momentis existentiæ nostræ, ut impleatur à nobis Apostolicum illud omnibus quidem monitum, sed perfectis præceptum, *Siue ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud, quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* 1. Cor: 10. 31 Et rursum. *Omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in Nomine Domini IESV Christi, gratias agẽtes Deo & Patri per ipsum* Coloss. 3. 17. Ita enim fiet ut Divinum in
B nos amorem in omnibus creaturis perpetuò nostri causa laborantem, etiam nos amore nostro in Deum imitemur assimilemusque in omnibus rebus & operibus nostris Deum nobis nosq; Deo præsentes agnoscendo, ex præsentiæ illius luce voluntatis ejus nutûs omnes faciliùs, clariùs intimiùs cognoscendo, & deniq; in omnibus & omnia propter Dei placitum honoremq; agendo, totasque vires, intentiones, commotiones nostras ei
C devovendo & sacrificando.

Non debet enim esse sterilis & otiosa in nobis illa præsentiæ Divinæ nobiscum cognitio ac memoria: sed præterquam quod nos in amorem, æstimationem, reverentiam que præsentis Dei rapere, præterquam etiam quod nos illâ cum Deo assidua conversatione, de ejus moribus, indole, ingenio, voluntatibus, gustibus, desideriis, placitisque erudire & instruere debeat: insuper etiam nos
D urgere debet ad exequendam omnem cognitam ejus voluntatem, ad explendum contentandumq; omnem cordis ejus gustum, ad procurandum promovendumq; in omnibus occasionibus & actionibus, in omnibus locis & personis ejus honorem atq; gloriam: esto ejus rei gratia nonnunquam ad tempus opus sit nos destitui illo præsentis Dei contuitu quandoquidem status noster in hac vita, illam jugem & interruptæ Dei præ-

sentiæ

præsentiæ inhæsionem sustinere non potest.

5. In omnibus & singulis actibus motibusque nostris maximè puram, defæcatam, sublimem, simplicem, uniformemq; intentionem habendo atq; tenendo. Ita nimirū ut nihil creatum, nihil proprium, nihil tēporale spectetur in actionibus nostris à nobis, sed solus unusq; Deus propter solum ipsumq; Deum, seu propter soliùs Dei bonū: quod non est aliud quàm ejus beneplacitum seu voluntas, itemq; ejus gloriæ quam maximaq; exaltatio, deniq; ei placuisse nos quàm maximè, non quia id nobis bonum, sed quia Deus ita vult, & dignus est.

Quod perfectis accuratè notandum est, ne in suis intentionibus earumve puritate ac nuditate & altitudine decipiantur. Evenire enim ijs potest, ut cum putant se altissimā & purissimam intentionem in Deum direxisse defixisseq;, interim illi revera in se ipsis in suo bono proprio quatenus proprium est hæreant, se & sua quærant, & in quærendo quàm defecatissime (ut quod ipsis videtur) Deo, ejusve placito aut honore, suum deniq́ue proprium bonū quærunt: & non amore amicitiæ qui bonum amati amici intuetur, sed amore concupiscentiæ qui quæ sua sunt quærit, gubernentur. Quomodo accidere potest vel in hoc ipso præsenti passu, cum quis hæc de perfectione charitatis & altitudine puritateq; intentionis legens aut considerans accendatur ejus exercendæ studio, eamq; re ipsa exercere incipiat: insinuante se interim intuitu & respectu privati proprijq; commodi in hac intentionis sublimitate atq; puritate, siti, obtinendi & assequē di, quod si fiat, manifestum est amari & exerceri intentionem puram non purè, sed ad cupiditatem proprii boni inclinatè.

Quare hic lynceis oculis opus est charitati perfectorum, ut solum Deum ament propter solum Deum, solum Deum intendant omnimoda defæcata sublimataq; intentione, seu ei ipsi precandi obsequendi, exaltandiq; studio, propter id ipsum studium, vel magis propter ipsum Deum, quia id ei gratum acceptum honorificum: quidquid sit de nostro hinc commodo, merito, profectu, augmento sive gratiæ, sive gloriæ: quod sequitur quidem omninò, sed intenditur desideraturq; minimè, ab operante.

6 Per hanc viam & artem depuandæ intentionis ab omni proprio creatoq;, interesse & bono, venit perfectus vir ejusq; charitas perfecta ad illam perditionem annihilationem, oblivionemq́; sui: per quam omni amori, voluntati libertati. proprietati, respectui, curæ, intuitui honori, famæ. conversioni ad se, quæsitioni sui funditus emoritur, seseq́. perdit & sibi perit perditione sanè felicissimâ, & nonnisi per inventionem sui in Deo recompensanda. De qua illud est Augu-

A stini dictum, imò votum: *O! amare, ô Ire, ô sibi perire, ô ad Deum pervenire.* Ser. 17. de Verbis Apostoli. De eadem etiam intelligēdum est illud Domini. *Qui amat animam suam perdit eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Ioann. 12 25.

7. Per eandem purificatæ & sublimis Intentionis viam pertingit charitas perfectorum ad illud unum, quod solum necessariū esse, quodque optimam partem dixit Salvator noster. Per eam siquidem intentionem mi-

B noratur actu homo. & in paucis, imo in uno tantum, sunt actus ejus: cum enim unū tantùm Deum, unum ejus beneplacitum, unam ejus gloriam, uni illi placere propter unum illum solum intendat & contendat: omnis illi varietas, multiplicitas, differentia repugnantia evanescit, & ab illo uno absorpta perit. Perit inquam, quia extra Deum unum, prorsus non attenditur: in Deo autē talis nullo modo est sed longè alio perfectiori modo: nempe id ipse Deus, in cujus simplicitate simplicissimaq́; Entitate omnia u-

C num sunt, omnia ipse Deus sunt, omnia ab eo, & in eo finem unum habent, cui intentio inhærens prædicta, nihil invenit quoad pluralitatem, varietatem, rerum actuum, finium advertat, eàve occupetur, multoq; minùs sollicitetur ac turbetur. sed quidquid demū fiat extra Deum, quomodocunq; res accidāt, qualitercunq; consilia sua vel aliena, conatus sui vel alieni procedant, quibuscunquè finibus & exitibus terminentur: id prædicta intentione sublevatus, perinde habet; quoniam unum Deum, ejusq; placitum & honorē

D intuetur. nihil accidit præter hanc mentem atq; intentionem: cum ea sit altior omnibus aliis eventibus, unde ad eum nihil pertingit, atq; ita intendens, sua intentione semper potitur, nunquam frustratur, semper fruitur, id est; semper Deo placet, semper id quod placitum & honorificum est Deo tenet. Unde illius vox illa propria est. *Sicut Domino placuit, ita factum est, sit Nomen Domini benedictum.* Iob. 1. 21. Eidem & illa: *Ita Pater, quoniam*

sic

ſic placitum eſt ante te. Ad eum modum quo
montium vertices ſecundùm Regionem àé-
ris tranſcendentes, à nubibus, à ventis, a tur
binibus, a fulminibus, tempeſtatibuſq; im-
munes ſunt.

8. Per eandem tentationis puræ & ſubli-
mis methodum compendioſam Charitas
Perfectorum facit eos agere, curare, perpeti,
ordinare, providere multa & varia, ſed non
propter multa, neq; propter varia, ſed tan-
tùm modò propter unum, in quod ſolum in-
tentione fixi ſunt, & a quo intuendo inten-
dendoq; dimoveri partim non poſſunt, Deo
illos detinente, & omnium perquæ amoveri
avocarive poſſent, explente & evincente, par-
tim nolunt, ut qui dicant ex animo & ex
lumine. *Domine bonum eſt nobis hic eſſe,* &
ſic cum Magdalana. *Vnum neceſſarium habet,*
optimamq; partem eligunt, quæ non auferetur ab
eis, niſi ſe ipſi prius auferant ab ea, deſe-
rantq; unum, quod utiq; a charitate perfecta
eſt alienum.

Atq; hæc eſt illa charitas, hic eſt ille fons
charitatis ſecurè dicentis. *Quis nos ſeparabit*
à charitate Chriſti. tribulatio? non anguſtia? an
mors? &c *Certus ſum quia neq; mors neq; vi-*
ta: neq; Angeli neq; alia creatura poterit nos ſe-
parare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto IESV.
Rom. 3. 35, Et certè impoſſibile eſt, ut eos
a charitate ſeparet aliqua, vel omnis creatu-
ra, quandoquidem talibus, eo ipſo, quod ſibi
ipſis perierunt, ſtatim etiam neceſſariò pe-
riit omnis omninò creatura, non aliter,
quàm ijs, qui morte corporali moriuntur,
omnia quoq; ſimul emoriuntur: atq; adeo
non ſunt: quod ſi non ſunt, quid mirum &
quid dubium eſt, quod ſeparare à charitate
non poſſunt? Agunt ergo, uti dixi, perfe-
cti in charitate, patiunturq; & curant multa,
ſed non propter multa, & quia non propter
multa, ſed propter unum tantùm, idcirco
charitati ſemper uniformes ſunt, ſemper a-
pud unum, ſemper in uno, ſemper cum u-
no, ſemper ad unum, & propter unum: deni
que ſemper unum. Sunt in ſuo centro, in
ſuo regno, in ſuo & ſui dominio, in pacis
domicilio, in Filiorum Dei libertate, in alti-
A ore omnibus creatis eventibus poteſtatibuſ-
que ſtatu.

Et per hoc, perq; ſupra dicta omnia aſſi-
milant charitatem ſuam in Deum, Regulæ
ſuæ, quæ eſt, Charitas Deus, erga ipſos. A-
mant enim Deum & ipſi ita: ut operentur
propter ipſum, & operentur liberaliter, ope-
rentur ſemper & ubiq;, operentur effusè
prodigè, operentur gratuitè ſine intuitu mer
cedis ullius propriæ, ſine ullo ad ſe ſe reſpe-
B ctu ſuive memoria, operentur infatigabili-
ter, inceſſabiliter, imperturbatè, operentur
totaliter nihil ſui ſibi retinendo, quod non
Deo, & pro Deo effundant profundantq, o-
perentur cum omnium profuſorum, inque
charitatis ſumptum impenſorum, quaſi ni-
hilum impenſum foret, deſpectione ac vili-
penſione: operentur cum obligationis omni-
modæ ad operandum perpetiendumvè eos
obligantis integritate, ſeu integritatis rema-
C nentis, imò & inſuper augeſcentis cogniti-
one atq, confeſſione. Iuxta mentem Do-
mini dicentis; *Cum omnia feceritis, quæ præ-*
cepta ſunt vobis: dicite, ſervi inutiles ſumus,
quod debuimus facere fecimus. & faciendo, no-
va apud gratiam tuam, ſine qua nihil poſſu-
mus debita contraximus. Ideo *Non nobis*
Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.
Pſal 113. 1. *Tibi enim Domine, tibi gloria, &*
exaltatio: nobis autem nihil, niſi nihil, & con-
fuſio faciei noſtræ. Dan: 9. 7,



CAPUT IV.

De avara & insatiabili infatigabiliq; fame & studio perfectionis.

§ I. IN illis Domini verbis, *Beati qui esuriũt & sitiunt Iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Matth: 5. 6. Sicut non aliud per Iustitiam quam sanctitatem, perfectionem, charitatemq; Evangelicam vult intelligi Dominus ita etiam per famem & sitim non aliud significat, quam indefessum infinitũque studium & desiderium ejusdem Evangelicæ charitatis & perfectionis, quo unumquemq; nostrum flagrare in ejus adeptione vult, neq; prius ejus flagrationis quàm vitæ finem facere. Vitæ enim fine suscepto, tum demum saturitas & satietas Iustitiæ nobis dabitur: tantò abundantior, quantò fames & sitis præcesserit ardentior. Hic saturitatem nemo sibi polliceri potest, quia famẽ ac sitim semper perpeti, imò & importare hic sibi debet, famescat ergo & magis magisq; semper famescat quamdiu vivit, ut post vitam saturari possit. Sic enim alio loco Dominus asserit dicens. *Quâ mensurâ mensi eritis* desiderium, famem, sitim, studiumque comparandæ perfectionis, *eâdem mensurâ* exsaturationis *remetietur vobis:* Luc. 6. 39. imò non eâdem omnino sed longè majori: *Nam mensuram bonam, confertam, & coagitatã, & superfluentem dabunt in sinus vestros.* Luc: 6. 38. Quo circa quantò majorem quis sibi optat mensuram saturationis & superfluentiæ in futurâ vitâ, tantò quoq; majorem necesse est ut famis sitisq; mensuram habeat in præsenti vitâ.

§ II. Caritatis veræ ac speciatim perfectæ hæc est indoles quod cum satietate semper famem adducat sui in animam possidentis. Est enim charitas perfecta ex ejus bonis quorum possessio & præsentia atq; fruitio, non tædium & nauseam gravedinemq; parit, sed potiùs desiderium excitat famemq; exacuit, & appetitum ipsa saturitio sublevat ac dilatat, ut amplioris ejus abundantiæ magis ac magis capax fiat. Sicut ignis ejus est naturæ, ut quo plura edacitati ejus fomenta aggesseris, eò magis efficiatur edax atq; verax majoris atq; majoris alimenti. Notum autem est quod charitas Deus sit. Deus autem cum sit ignis consumens, relinquitur ut etiam charitas ignis consumes, & consumendo magis magisq; augescens sit. Ex hoc ergo quisq; perfectus metiatur perfectionem & charitatem suam: si in dies horas & momenta sentit in se se succrescere perfectionis & charitatis cupidissimam famem, sive famelicissimam cupiditatem.

§ III. Charitas præsertim perfecta, sive, quod idem est perfectio est vita sive anima perfectorum. Sicut ergo anima & vita consistit in perpetuo motu & actu; adeo quidẽ ut idem sit motionis qui & vitæ finis: idemque vitæ quod & motionis sive actionis incrementum & fomentum, ita quoq; charitatis perfectio nullo modo stare potest absq; perpetuo quodam sui ad ulteriora motu atq; progressu. Estq; omninò imperceptibile charitatem esse non tamen moveri & tendere ad ulteriora scilicet, & ad altiora sive perfectiora. Et ratio evidens, necessariaq; est; Cum enim charitas in Deum feratur fruendum, possidendum, complectendum: Deus autem infinitè per omnem modum acquiri possideri in fruitionem venire & complexũ possit, inde est, quod Charitas quantumcunq; de Deo acquirat, nunquam conquiescat, sed amplius in acquirendum, & possidendum, fruendumq; tendat, ut scilicet ex infinito bono quàm plurimum acquirat, & ditescat. Et quia nunquam se ad finem perventuram, sed semper, quo ampliùs & amplius tendere possit, habituram videt, ideo nunquam tendendi, nunquam famescẽdi finem facit. Si enim faceret, non illa ad consummatam satietatem perveniret, sed finem exitiumq; sui inveniret & incurreret.

 § IV.

§ IV. Charitas perfectorum hujus temporis, est via seu cursus, seu verius volatus ad Deum. Charitas verò beatorum futuræ æternitatis est status, terminus, & quies apud Deum. De priore dictum est. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, ut aquilæ volabunt & non deficient* Isaiæ 40. 31. de posteriore autem dictum legitur, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulentâ.* Isaiæ 31 18. Igitur præsentis temporis charitatis officium est ire, currere, volare, non deficere, illius porrò munus sedere, quiescere, securè agere, perennare. Qui in hoc tempore charitatem sibi quietam imaginatur, is tepiditatem sectari ac tenere se sciat. Tantum autem inter se distant à tepiditate charitas, quantum à morte vita, à testudinis reptatione volatus aquilæ disjungitur. Igitur vera & genuina charitas, semper mutat fortitudinem, semper novam acquirit alacritatem, semper servat & adauget in se novitatem, pulchritudinis, quotidianâ imò assiduâ innovatione fervoris.

§ V, Vita perfectorum hujus temporis est bilanci simillima: cujus una pars seu lanx est humilitas, altera verò charitas. Sicut ergo in bilance quātò inferius una lanx deprimitur, tantò altius altera attollitur: adeo ut si finis unius in descendendo non esset, etiam alterius in ascendendo esse non posset: & ubi una desinit deprimi, ibi altera etiam cessat attolli. Ita planè quantò profundiùs sese perfecti deijciunt per humilitatem, tantò altiùs se se attollunt per charitatem, deijciunt se per humilitatem in suum nihilum, attollunt per charitatem in Deum, non possunt perfecti ita se in suū nihilum demergere ut profundiùs non possint: non possunt, ijdem ita se per charitatem in Deum attollere, ut altiùs non possint. Nūquam debent perfecti finem ponere dejectionis, sui in suum nihilum, quoniam in eo finis & terminus nullus est: Nunquam etiam debent ijdem finem statuere ascensus charitatis suæ in Deum, quia etiam in altitudine Divinæ essentiæ, perfectionis, bonitatis, amabilitatis, terminus & finis nullus est.

§ VI. Charitas perfectorum potissimum, ea est quâ solâ & Deus vult, & omnino etiā ea solâ potest homo (& quælibet creatura rationalis) Divinæ & naturæ consors fieri, & perfectioni assimilari, & dignitati conformari, & beneficentiæ amoriq; regratiari, Cum autem Deus sit infinitus in prædictis suis bonis omnibus: si charitas nostra opus suum exequi & officium suum agere, & finē suum obtinere vult: necesse est eam semper & semper in se ipsa, in suo conatu, in suo ardore, in suâ perfectione amplius & amplius crescere & augescere, assurgere & attolli, ut ad infinitum illud Dei consortium, ad infinitam illam assimilandi, conformandi, ragratiandi, redamandiq; seu capacitatem A seu obligationem, seu materiem, nunquam quidem ex æquo, attamen semper ampliùs, finitè tamen semper, atq; valdè parum, imò nihil comparativè semper accedat & appropinquet, eo modo quo finitum infinito appropinquare potest. Sciat ergo, & certissimè sciat perfectus quisq; se in hoc de quo ad præsens loquimur respondendi infinito Deo munere, non tam substantiâ ipsâ charitatis, quam volatu, famescentia, ardore, conatu, perpetuato profectu in charitate, id quod sui officii est facere & præstare B posse: id si negligentiùs agat, non ille se charitate in Deum ferri, sed Deum ejus neglectu contemptuq; persequi, infestumque sibi reddere pro comperto & explorato habeat. Usq; adeo in charitate nostra, non tam ipsius substantia, quam ejus in fervendo proficiendoq; efflorescentia pretium habet & gratiam proinde verus & prudens perfectus, quanta solicitudine studet vivere in charitate, tantâ & millies insuper ampliùs tantâ, studeat semper, & semper magis C & magis in germanâ charitate Dei proficere. Proficiet autem si semper omnem Dei volūtatem faciet, semper Dei gloriam propagare omnibus viribus contendet, si in omnibus Deo placere propter ipsummet Deum cupiet, & nunquam ullâ spe illectus, ullo metu absterritus, & ullâ fatigatione fractus deficiet.

§ VII. Charitas perfectorum ipsa est labor ac meritum, ipsa quoq; sui merces atque præmium. Non enim ad præmium D charitas diligit Deū: sed amat quia amet, & amat ut amet, quo posito manifestè sequitur charitatem deficere nunquam debere, nunquam etiam posse, si revera charitas, si inquam perfecta charitas est. Si enim ipsa est præmium sibi & merces: & nemo præmio mercedeq; fatigatur: sequitur quod charitas amando non modo nunquam fatigari possit, sed potiùs ad incrementum sui tanquam ad majus præmium mercedemq; suā

assurgere & convalescere debeat. Alioqui si in proficiendo cesset, opus est ut se mercede præmioq; privet, quod mori & naturæ rupugnat: consequenter contra naturam & ingenium charitatis perfectæ est. Semper ergo charitatis progressus curãdi sunt, semper ipsa suis fructibus, suis præmijs pascenda & nutrienda, ut charitas, ut suavitas, ut felicitas esse possit, tam ipsa sibi, quàm ei in quo domicilum fixit. Advertendum verò est vel paucis; quod charitas tepidorum atq; proficere negligentium in ipsâ, non tãtum non sit ipsa sibi merces & præmium: verum potiùs ipsa est sibi & animæ pœna atq; supplicium.

§ VIII. Charitas non ideo solùm crescere perfectis debet, quod ipsa sit præmium, tanto quidem majus quanto & ipsa est in se major: sed etiam ideo quia in cælesti beatitudine assequitur accipitq; à Deo præmium majus: id est charitatem beatificam, fruitionemq; ac possessionem Dei majorem ac uberiorem. Quantò ergo perfecti optant sibi majorem mercedem prædictam in cœlo, tãtò hic curare satagant charitatem in via majorem ardentiorem, perfectiorem. Quantò enim ardentiùs hic diligimus, tantò ibi serenius videbimus Deum.

Caveat tamen perfectus quisq; notatum antea hoc etiam loco scopulum, scilicet, ne ad præmium, quasi suum, sibiq; bonum diligendum sibi ardentiùs statuat Deum, id enim non charitatis, sed spei erit opus Sed ita augendi in cœlo præmii causa velit, hic semper suam charitatem augeri, ut acta charitate beatificâ (quæ est præmium cæleste) augeatur facultas summè exaltandi Deum atq; perfectissimè & consummatissimè diligendi. Nam nec Deus potest à creaturâ magis exaltari amarique, neq; creatura potest Deum magis amare & exaltare quàm benefica charitate quæ quantò est in Beato aliquo major, tantò etiam est Dei exaltatio & dilectio major; ut ergo in hac crescant perfecti, velint crescere in viæ charitate & esse quàm maximè conentur ditati atq; consummati.

§ IX. Deus charitas, & charitas Deus est. Sic enim disertè ait Ioannes. *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo.* 1. Ioan. 3. 8. & Ib. v. 16. Non est autem dubium, quod quisquis diligit Deum & æstimat, is desiderat quàm plurimum Dei habere in se manentis: quid enim felicius quam Deo plenum & plenissimum, divitem & divinissimum existere?

A ergo cum Deus Charitas sit, & qui manet in charitate in hoc maneat Deus, sequitur quod quàm maximam oporteat non quærere charitatem, ut quam maximam cum eâ possideamus Dei plenitudinem atq; affluentiam. Quo circa tribus argumentis verba prædicta Ioannis Apostoli urgent nos ad studium indefessum absolutissimæ charitatis, perpetuumq; in ea crescendi, dum hic vivimus conatum.

B 1. *Quia Deus charitas est*: ut ergo quàm plurimum de Deo habeamus, plurimum etiam de charitate habere velimus, 2. *Quia qui manet in charitate, in Deo manet.* ut ergo quàm abditissimè & penitissimè, & securissimè, & amplissimè, & quàm amplissimo propriissimoq; jure in Deo habitemus atq; maneamus: in charitate etiam quàm lautissimè, ditissimè, intimissimè, ut prorsus in visceribus, prorsus in altitudine, latitudine,

C profunditate charitatis habitemus, atq; regnemus, & hæreditemus. 3. *Quia qui manet in charitate, in eo quoq; Deus manet.* ergo ut totus quantusquantus semper in tempore & æternitate maneat in nobis Deus, laboremus, satagamusq; & nos, toti quantiquanti sumus manere, & habitare in omni plenitudine charitatis. Hæc est autem Charitas esse *secundum Cor Dei, & facere omnes voluntates eius.* Act 13 22.

D Omnes inquam, ita ut & faciamus quidquid Deus vult: & quomodo ille fieri à nobis vult, & quia ille fieri vult. Hoc est enim esse secundùm Cor Dei: hoc etiam est esse perfectum in charitate Dei.

Hæc considerata ducant te ad infatigabile studium, exercitiumq; consummatæ charitatis Dei, quæ est finis, & finalis perfectio perfectorum Dei servorum.



CAPVT V.

De Materia & obiecto perfectionis, sive, de ijs rebus in quibus charitatem suam perfecti exercere debent.

§ I  Uoniam perfectio est charitas: charitas vero est, facere quod vult, quomodo vult, & quia vult Deus, ut honoretur & exaltetur ille solus super omnia, sequitur quod materia & obiectum perfectionis sit voluntas Dei primò quidem materialiter tum etiam formaliter sumpta: hoc est, tam res quas Deus vult, quàm ipsa voluntas & volitio quâ illas vult. Sicut enim non potest Deus velle, nisi aliquid velit: ita etiam non potest voluntas Dei fieri, nisi illud aliquid fiat quod Deus voluit. Rursum autem potest ab aliquo fieri id, quod revera Deus vult fieri, non tamen ideo quia Deus vult fieri, neq; ut ejus voluntas id faciendo impleatur, sed propter aliquas alias causas: & tunc non fiet verè Dei voluntas, à faciente, sed fiet propria, vel alicujus alterius creaturæ, fiet quidem materialiter non autem formaliter. Quamobrē ad hoc ut completè voluntas Divina per charitatem fiat, necesse est omnino ut & fiat quod vult Deus, & fiat ideo quia vult Deus, & fiat eo modo per omnia quo vult fieri Deus: Hac enim ratione fient omnes volūtates Dei: & impletur illud quod de seipso Christus Dominus noster fatetur. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

§ II. Sciendum Divinam voluntatem diversimodam esse: seu, Deum variè posse ac solere etiam aliqua velle. Quædam enim vult præceptivè seu sub præcepto, eoq; vel positivo: ut cum jubet aliquid fieri: honora Patrem tuum: Diem Sabbati sanctifices. vel negativo ut cum aliquid prohibet fieri: Non facies tibi sculptile. Non assumes nomē Dei tui in vanū. Quædam Deus vult consultive tantum, quando scilicet aliquid fieri quidē vult, non tamen simpliciter præcipit ut fiat sed solummodo suadet fieri. v. g. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlo. Quædam Deus nec consulit quidem, amat tamen fieri & probat, quomodo voluit fieri, quia & probavit factum Phineis interficientis scortatores. Et levitarum, quibus dictum est. *Consecrasti is manus vestras.* Et abstinentiam à vino Rechabitarum propter obedientiam præceptumq; datum eis, non à Deo, sed solum a Patre suo. Et factum Magdalenæ fracto alabastro effundentis unguentum super caput Domini. Primi generis voluntatem Dei exequi bonum & necessarium est, intervenit enim obligatio peccati. Secundi generis voluntatem Dei facere melius est, transcendit enim obligationem omnem, & posset absq; peccato non fieri. Tertij generis uoluntatem adimplere, perfectæ charitatis est: Omnia hæc genera voluntatum Dei complexus est Apostolus, quando dixit. *Probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.*

§ III Item sciendum hanc modo dictam triplicem Dei voluntatem: aliquando proponi nobis ab ipsomet Deo per se se aut Angelos, aliquādo autem per homines, præsertim potestatem a Deo habentes ad imperādum nobis. unde triplex obediendi modus hominibus propter Deum consurgit: quem S. Patris Nostri verbis libet explicare, ait igitur ille. *Triplex est obediendi modus. Vnus cum ex virtute obedientiæ iubeor: & bonus est, Alter, cum proponitur solùm ut id vel illud faciam, cum ita parata est, ad obtemperandum voluntas, ut non expectet præceptum; isq; est melior. Postremus, cum quid efficio ex aliquo tantum signo cognita voluntate præsidis, quamvis nec iubeat, nec proponat; isq; est longè optimus. Nempe qui obediendi alacritate nec imperii summi necessitatem, nec mandati denuntiationem expe-*

expectat. Atq; sic obedire hominibus propter Deum, & tanquam revera voluntas Dei immediatè proposita foret, officium est perfectæ charitatis. Non attendẽdo qualitates personarum quibus obeditur: sintne nimirum personæ magnæ vel minoris, vel minimæ authoritatis, potestatis, alteriusve qualitatis, modò a Deo potestatem habeant, & in eis Dei autoritas collocata rèsideat, Deusque agnoscatur. Imò verò in talibus circumstantiis, a verâ charitate, atq; perfectione, Deo in minimis personis elucenti libentius obeditur, quam in supremis· Deus enim qui ubiq; idẽ est, majore charitatis vivacitate in abiectiore, quàm in altiore persona & agnoscitur & colitur, & diligitur.

§ IV. Sciendum præterea voluntatem Dei, cui exequendæ charitas perfecta inhiat triplicem adhuc inveniri: Una est exterior Altera interior. Tertia intima seu substantialis. Exterior voluntas Dei est, dum illa & tunc, quando Deus seu dictamen practicum creaturæ rationali *(Fac hoc)* manifestat per signa exteriora, sensibiliaq; puta, per vocem, per legem scriptam vocalemve, & per Superiorem legitimum, per regulas præscriptas, & signum campanulæ aut simile per usum, per rationem, per consilia prudentum, per conscientiæ dictamen, ductum, morsum, exigendo per talia signa ut fiat aliquid, ut ita fiat; & ab his externis signis vocatur exterior, quasi exteriore manifestatione sese prodens, Interior seu interna Dei voluntas est eadem quæ prior, sed non externis verum internis & minimè sensibilibus signis a Deo intimata creaturæ rationali, & dicente illi ad aurem cordis practicum item illud (Hoc fac, vel volo hoc facias) Tripliciter porro ista interna intimatio fit a Deo primo per illuminationem intellectûs, & vocatur illuminatio, inspiratio: secundò per motionem & accensionem impulsumq; voluntatis. & dicitur affectio, Motio: tertiò per delectationem & affectionem voluntatis etiam ad rem aliquam sibi scilicet Deo placitam, cum scilicet Deus homini immittit gustum alicujus rei, ita ut ea delectetur, & delectatione illâ ad ejus executionem adducatur; hæc vocatur delectatio victrix (& gratia delectans) quia scilicet suaviter evincit voluntatem creatam, ut superatis omnibus seu moris, seu obstaculis efficaciter velit faciatq; quod Deus vult, & ad quod delectatione illa gustuq; internoq; trahitur. Trahit enim sua quemq; voluptas, & hic est efficacissimus Divinæ volũtatis modus quo nostram ad omnia quæ vult adducit, captivatque liberrimè liberalissimè voluntatem.

Et hæc voluntas datur interna seu interior, tum quia interno & intimo quodam modo insinuatur homini, (& ita quidem insinuatur, ut certò cognoscat neque dubitare possit Deum esse qui intimat ac impellit) tum quia internum & intimum suum gu-
A stum Deos homini ejusq; menti communicat occultè ac sine arbitris strepituq; externo, gustum inquam quem ipse habet de aliqua re facienda, eoq; gustu communicato creaturæ eam pellicit, imò rapit ad faciendum, ad obediendum, ad post se eundum, ad recedendum à creaturis, a suis voluptatibus, voluntatibusque.

Intima & substantialis, siue potiùs Essentialis Dei voluntas est ipsemet Deus, quatenus est actus tendens in bonum illudq; appe-
B tens sibi & propter se: & non est aliud bonũ, nisi ipsemet Deus: sicut & actus non est alius, nec aliud nisi ipsemet Deus, & ita Deus se ipso actualiter in seipsũm ut bonum suum tendens, in seseq; se continens est, vocaturque voluntas Dei essentialis, est Actus necessarius Dei: quoniam Deus necessariò amat se sibi & tendit in se ut bonum suum. Et hæc voluntas vocatur propriissimè ad intra sicuti illæ duæ priores vocantur ad extra: per istas illam enim Deus manet intra se: per illam verò prodit ad creaturas extra se, per illam
C necessariò, per istas liberè, quod tunc fit: quando illa essentialis & ad intra voluntas tendentiaq; Dei in se propter se ipsum, incipit se derivare & communicare atq; manifestare extra ad creaturas & in creaturis, & creaturis, creando v. g. illas. Operando in eis, & cooperando illis, & practica dictamina intimando illis, ut ipsæ quoq; suis operationibus tendant in bonum, irrationales quidem non liberè, rationales autem liberè ac sponte, & quia ita placet Deo: quia ita inspirat, quia ita externa lege aut imperio
D rationis dictat.

Iuxta hanc triplicem Dei voluntatem, charitas trifariam tendit in Dei eandem voluntatẽ, eamq; perficit, illiq; inhæret. Nempe: 1. conformando se, seu ut conformet se externæ, quàm à Deo præscriptam sibi novit Regulæ. 2. Conformando se, seu, ut conformet se interno Dei suoq; ex Deo, gustui ac sapori, quem in se sentit, & ex suo sensu

sensu in Deo agnoscit latere. 3. Conformando se, seu, ut conformet se ipsi Deo, & ejus illi Essentiali intimoq; actui tendendi in seipsum, propter seipsum. Volēs Deo, id quod ipse vult sibi, nempe ipsum Deum, propter ipsū Deū, ut sit Deus id quod est & qui est, id quod est, ex se, in se, sibi bonus, & bonum, & omnia propter semetipsum.

§ V. Sciendum adhuc voluntatem Dei adhuc duplicem assignari. Una est voluntas *Signi*, altera *Beneplaciti*. Voluntas *Signi*, coincidit cum voluntate externa superius explicatâ. *Beneplaciti* quoq; coincidit cum voluntate internâ supra dicta, licet sæpè circa eadem sit in Deo voluntas *Signi & Beneplaciti*: quoties, nimirum actus internus Divinæ voluntatis quo aliquid creatum vult, indicatur à Deo (mediatè vel immediatè) signo aliquo ex his quinq;: 1. *Præcepto*, quo Deus semper indicat absolutam suam volūtatem præcipientem & obligantem creaturam, ut velit & quasi conetur aliquid facere. Dico & quasi conetur: quia aliquādo Deus præcipit fieri, quod tamen non vult simpliciter fieri, sed tantùm simplici desiderio, & vult tantum conari creaturam ad faciendum: & tale fuit præceptum datum Abrahæ de immolando filio Isaac. 2: *Prohibitione*, quâ præcipit Deus, seu suam voluntatem indicat negativam de aliquo obiecto ne fiat: obligatq; creaturam, & ne velit facere, & ne faciat, eò quod Deus prohibeat. 3. *Cōsilio*, quô Deus indicat, vel affectum desiderij sui simplicis circa id quod consulit: vel etiam judicium suum decernens hoc vel illud melius esse. v. g. cælibatum conjugio: paupertatem voluntariam propter Christū, divitijs licitè retentis. 4. *Permissione*: quâ Deus indicat solùm suam voluntatem de nō negando concursu generali ad id quod permittitur, deq; non impediendo ne fiat. 5. Operatione ipsa, & impletione actuali: hæc non indicat Dei volūtatem quâ vult aliquid facere, ad idq; concurrere, quin & de facto concurrit. Deus non per voluntatem omnia operatur: unde operatio ejus signum est evidens voluntatis ejus quamvis non omnia eodem modo operatur, aliter enim ea quæ solus, aliter quæ cum creatura, & hæc rursum aliter quæ bona sunt, aliter quibus comes est malitia. De hac operativa seu operante quin & de permittente voluntate dixit Iob. *Dominus dedit, Dominus abstulit*. Iob 1,21. & David: *Obmutui & silui à bonis, quoniam tu fecisti*. Psal. 30. 10. Propter hæc quintuplicia signa voluntatis Divinæ: eadem voluntas in Scriptura plurali numero explicatur, ut cum dicitur David: *facturus omnes voluntates Dei*. Psal. 110. 2. & cum idem David dicit *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius* Et *Notas fecit vias suas Moysi filiis Israel voluntates suas*. Psal. 102. 7.

A Hasce omnes voluntates Dei Charitas perfecta adimplet cum omni perfectione & gustu: idq; sive exequendo illas, sive toleran do & sufferendo ipsas Itaq; charitas perfecta Divinis obtemperat imperiis per omnia, nihil admittit, nihil appetit prohibitorum, obsequitur vel parata est quantùm in ipsa est obsequi consilijs: diligentissimè & libentissimè exercet, etiam in minimis objectis occasionibusq; virtutum actus, declinat verò vel à levissimis noxis: si enim charitas etiam in tenuissimis rebus voluntatem Dei exactè non observaret, non tantum perfecta B non esset, sed vix charitas esset. *Quare non debemus* (verba sunt S. Hieronymi in Epist. Iac: 2. 10) *aliqua præcepta Dei quasi vilia munuscula ac parva contemnere, sed imperantis in omnibus maiestatem aspicere. Nullum quippe mandatum Dei contemptibile nobis videri potest, si eius semper cogitemus auctorem*. Notandum est in S. Doctoris verbis. 1 Quod Dei præcepta munera & donaria vocet, revera enim Dona Dei sunt, ab eximio in nos ejus amore profecta: Unde illa gratiarum actoria vox. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non* C *manifestavit eis*. Et ibidem. *Notas fecit vias suas Moysi: Filiis Israël voluntates suas*. Psal. 102 v. 7. Notandum 2 id, quod Sanctus de præceptis: idem esse sentiendum de consilijs, de inspirationibus, motionibus, regulis, dictaminibus, luminibus rationis ac pruden tiæ, etiam in rebus minimis: similiter in ob servationibus, & consuetudinibus, praxibusq; bonis omnibus aut privatis, in istis enim omnibus relucet Divina volūtas, quàm charitas perfecta est, tenerè amat, & fideliter D libenterq; exequitur.

Quemadmodum etiam eadem charitas perfecta accommodat se se Divino beneplacito in omnibus eventis acceptandis & sufficiendis modestè, humiliter, suaviter cum actione gratiarum. Sit cœli & aeris incle mentia, sit corporis incommodum, sit sterilitas terræ, sit injuria famæ, sit eversio boni consilii, sit violenta aut fraudulenta oppressio, manifesta calumnia aut contumelia, o-

dium

dium sine data causa, ingratitudo & malum pro bono redditum. sit traductio & suggillatio infamiaq; defluens ab alicujus conjuncti nobis delicto & errore, sit mæror & angustia, angor animi, sit inita & elusa spes, sit publica calamitas, sit mors charorum, sit adversantium prosperitas: sit deniq; quiscũque eventus immissus vel permissus à Deo: pia, devota, perfectaq; charitas, nihil in his respicit causæ vel voluntatis, malitiæ, deceptionisvè creatæ, sed omnia uni æternæ providentiæ, suavissimæq; ac justissimæ Dei voluntati adscribit, ad summum suum bonum omnia disposita esse non dubitans omnia exosculatur, pro omnibus grates & laudes persolvit, omnia licet asperrima sint, tanquam essent placidissima & secundissima in dubitatè agnoscit & amplectitur: ex omnibus ansam Deum magis magisq; diligendi, se se Deo syncerius ac fidelius submittendi, Christo patienti & Crucifixo semet plenius conformandi accipit.

Hujusmodi Charitatem an habeas vide, ut habeas cura, ut exerceas adlabora: Intellige omnem alium perfectionis laborem esse valde sterilem, imò & vanum, si ad hanc cum Divina voluntate in omnibus constantem conformitatem practicè & realiter assiduoq; exercendam non assurrexerit. Quanto minus es hac in parte perfectus, exercitatus
A & assiduus tãto minus es, perfectioni veræ ac legitimæ propinquus, quantò magis hac in arte & praxi assiduus, practicus, consũmatus, tantò perfectioni magis vicinus, immò tanto re ipsa magis perfectus. Quotquot igitur perfecti sumus, ita sapiamus, ut voluntatẽ Dei juxta voluntatem Dei, ad voluntatem
B Dei, propter voluntatem Dei, supra voluntatem Dei faciamus & exequamur in minimis æquè ac in maximis. à quocunque propositam, & ubicunq; elucescentem etiam ex sola conjectatione, ex solo congruo, etiam secluso debito aut obligatione, etiam sine respectu præmij omnis, etiam tantum ex purâ suppositione quod ex mente & placito Dei, quòdq; Deo gratum futurum sit, quasi
C ex merâ liberalitate in Deum, & gratis supra debitum, supra votum, supra spem, supra vires, in omne etiam possibile tempus in alteriusq; circumstantiæ & conditionis omne genus, ut Deus sit Deus, quia Deus est Deus.



CAPVT VI.

De Instrumentis charitatis perfectorum in sui exercitio & praxi.

§ I Rimum instrumentum charitatis perfectorum seu perfectæ, quo illa utitur, seu illi utuntur in exercitio atq; praxi Perfectionis: est Divinæ præsentiæ amorosa æstimativaq; memoria jugis & quoad fieri potest continua, ita ut homo cogitet sibi Deũ semper & ubiq; & in omnibus rebus præsentem seq; coram illo stare agere versari, eumque amabili devotione, & devota reverentiâ prosequatur, teneatq; se in omnibus & agat loquatur cogitet omnia dignè ipso, prout placeat ipsi, ut exaltetur in omnibus & per omnia & super omnia ipse.

Hæc præsentia Dei, sive exercitium istud ejus: fundamentum est omnis perfectæ devotionis, & devotæ perfectionis: emanatque ex natura & fontibus perfectæ charitatis, sive amicitiæ cum Deo. Manifestum enim est amicos veros, & ardenter se se mutuò a-
D mantes assiduò secum esse, versari, colloqui vivere, cupere, studere, solere, de se se cogitare, de suis commodis, placitisq; & honoribus curam agere, & tunc contentari, quando in amici bonum aliquid possunt efficere. Idem igitur vera cum Deo amicitia præstare debet, & quanto verior est, tantò hac in re infatigabilior est.

§ II. Secundum Instrumentum perfectæ chari-

charitatis ad exercendam perfectionem est jugis & veluti continua cum Deo conversatio atq; ut sic loquar confabulatio. Manat hoc exercitium ex præcedenti sicut ex suo fonte rivus, fieri enim non potest, (certè non debet) ut quis in Dei præsentiâ perenni positus per affectuosam memoriam, non etiam perpetuo Dei fruatur colloquio, alloquêdo Deum, alloquentem audiendo ipsum: invocando ejus opem & gratiam, postulando beneficentiam, consulendo ejus Sapientiam expectando & excipiendo ejus largam providentiam, audiendo voluntatem, gustando eiusvoluptatem, commendando ei propriã vel alienam communemq; necessitatem, efflagitando ab eo veniam, emendicando ejus misericordiam, admirando ejus maiestaté, exaltando dignitatem, stupescendo longanimitatem, patientiam, amando bonitatem & charitatem, extimescendo ejus Iustitiam, prædicando gloriam, gratulando consummatam omnium bonorum plenitudinem, laudando & glorificando ejus in Essentia unitatem, in Personis Trinitatem.

Porrò dupliciter hæc cum Deo per oratione collocutio conversatioq; exerceri potest, uno modo per longos & productos congressus atq; cotéplationes: alio modo per breves & veluti subitaneos valde tamé frequentes, eosq; ignitos, ardétes, amétatos ad Deum præsentem dilectumq: accursus, ejusdemq; complexus, effervescentes anhelitus & ardores, quos vulgari nomine orationes ejaculatorias appellamus. Uterq; hic modus perfectæ charitati usitatissimus & utilissimus est, neq; unus ab alio separari facile debet, sed quando longo cum Deo colloquio frui perhibet charitas, obedientia, necessitas, major utilitas, seu majus obsequium Dei: tum in supplementum vicemq; ejus advocetur illa brevis, sed frequens & ardens cordis in Deum ebullitio. Contra, quando hæc repetita, sed brevis ad Deum advolatio, famé Dei acuit & initat, non autem explet, fames ista familiari illo, & longiori, per otiumq; usurpato exsaturetur sagineturque colloquio & consortio. Id quamdiu perfectis in naturam, in naturalem tamen, praximeque non transit, non facilè tamdiu perfecti esse censendi sunt. Magno enim perfectionis effectu & adjuméto indicioq; destituti sunt.

§ III. Tertium instrumentum perfectæ charitatis ad exercendam perfectionem est conscientiæ mentisq; serenitas, puritas, ac nitor. Facit enim etiam hunc effectum præsentiæ Divinæ assidua memoria & dilectio, ut ab eius aspectu mens omnino diligentis reminiscentisvé, purificetur ab omni labe, clarificetur autem omni luce, repleaturque omni decore: & reddatur perfecta in omni speciositate & pulchritudine. Cum enim Deus sit originalis pulchritudo: impossibile est coram ea, & cum eá, & in eá, sæpe, vel
A assiduè versari creaturam, quin per hoc ipsũ pulchritudinem induat, tantò maiorem & intimiorem, quantò conversatio illa, congressusq; cum superessentiali pulchritudine erit frequentior, intimior, ardentior, quando contigisse legimus Moysi, qui *ex consortio sermones Dei*, Exodi 24. 29. & ex diuturno cum ipso congressu, non tantùm in anima, verum etiam in ipso corpore, vultuq; suo inclaruit adeò, ut appareret, à promicantibus internæ lucis per corpus & vultum ejus ra-
B diis, *facies eius cornuta, nec possent filii Israel intendere mortalibus oculis in faciem eius.* 2. Cor. 3. 13. Serenatur ergo conscientia & mens perfectorum in charitate, quia qui tales sunt, & cum Deo sæpè sunt, non possunt & ipsi in se & multò magis Deus in ipsis sustinere, & perpeti aliquid imperfectum, maculosum, displicens Deo, remordens animã: sed omnino ad exemplar illius ineffabilis pulchritudinis, quam intuentur assiduè & cum qua versantur fabulanturq; perpetuò, se se componunt, & exornant omni genere
C virtutum, & earum exercitio perfecto, puta Fidei, Spei, Timoris casti, dilectionis, subjectionis, Religionis, devotionis, humilitatis & vilificationis propriæ, oblivionis sui, mansuetudinis, Iustitiæ, fortitudinis, zeli, resignationis, discretionis, orationis &c. Quare à vitiositate nævisq; omnibus (iuxta istius vitæ statum) vacui, omnibus autem virtutibus, non tantum secundùm habitus earum, verum etiam multò magis per actus strenuos & frequentes, in quotidianis & ope-
D ribus, & desideriis suis nitentes: fruuntur pulchritudine pacis, & pacificâ pulchritudine, atq; serenitate cordis.

§ IV. Quartum instrumentum perfectæ charitatis, qua exercet ipsam perfectionem est puritas, sublimitas intentionis: anima enim charitate perfecta repleta, intuens iugiter Deum, eumq; summum & ultimum bonum ac finem recognoscens, non potest in quidquam aliud intuitum suum, conatumque voluntatis suæ convertere ac defigere, nisi

nisi in unum solumq; Deum propter ipsũmet Deũ, quocũq; enim alio se converteret infinitè minus & vilius Deo id esse reperiret,& insuper id omne infinitè perfectiùs & absolutius in ipso uno soloq; Deo esse conspiceret De hac puritate, sublimitate, intentionis,perfectæ charitatis iam supra satis dictum est Cap. 2. puncto 5. toto & sequentibus. Hoc loco nihil addere opus est: nisi ut intelligat perfectus exercitator perfectionis infatigabilem se esse debere circa huius intentionis sublimatæ perpetuam quoad fieri potest conservationem, utq; conservetur innovationem actualem. Quod non est difficilè perennem Dei præsentis, & amati, æstimatiq; memoriam habenti Sed & de hac re satis, recurret enim fortè adhuc inferiùs sermo de intentione, seu intentionibus perfectorum & exercitio usuq; earum:

§. V. Quintum instrumentum perfectæ charitatis, in usu exercitioq; perfectionis est fervens & liberale, omnia cum perfectione insigni & exacta operandi studium. Virtutis enim laus omnis in actione consistit, virtutis ergo perfectæ & absolutæ laus omnis & industria in actione perfecta, sive in agendo perfectè necessariò consistet Quocirca cõsistere ista secum non possunt: Perfectio & virtus imperfecta, itemq; virtus perfecta cum operatione imperfecta convenire debet, propter quod virtus definitur dispositio perfecti ad optimum. Ergo perfectorum hominum, perfectæq; charitatis ipsorum proprietas, & officium est operari, non otiari, operari verò non tantum bona, benè, imò optimè, hoc est perfectè, & insigniter quidem perfectè, animo strenuo, hilari, liberali, fervido: perfunctoriis actionibus minimè contento, sed liberaliter accurato, & accuratè liberali, & uti loquitur Christus: *Animo in Deum divite.* Luc. 12. 21. *pulchritudinisq;* (uti Spiritus S. ait.) *studium habente.* Eccl. 44. 6. Et quia vires animi nostri, quamvis à charitate perfectâ absq; dubio multum dilatentur & confirmentur, nihilominus & per se se limitatæ sunt, & propter sarcinam hujus corporis, vitæq; mortalis conditionem multò etiam magis restringuntur: juxta illud Domini. *Spiritus quidem promptus, caro autem infirma.* Matth: 26. 41 ;Et illud: *Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* Sap. 9 15 quo fit ut homo licet perfectus ad tam multa operanda cum insigni perfectione, ad quam multa cuperet paratusq; esset, sufficere non possit. Ideo in ejus incommodi remedium contentus esse solet, ut pauca quædam (si conferuntur latitudini desideriorum suorũ) nempe juxta status sui exigentiam operari contentus sit: sed ita perfectè, ita absolutè, ita exactè, ita ad Divinum placitum, dignitatem, gustumq; accommodatè, & quasi adæquatè, ut modo actionis, illa quomodo libet minuta, quomodolibet communia, &
A ad oculum creatum nihil eximiũ proferentia, modo inquam actionis illa sublimet, & æquivalentia, imò prævalentia multis, & multiplicatis operationibus non ita perfectè peractis reddat. Constat siquidem quod unum aliquod bonum opus, eximiè tamen factum, etiam apud Deum (imò maximè apud Deum, nam hominum oculi eò non pertingunt) præponderet in pretio & merito, in præmio, in gustu Dei,maximis, sed non maximè, perfectè, peractis bonis atq;
B operibus. Unde aliud tritum verumq; simul dictum: unus actus intensus pro mille remissis facit.

Quamobrem perfecta in charitate anima, ita perfectionem exercere studeat, ut non inhiet multis, parum autem perfectis, sed potius paucis, ijs tamen impensè absolutis operationibus: Non etiam inhiet operibus super erogatoriis, quamdiu non plenè insueverit operibus præceptis, obligatoriisque perfectè & eximiè peragendis. Hoc ubi a-
C pud se revera solidè obtinuerit, ut ordinaria & debita perfectè peragat: tum ad spontãea & supererogatoria, consimiliter,absque detrimento ordinariorum & obligantium operum, perfectè quoq; peragenda se se derivare poterit. Agnoscant ergo perfecti exercitatores perfectionis scopulum & errorem hunc: & sciant, in quo primum, in quo potissimum, & in quo posterius praxim suam conatumq; collocent. Uno verbo ut dicam, primum & primarium studium pretiumq; habeant perfectæ & elaboratæ operationis.
D Secundum autem & postremum operum multitudinis. Ne illis contingat audire si secus faxint: *Quis quæsivit hæc de manibus vestris?* Isa. 1. 12. aut illud: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Matth. 23.

§. VI. Sextum instrumentum quo perfecta charitas in exercitio perfectionis utitur est oblivio, (ita Apostolus loquitur) seu parvi æstimatio omnium præteritorum suorum gestorum, & necdum in Dei gloriam, in ab-

in absolutionem virtutis peractorũ bonorum. Libet hoc Apostolicis verbis explicacare, ait ergo. *Fratres ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum prosequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo IESV. Quicunq; ergo perfecti sumus, hoc sentimus.* Phil 3 13. Hæc ille. Quæ declarari possunt illo ejusdem Apostoli symbolo, nempe currentium in stadio, 1 Cor. 9 24. & cursu pro palma decertantium, qui certè non respectant quantum jam decurrerint, sed ejus totius obliviscentes ac nullam rationem habentes: in hoc tantum spatium quod adhuc ante se habent, & quod adhuc decurrẽdum est intendentes, totis viribus & pervenire, & prævenire contendunt.

His ergo similes esse convenit omnes ad perfectionis palmam coronamq; enitentes. In quo eos mirificè juvabit jugis Divinæ præsentiæ contuitus. Cum enim Deus sit immensa & infinita quædam perfectio, & dignitas, & sanctitas: quisquis assiduè defixis cordis sui oculis infinitudinem illam contuetur: necessariò omne suum quãtumcunq; perfectum, illi comparatum ne initium quidem nec atomum, nec nomine perfectionis, imò boni, dignum intuebitur: consequenter sic evanescentibus omnibus suis divitiis seu meritorum seu virtutum, seu perfectionum in majestatis, & perfectionis Divinæ immensitate, obliviscetur omnium, & quasi nihilum despiciet universa, ad nova autem, & ulterioris perfectionis meritoriæq; ac divitiarum Dei lucra, novos per labores conatusq; conquirenda stimulabitur & inflammabitur, atq; id tantò magis tum sentiet tum faciet, quantò magis in Deum intuens, eiq; sese familiarius & intimius comparans, evidentius se se, suaque omnia quantaquanta sint, nihil & nihil, & infinities nihil, infinitiesq; abjectum & imperfectum cognoscet.

Ad quod mirificè adjuvabit omnem perfectum exercitatorem, illa Apostolica quoq; cogitatio, & est hujusmodi. *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternũ gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4 16. Opera enim nostra comparata illi mercedi magnæ nimis. quæ alia non est quàm ipse immensus in beatitudine & beatificatione suorum Deus: impossibile est ut non extinguantur & vilescant apud possessorem suũ: & consequenter animus ad plura ad nova, ad majora, ad insignius perfectoria conquirenda necessariò excitatur & exardescit: Idem facit immensorum Dei super hominẽ effusorum & continuè emanantium, emanaturorumq; beneficiorum infinitudo, quibus omnia hominis propter Dei placitum & gloriam, & amorem gesta perpessave impossibile est non obrui, & non extingui ac
A proinde etiam necesse est hominem ad novos labores conatusq; perfectionis, propter Deum amplius, ampliusq; eorum recogitatione, & ineluctabili ex eis ad respondendũ effluente obligatione atq; provocatione adigi, ac planè compelli, exemplo illius in simili occasione secum deliberantis. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Psal. 115. 13 seu 3.

§ VII. Septimum instrumentum quo
B charitas perfecta in exercitio perfectionis utitur esse constantem, in omnibus supradictis, aliisq; bonis perfectis perseverantiam, perseverãtemq; constantiam, usq; in finem. Hæc enim si desit, frustra alia omnia præcesserunt. nam in vanum diu cucurrit, qui antequam ad metam finemq; cursûs pervenit, currere desiit. Inde illa monita Divina: *In fine ne corrumpas Et nemo coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.*: Psal 74. 1. maximè verò illegitimè certat, qui ante finem certaminis à certamine cessat. Victum se enim
C agnoscit, qui non finito certamine deficit. At enim in re nimis evidenti morari explicatione nil opus est Sufficit dicere, vere semper Deum præsentem intuenti, obrepere non posse negligentiam, & ante finem finiendi studium, aut propositum. *Siquidem charitas nunquam excidit.* 1 Cor. 13 8. excideret autem, si ante legitimum finem amare, amandique, operari cessaret.

His septem præcipuis singularibusque in-
D strumentis perfecta charitas perfectionem operatur: in his ijsdem omnis perfectus sese exerceat. Ut enim volucris, si alas integras, & nihil oblæsas habeat, cæteraq; soluta, & tam à cavea, quàm a vinculo expedita sit, liberrimè in sublimè evolat, & immensam illam aeris spatiositatem sine labore permetitur: Sic animus perfecti hominis hisce instrumentis veluti pennis instructus, & cætera ab omnibus impedimentis expeditus,

tus, omnem sanctæ perfectionis vastitatem libero volatu, facilitateq, mira permeat: & usq, ad ipsum omnis perfectionis Patrem atque fontem, nec non largitorem & conservatorem, augmentatorem etiam, & coronatorem, sincera charitate aditu obtento, securissimè habitat, apud ipsumq, imò in ipso perennat. Agat itaq, perfectus quod sui muneris est, & jure charitatis, quæ nec repulsam apud Deum pati potest, nec in seipsa languorem aut vetustatem cessatione que experiri solet, indefessus utatur, sine dubio amplexu & fructu desideratissimæ perfectionis ex Divino munere potiturus.



CAPVT VII.

De fructibus sive effectibus operibusque perfectæ charitatis.



§. I Quemadmodum alia est charitas incipientium & inchoata, alia proficientium, alia denique perfectorum, & (pro statu hujus vitæ) perfecta. Prior ferè adhuc sterilis est, vivens tamen, & vitam ei cui inest tribuens secunda viget, viret, & floret, spem fructuum promittens necdum habens: postrema fructibus maturis onusta, grata, proficua. Bene potest comparari triplex ista charitas arboris fructiferæ & viventis, triplici statui, quorum unus est ille, quem hyeme habet, alter quem in vere: tertius quem in Æstate & Autumno obtinet; in primo enim vivit solum, sed nec viret, nec floret, in secundo viret, floret, & in fructus acerbos tandē cogitur, in tertio fructus ad maturitatem excoquit & producit, & offert.

§ II. Non est verò putandum charitatem inchoatam incipientium non omnino carere fructibus suis, quibus incipientes suos pro teneritudine sua utcunque fovet & confirmat uti fere sunt, Dolor & Contritio de peccatis frequentior. Desiderium Deo pro ijs satisfaciendi quàm plenissimè. Timor reincidendi in peccata, circumspectior vita & occasionum fuga. Amor operum pœnitentiæ corporalis inq; corpore tractando severitas. Tentationum impugnantium & metus & simul vincendi conatus. Impugnatio veterum pravorum habituum, Amor & fames lachrymarum contriti cordis. Desiderium & spes veniæ, cum recognitione indignitatis Querela & mæror de impotentium affectuum passionumq, infestatione.

A § III. Etiam proficientium charitas habet fructus suos, minus quidem prioribus illis acerbos, necdum tamen maturos & excoctos, sed veluti pene adhuc in floribus latentes. Uti ferè sunt: Desiderium omnium virtutum: Desiderium exercitij earum. Amor quàm celerrimi profectus. Venialium peccatorum crassiorum, & voluntariè deliberatèq, commissorum fuga Fervor in agendo: Desiderium magni agendi, & etiam patiendi. Laboris in exercitio virtutum in

B sui victoria, in edomatione passionum, in rejectione tentationum, adhuc quodam cum horrore, animosa tamen aggressio, & toleratio. Abnegatio voluntatum propriarum, vilificatio & contemptus mundanarum vanitatum Corporis etiam ab licitis solatiis repressio, sensuumq, frenatio. Tener in Christum passum amor, ejusque virtutum æmulatio. & consiliorum æstimatio. Con-

C scientiæ subtilis teneritudo, metusq, peccati etiam ubi peccatum non est Amor mortificationum externarum ob assimilationem Christi patientis, Orationis multæ studium, bonarum intentionum in operando exercitium. Cupiditas multorum & magnorum apud Deum meritorum. Spes magna de Remissis peccatis, calcatio vanæ gloriæ & complacentiæ propriæ

§ IV. Charitatis perfectæ fructûs, sunt prio-

prioribus ulteriores longe suaviores, sinceriores, durabiliores. Quantò nimirum charitas huius statûs est perfectior aliorumque præcedētium statuum charitate consummatior, tantò etiam ad gignendos fructus maximos, copiosissimos, perfectissimosq́, appositior, & accommodatior, ita ut ista charitas meritò vocetur Mater pulchræ dilectionis, & Mater honorificata, & lignum vitæ in medio paradisi, in corde nimirum animæ in virtutibus perfectæ, ideoq; etiam Deo gratissimæ, & tanquam ad voluptatem Dei perpetuam abundanter instructissimæ. Quos fructus ista charitas sic assiduò gignit, ut nunquam exhauriatur sive ad novos novosque proferendos, sive ad eosdem amplius ampliusque perficiendos, & perpeti conatu expoliendos: imò etiam foras ad multorum salutem solatiumque sine proprio detrimento derivandos communicandosque.

§ V. Primus fructus charitatis perfectæ est jugis jucundaque ad Deum per memoriam, intellectum, & voluntatem conversio: ut enim acus magnetica semper ad septemtrionem respicit, ita charitas perfecta mentem ad Deum semper advertit. Neq; verò in Deo quærendo laborat, aut longè à se egreditur: sed quemadmodum prædictus magnes ubique septemtrionem invenit, ita mēs charitate perfecta ubiq; Deum reperit, ubique sapientiam & veritatem & præsentiam ejus agnoscit, ubiq; bonitatem & perfectionem ejus experitur, ideoq; diligit, ubique in eum, ejusq; immensitatem absorbetur, & eo fruitur, ubiq; in eo est, eumq; in se intimius quàm ipsam se habet, ubiq; operantem in se, per se, pro se invenit, intuetur, possidet.

§ VI. Secundus charitatis perfectæ fructus est, desiderium studiumq; unius solius Dei obtinendi, eidemq; soli placendi. Charitas enim non potest esse sine Deo quem amat, & quia ille immensus infinitusq; est in omni bono, adeo ut nunquam ita plenè haberi possit, quin adhuc plenius haberi idoneus sit: inde fit ut charitas & solum Deum desideret, & eum quocunq; modo obtinere, nunquam satis sibi reputet, sed perpetuò plus & plus de illo habere, plus & plus eum sibi affici, plus & plus se illi placere, plus & plus eo ipso repleri anhelet. Maximè cùm etiam charitas tantò magis capax efficiatur Dei, quantò plus repletur Deo: Deus enim ita replet habentem se: ut plus adhuc replere eundem possit: consequenter replendo habentem dilatat: ut plus de se capere idoneus sit: idoneus per desideria, quæ sunt vera animæ magnitudo, quæ quia per Divinam præsentiam dilatantur, inde necesse est, ut etiam animæ capacitas ad augmentum plenitudinis seu repletionis Divinæ augeatur.

§ VII. Tertius fructus charitatis perfectæ est, non tantum omnium rerum creatarum, sed etiam suimet ipsius, id est hominis
A oblivio. Ut enim rivulus in mare illapsus: non ille quidem substantiam suam deperdit, attamen totus in maris vastitatem, & (ut sic loquar) majestatē transit. Sic homo vel anima charitate in Deum illata: manet illa quidam quod ex conditione creationis est, attamen à Divinæ, tum essentiæ, tum perfectionis immensitate, ita absorbetur, ut nec ullas creaturas, nec ipsam se esse sibi reputare possit. Est ergo, sed minima sui parte extra Deum est, tota autem mente, toto cor
B de, totis viribus, totis affectibus, tota recordatione, tota intelligentia, tota voluntate, totâ demum se, aut ampliore melioreque sui portione in Deo, imò & Deus est, juxta illud, *Deum diligis, Deus es.*

§ VIII. Quartus fructus perfectæ charitatis est, silentium tam cordis quàm oris. Verus enim perfectusq; amator Dei, nulli colloqui amat, nisi soli Deo, quodsi charitas proximi exigit de Deo, extra hanc causam rarissimè, parcissimè, circumspectissimè,
C ponderatè, & penè dicam scrupulosè os aperit: secum, & cum Deo sicut habitat, ita & loquitur tantum. *Cum enim qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir.* Iac. 3. 2. vice etiam versa, qui perfectus est vir, in verbo non offendit tam mentali, quàm corporali. Ideo bene charitas perfecta comparari potest illi carboni seu calculo ignito, quò unus de Seraphim, de altari ante Deum sito, forcipibus sumpto, labia Prophetæ tetigit, & mundavit, *ne amplius vir pollutus labiis esset.* Isa:
D 6. Charitas quippe perfecta carbo est, coram Deo, & ex Deo ignescens Seraphicis cognata mentibus: linguam mentis & oris virtute sua ignitâ emundans, & per silentij amorem cultumq; ad justitiam deducens.

Maximam quippe Iustitiæ perfectorum partem animâ possedit, quæ vitia infinita propemodum linguæ à se abjecit: non est autem commodior charitati ad hanc peccatorum hydram exscindendam gladius, quam

religio.

religiosus, & tenax silentij cultus, quod quia Magistra charitate perfecti probè cognoscunt, ideo tam menti quàm ori suo silentij frenum inijciunt, & verbis suis omnibus stateram atq; pondus statuunt. Quâ operâ simul etiam fervorem ipsius charitatis, vigoremq; devotionis internæ lucri faciunt. Experientia namq; docti cognoscunt, quod quotiescunq; se se per loquelam effundunt, toties frigidiores se in spirituali devotione inveniunt.

§ IX. Quintus fructus charitatis perfectæ est disciplinata exterioris hominis per omnia compositio non efficta illa & affectata, naturæ & statui hominis minimè congruēs ac proinde onerosa ridicula violenta: sed connaturalis, & ea omnino quæ decet Sanctos, quæ nota est omnibus hominibus atq; probata, & ad ædificationem, imitationem, commonitionemq; eorum idonea. Cum enim charitas magistra per optima sit, tota illa exactissimis simulq; suavissimis suis legibus mentem et animam imbuit, omnibus ejus potentiis, viribus, motionibusq; disciplinam & normam ponit: quam deinde per necessariam animæ ad corpus sympathiam ac dominationem, in corpus quoq; derivat, & universa ejus membra, omnes motus, gestusq; ad regulas legesq; in anima insitas ita componit & castigat, ut non tantum indisciplinatum offensivumq; nihil admittatur ab ulla parte corporis exteriore, sed etiam otiolum, aut à ratione imperatum, corporis, eiusve partis, factū non facilè sit invenire: & hoc quidem proinde extra omnium hominum oculos: quàm & in conspectu quantæcunque multitudinis. Inde fit ut ad præsentiam perfecti hominis alii omnes ut plurimùm sese componant, & nescio quomodo modestiam sibi ab illo morum & actionum indictam credant, & non solùm ipsius

A exactos ad disciplinam, mores approbant: verùm etiam illos in se se, facili quodam, & efficaci magisterio necessitati derivent. Inde est illa Divi Ambrosij vox: *Pretiosum est videre virum iustum, plerisq; enim, iusti aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus verò lætitia, Nimirum Iusti sanat aspectus, & ipsi oculorum radii virtutem quandam videntur infundere, iis qui fideliter eum videre desiderant.* Ambros. in Psal. 118. v. 74

B Hæc de fructibus charitatis Capiti sufficiant: alii fructus, aliis Capitibus venient considerandi: porro tam in his qui jam expositi sunt, quàm qui deinceps exponentur, perfectus homo considerando cognoscat, quibus in operibus perfectionem seu charitatem suam exercere, industriamq, perfectæ charitatis exerere, unde ejus soliditatem, suumque in perfectione progressum metiri

C valeat. Indubitatè namq, tantum de integritate perfectionis suæ, quantum de præsentia in se, tam excellentium fructuum charitatis, non mentiente, nec blandiente, sed ex veritate Divinæ lucis affirmante conscientiâ præsumere poterit.



CA-

CAPUT VIII.

De aliis fructibus sive effectibus perfectæ charitatis.

§ I. Extus charitatis perfectæ fructus est, amor, studiũ, bonus usus, conservatio ubique solitudinis. *Anima perfecta est similis illi Mulieri sole amictæ, lunam sub pedibus habente, stellis coronatæ* Apocal. 12. fæcundæ atque parturienti, cujus proli masculæ nè draco nocere possit, dantur ei alæ, quibus sublevata evolat in solitudinem, ad locum paratum sibi à Deo, ut ibi pascatur per tempus & tempora.

Istæ alæ non aliæ quàm charitatis sunt, quarum una est fames Dei, altera Delectatio in Deo; hisce anima sublevata, avolat ab omnibus impedientibus, & remorantibus perpetuam apud Deum commorationem jugemq; cum ipso conversationem, & trãsfert se in solitudinem omnis amoris, omnis curæ, omnis cogitationis, quantum status ejus oneraq; vitæ patiuntur, ut tota ad solũ Deum conversa, totaq; illi immersa, omni terrenarum strepitu silente curarum, lucis æternæ aspectui vacet, loquentem ad cor sapientiam audiat, lactantem se voluptatem castissimi Dei spiritus, ad sobriam ebrietatẽ bibat. Sicq; in se se complerum experiatur illud Divinum promissum. *Ecce ego lactabo eam: & ducam eam in solitudinem: & loquar ad cor eius.* Ose: 2. 14.

Charitas ergo perfecta, & ab experimentali fruitione Dei in famem ejusdem acta: solitudinem creaturarum omnium valdè appetit; & omnem ejus occasionem sedulò arripit: arreptam in fruendi Deo beatum laborem convertit: quod si quandoque ad obsequium aliorum propter Deum converti cogitur: solitudine tamen sua non tantum non egreditur, sed etiam illam secum ubique circumducit, & inter medias seu hominum seu negotiorum turbas, in solitudinis suæ bono esse, Deo videlicet nihilominus perfrui conatur.

§ II. Septimus charitatis fructus est perfectio tam operationum, quàm operum. Charitas enim perfecta, ut est familiarissima Deo in conversatione, ita etiam est simillima eidem in operatione. *Dei autem perfecta sunt opera:* Deut. 32 4. propterea & charitas talia sua esse magna cum sedulitate curat. A Neq, dedignatur Deus eius æmulationem: quinimò delectatur cum ea venire in certamen, & ineffabili dignatione exambit eam habere in operando (non absq, tamen Dei munere) superiorem, fatente ipsamet veritate cum ait. *Amen amen dico vobis qui credit in me* (fide utique per dilectionem operante) *opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet* Ioan. 14. 12. Adeo scilicet B Deus charitati indulget, ut ejus opera, suis propriis gaudeat, quodammodo esse illustriora, Charitate tamen interim suas fidelitatis partes minimè negligente: sed omnia in Deum, sicuti revera ejus omnia sunt, sincerissimè refundente: ac dicente. *Omnia enim opera nostra operatus es nobis Domine Deus noster.* Isa. 26. 12. Si ergo in charitate perfecta aliqui nos esse, C vel credimus, vel cupimus, tantam diligentiam in operibus nostris, quantam Deus ipse, adhibere laboremus. *Curemus ut singula nostra opera quàm possumus optimè peragamus, ad normam virtutis Domini nostri IESV Christi, secundùm omne desiderium triumphantis ac militantis Ecclesiæ, quasi tota salus nostra, quasi universa Dei gloria, quasi totius universi conservatio, ex unoquoq; nostro opere dependeat, quasi nunquam ad id opus reversuri, quasi nullũ aliud opus deinceps* D *incepturi.* D Thom. de mor: divin: in fine, seu n. 54. Nullam intentionis sublimitatẽ, nullam perfecti operis circumstantiam deseramus,

§ III. Octavus charitatis perfectæ fructus est immunitas à lapsibus venialibus etiam minimis voluntariis, gravis autem sensus, etsi non inquietans, defectuum ex fragilitate obrepentium. Absurdissima enim res est, non dico in perfecta, sed in qualicũ-

que

que demum charitate Dei, offensa eiusdem spontanea & deliberata quis credat amari Patrem à filio, amicum ab amico, sponsum à sponsa, quem nolit quidem ferro aut veneno enecare, non omittat tamen qualibet occasione, alapis cædere, irridere, vilissimis quibusque advenis posthabere, vulneribus citra mortem tantùm afficere.

Talis dilectio apud cordatos æquivaleret ipsi odio. Procul ergo à charitate tanta incivilitas ultroneè incurrens in Deum, vera charitas ne obrepere sibi quidem vellet fragilitatis nævos, & ab eis se se quotidiano amoris contritionisque ardore, nec non IESU Christi sanguinis, ac meritorum balneo, voluntaria quoq; tum cordis tum carnis castigatione, ac demum multiplici compensantium perfectarum operationum fænore coram Deo expedire nunquam negligit: ut quantum hæc vita patitur, quàm sæpissimè absq; omni, quâ culpæ, quâ pœnæ obligatione, inveniri ab ipsismet castissimis Dei oculis possit.

§ IV. Nonus charitatis perfectæ fructus est cogitationum & cordis non tantum mũdities, sed etiam sublimitas atq; in æternas rationes intuitus. Est enim charitas perfecta ortum ducens de semine Regio atque Divino, ideo pares generi suo spiritus & animos fovet: non dignatur per terrena humilia, abiectaq; serpere, sed assiduo assurgit ad excelsa, ad Deo digna, Deo gustabilia, Dei altitudini supparia. Quâ in re Deus charitatem suâ indole præditam agnoscens, delectatur generositate ipsius, & fovet spiritûs ejus: *Abscondit eam in abscondito faciei suæ.* Psal. 30. 21. non tantùm *à timore nocturno*, non tantùm *à negotio perambulante in tenebris, sed etiam ab incursu & dæmonio meridiano, etiam à vanitatibus & insaniis falsis* Psal. 90. 5. *Creat autem cor mundum in ea: & spiritum rectum innovat in visceribus eius:* Psal. 50. 12. Spiritum etiam Sanctum infundit illi. & deniq; spiritu principali confirmat ipsam. Unde fit, ut charitas talibus Divinis favoribus communita, animam quam inhabitat, facit per omnia cultissimã, ornet *tanquam sponsam paratam viro suo, efficiat veluti Civitatem sanctam habentem claritatem Dei, & lumen eius simile lapidi pretioso, tãquam lapidi iaspidis, sicut crystallum, in quam nihil intrat coinquinatum, aut abominationem faciens.* Apoc. 21. 10. Beata anima, quæ isto charitatis spiritu animatur, & vivit, & operatur, opera enim ejus permanent usq in vitam æternam: *& charitas quæ nunquam excidit* 1. Cor. 13. 8. facit eam gratiosam in oculis altissimi, tanquam cognitam sibi propter ipsam.

§ V. Decimus perfectæ charitatis fructus esse culturam & inspectionẽ cordis per assiduum, severum, infatigabile examen atque scrutinium. Charitas enim perfecta, est
A Matrona illa, mulierq; fortis ac sapiens: quæ inter alias administrandæ domus suæ industrias, *etiam consideravit semitas domûs suæ, quod nisi factitasset, otiosa panem comedisset.* Prov: 31. 27. Itaq; & Charitas ponit cor suum super vias suas, & palpebris suis præcedit, ac sequitur gressus suos. Novit enim thesaurum suum in vase valdè fictili reconditum esse: quod non minus facilè sordibus infici, quàm & destrui potest, illud ergo nõ tantum à corruptione, sed etiam ab infecti-
B one, omnimodâ diligentiâ custodit, satagẽs ut ex eo vita quidem procedat semper, excedat tamen nunquam. Porrò charitas ista linceos habet oculos: acutissimè introspicit omnia, dissimulat nihil. Est enim valde tenera & delicata: quam non tantum Aquilo, sed vel ipse Auster austerior intimè penetret. *proinde veretur omnia opera sua: & in lucernis scrutatur opera ipsius etiam Hierosolymæ, & ab ipso sanctuario Dei incipit.* Quodsi charitas non facit: meritò suspecta est, an sit
C quod esse prædicatur. Charitas namq; gemina & perfecta cordialissimè cavet ne in conspectu Sponsi sui cœlestis inveniatur minus, non tantùm munda, sed etiam exculta, quocirca mavult ipsa seipsã judicare: quàm incurrere censuram oculorum exigentis omnia ad purum Divinæ majestatis.

§ VI. Undecimus perfectæ charitatis fructus est alacris cupidaq; adversitatum sustinentia, immo sine illis tædium & languor Charitati siquidem dictum est; *In patientia possidebitis animas vestras*, & cum nulli ma-
D gis competat animas per quam plenissimo simul ac securissimo jure possidere, quàm charitati; nihil mirum est, illam obedieatẽ consilio sapientiæ Dei patientiam quàm maximè consectari, ut in possessione animarũ suarum semper se conservare possit Est etiam fortis & planè militaris Virago charitas: *in quâ confidit cor viri sui: & mittit manum suam ad fortia.* Prov. 31. 11 19 25 Neq; solum decorem, sed etiam fortitudinem induit: atq; omnia adversa, imò vel ipsa novissi-

ma

ma ridet, ac irridet. Charitatis est vox illa: *Cum infirmor, tunc potens sum:* illi etiam dicitur: *Virtus in infirmitate perficitur,* illi datur *certamen forte ut vincat:* illa monetur: an potius illa est quæ monet: *Omne gaudium ut existimemus, cum in varias tentationes & tribulationes inciderimus.* Denique illius beatitudinibus accesetur, *persecutionem pati propter iustitiam.* Vera ergo & germana atq; perfecta charitas est, quæ pati & contemni habet in desiderio & fame cum abest, in delciis autem eum adesse. Sicut ignis absente languet affuso crescit oleo.

§ VII. Duodecimus perfectæ charitatis fructus est hebetudo atq; torpor quidam sensualitatis atq; sensuum, totiusq; corporeæ tam externæ, quàm internæ vitæ. Sicut enim homo componitur ex sensu & ex spiritu, sive ex corpore & animo, ita etiam dupli ci calore vegetatur calore scilicet sensûs & corporis, & calore animi atq; spiritûs. Calor sensûs est concupiscentia delectabilium sensitivorum, calor autem spiritus & animi est charitas. Ita porrò isti calores inter se ordinatur in uno eodem homine, ut simul regnare & excellere non possint: sed unius augmentum, alterius fit dominatio. Unde illud Augustini dictum. *Augmentum charitatis diminutio cupiditatis, perfectio charitatis nulla cupiditas.* Charitas ergo perfecta abolet cupiditatem, aufert pondus sensualitati, vigorem carni, vivacitatem sensui, talem omnino facit inferiorem portionem hominis quàm animalitatem, sensualitatem, carnē que vocamus; ut ad suá delectabilia obiecta non tantum effrenatè non ruat, non tantum in eis impotenter & vehementer non absorbeatur, sed etiam absentium non meminerit, præsentium verò gustum hebetem obtusumq; vel etiam nullum sentiat: amara necessitate ad ea ducatur, & ab eorum usu velociter facileq; explicetur. Contra autem ad afflictiva sui objecta se habeat, duce charitate: ita nempe ut duris, doloriferis, vilificativis, asperis non terreatur, sed etiam delectetur, sine ijs langueat & torpeat, usu & adhibitione eorum excitetur, sponte eorum inflictionem ab animo spirituq; exigat, & libenter ijs subijciatur: adeo ut discretione opus sit, ne ipsum animum extra limites debitos mensuramq; extrahat.

Sic charitas suis spiritusq; legibus carnē subditam facit: ut ab ea non hostem sed civem, non recalcitrationem, sed promptitudinem ad obsequium, quin & ipsam prævētionem experiatur. Docet carnem amare jejunia, & inediam appetere, insomnia frequentare, asperitates quærere, flagellationes expectare, inter cœli aerisq; inclementias gaudere, delectabilia, mollia, blanda, dulcia, saporosa abhorrere, soli necessitati & quidem ægrè, obiter, parcè, servire. Uno verbo perfecta charitas fermè non experitur illud *Spiritus quidem promptus, caro* [A] *autem infirma,* sed potiùs, quàm spiritus promptus, tam caro obsequens.

§ VIII. Decimus tertius fructus perfectæ charitatis est, tam mentis quàm carnis puritas, castitas, constans à phantasiis etiam immunis, rebellionis brutæ expers, in animalibus spiritibus etiam inter occasiones pacata, frigida, & veluti in carne carnis nescia. Magnum, rarum, arduum donum: charitati tamen concessum cum perfecta, & solida, & constans est, maximè verò quando [B] in Deum dives. Tunc enim Deus liberalitate cum charitate certat: vincereq; ejus generositatem gaudet: & prout charitas, nihil præter, & extra Deum quærit, appetit, admittitq; ita vicissim Deus charitatem nihil cogitare, nihil amare, nihil sentire, nihil experiri, nihil pati sinit, nisi se unum & solum. Vana omnia, otiosa omnia, supervacua omnia, immunda omnia, creata omnia, privata & propria omnia ab illa submovet proculq; arcet: *neq; clamorem exactoris amplius audire permittit:* [C] sed eum ipse in solitudine suæ Deitatis lactat & pascit, protegitq; tam ab æstu in medio ignis, quàm à frigore in medio nivis, quoniam sicut ipsa, ita & Deus charitas est. Quodsi misericordiæ in Eleemosynam profusæ quæ est portio quædam charitatis, concessum est, ut sicut aqua ignem, sic illa extinguat peccatum omne: quantò plenius & æquius dabitur ipsi Matri charitati extinguere incentiva improbi ignis?

§ IX. Decimus quartus perfectæ charitatis [D] fructus, est oblivio privatorum commodorum: tantum autem communium, tantum quæ IESU Christi, tantum quæ Dei honoris placitiq; sunt memoria, cura, & solitudine. Manifestè Apostolus inter laudes veræ perfectæq; charitatis hoc etiam numerat, *non quærit quæ sua sunt.* 1 Cor: 13. 5. Et meritò, cum enim charitas amicitia, amorq; mutuus sit, non potest tueri & servare naturam suam, nisi in alium à se derivet dilecti-

onem

onem suam, in alium autem non quemlibet sed absolutè in Deum unum & solum super omnia, propter Deum verò in alia etiam, pro cujusq; conditione omnia.

Eam obrem charitas & *cooperit multitudinem peccatorum*: & supportat morositatem alienorũ onerum, & sollicitè procurat multitudininem alienarum necessitatum, & gaudet super felicem successum alienorum bonorum. Charitas tunc tantum benè sibi esse reputat, quando omnibus, & imprimis Deo suo, benè est; tunc etiam miseriis alienis tanquam suis, imò plus quam suis indolet, quando aliis, quos in Deo, propterque Deum diligit, malè est. Charitas dum operatur, quod omnibus prosit operatur. Dum loquitur, quod omnes ædificet loquitur, dũ cogitat, id quod aliis proficiat cogitat, dum orat, pro omnibus orat, dum vivit, non sibi sed omnibus vivit. adeo ut etiamsi sciat melius sibi esse dissolvi, attamen in carne contenta sit remanere, si hoc sit aliis necessarium. Hanc oblivionem suorum privatorum commodorum, incuriamq; incommodorum, charitas perfecta discit ab exemplo Dei sui, cujus germanissima est filia. Deus enim ad extra operans, omnem suam operationem in bonum creaturarum confert ipsarum, nihil sibi emolumenti exinde decerpens, nihil expectans, nihil sperans, in hoc ergo ingenio charitas eum æmulatur, ut non sibi vivat, non sibi operetur, non quæ sua sunt quærat, sed per omnia omnibus placeat: A Deum autem & Christum ejus in omnibus, & super omnia glorificet.

Hosce fructus homo perfectus, perfectionisq; exercitator in se charitateq; sua dispiciat, & indaget: è quorum inspectione, seu potius inventa conditione, plusq; aut minus consummata completione, charitatis suæ perfectionem, plus, aut minùs exactam cognoscet. Sicut enim ex fructibus suis arbor, ita ex suis charitas agnoscitur. Nec B mirari quisquam debet tam exactos fructus charitati tribui: sed attendere velit de perfecta charitate hic agi: quòd si raros & arduos ejusmodi fructus cogitat: inde charitatem perfectorum admodum raram, sed simul admodum appetendam esse concludat.



CAPVT IX.

De aliis adhuc fructibus effectibusque perfectæ charitatis.

§ I. DEcimus quintus perfectæ charitatis fructus est facilitas orandi, ad orationem recurrendi, & omnium rerum ante omnia alia media ab illa initium ducendi, in ea conquiescendi atq; ab ea, & in ea animi transformandi, & ignescendi. Charitas enim perfecta est amicitia sincera & consummata cum Deo, apud Deum præstans omnimodam fiduciam, atq; subsidii omnis certitudinem, & adeundi quo vis tempore, loco, occasione, liberam facultatem. Illa facit ut omne consilium & propositum, & desideriũ **animi nostri, cum Deo magis, quàm cum** ipsis nobis communicemus superq; eo Deũ interrogemus: & ab eo, an, cur, quomodo hoc illudve aggrediendum sit, ejus animi sensum indagemus, inconsulto, non approbante, non benedicente illo, quidpiam C moliri, & inire erubescamus. Habemus ejus rei exemplar in ipsiusmet Dei cum homine amicitia. Gradiebatur Deus contra Sodomam erat comes Abraham: Dixit Dominus: *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* Gen. 18. 17, est illud Christi ad Philippum. *Vnde ememus panes, ut manducent hi?* Facit ergo hoc charitas ut sine oratione prævia, & comite nihil omninò faciamus. Facit & hoc, ut in oratione ad Deum conquiescamus: tum securi opis imploratæ ab eo præstan-

præstandæ opportunè: tū certi oratione ipsa hujusmodi Divinum gustum cieri expleriq; quidquid interim voluntate suá, de rebus nostris ille statuerit.

Deniq; facit hæc charitas, ut transformemur, quodammodo Orantes Deum, quia enim charitas ignis est, quia oratione maximè ventilari amat & solet: necesse est omninò, ab impulsu charitatis, orationi vacantes nos transformari, & transflammari, correptos ardore cœlestij aliquando quidem etiam sensibili, semper autem rationali flamma spiritûs invadente.

§ II. Decimus sextus perfectæ charitatis fructus est, elevatio supra curas, & vacuitas ab eis. Tale enim est negotium charitatis perfectæ, talis ejus energia, atq; operationis latitudo: ut omnem quem possedit activitate & actione suá occupet hominem, hominesq; potius omnes in suum obsequium captivet, ab aliis autem avocet, & vacationem inducat. Unde perfectè amans nihil præter amare cogitat, cognoscit, meminit, vult, amat, facit, valet, sentit, probat; patitur, gustat, inquirit, admittit. In amando enim omne bonum cum reperiat, contētus hoc uno solo est opere, certus alia omnia negligere & deserere, vel certè in amorem ipsa quoq; convertere, & amore absorbere.

Unde sicut in magnam igneamq; flammā, nec muscæ, nec culices, neq; quidquam aliud ejusmodi volat, vel si involet, in flammā mox abit, pabulumq; ejus efficitur: ita in animam charitate flammescentem, prorsus vel incurrit nihil: vel si quid: illud charitatis cibus redditur: & animam in sui operis quasi jam sibi cognati, nempe amoris, amandique exercitio, & possessione, quietam requirit. Et hæc est illa charitatis solitudo: de quá supra dictum Cap: 7 § 8. Hæc etiam est charitas otians: sed majora & plura omni operatione operans, de qua inferius. Cap. 13. § 8 & 9.

§ III. Decimus septimus perfectæ charitatis fructus est, facilitas & frequētia imò assiduitas exercitii virtutum: & quidem non aliquarum aut paucarum tantum, sed universarum prorsus atq; singularum. Ut enim sol iste visibilis, unica licet per motū eumq; citatissimum lucis suæ circumlatione, infinitè tamen multos, ac simul diversos operatur in totá terra effectus atq; fructus: uti quotidiana experiētia discimus; Ita charitas unica sit illa licet, unico amoris sui veluti motu & spiritu, in animæ sibi subditæ veluti agro per quam latissimo, innumera omnium virtutum opera suavissimè infatigabiliterq; operatur, ita ut nulla virtute prorsus patiatur animam esse vacuam: minimè dubia tantùm sibi de sua perfectione, quantum animæ suæ de virtutum plenitudine defuturum. Atq; ita sicut anima informando corpus, totum hominem præstan-
A tissimis simul ac tenuissimis, manifestissimis simul ac serenissimis implet operationibus. Ita charitas, quæ est etiam vita, & anima animæ, totum hominem spiritualem, omni genere studiosarum operationum, tam extrinsecus, quàm intrinsecus implet, perfectumq; constituit. Nequaquam desistit: sicut anima aut sol nunquam cessant.

§ IV. Decimus octavus perfectæ charitatis fructus est fœcunditatem proficiendi perfectaq; exercendi. Cum enim charitas hæc perfecta sit: nihil agere nisi perfectionem,
B perfectumq; potest. Et cum hujus charitatis perfectio, viæ sit adhuc, non patriæ, non in consistentia, sed in profectu, non in quiete, sed in motu posita, inde est, ut assiduò ad ulteriora nitatur, non secus ut navis acta vento secundo, secat æquora sine cessatione, pergens ulterius & ulterius, donec portum ingrediatur ad quem tendit. Inde est ut semper perfecta operando semper proficere, semper proficiendo, perfecta semper operari cōtendat. Sic enim utrinq; & ex toto indoli
C suæ plenè indulget. Nam & in via in qua est progreditur, & perfectionem quam possidet operatur. Fœcundissimo autem totum hoc labore perficit: perfectionis enim labor, tū propter abundantiam sanctificantis, tum propter efficacitatem excitantis, cooperantisq; gratiæ, tum propter facilitatem optimis habitibus instructæ animæ, tum propter energiam in magnum profectum, in absolutamq, perfectionem tendentis chari-
D tatis, non potest non esse fœcundissimus. Deo interim conatibus ejus liberalissimè, favente, & cum ea liberalitate mutua decertante.

Quare sicut prædivites mercatores, quia magnos in lucra sumptus ponunt: maximis etiam lucrorum accessionibus in immensū penè ditantur: inopibus interim exigua lucra vix obtinentibus: ita perfecta charitas locupletissima meritorum gratiæ & gloriæ lucra, operationibus suis acquirit, quando

interim imperfecti, majore licet labore, per paucos in divitiis cœlestibus profectus vix acquirunt. Nempe alius est aquilarum volatus, & alius testudinum gressus, aliter fovet semina favens tellus, aliter repugnās gleba.

§ V. Decimus nonus perfectæ charitatis fructus est, æquitas & æqualitas animi perpetua in gravibus juxtà ac levibus, in subitis improvisisq; juxtà ac prævisis præmeditatisq; occasionibus, & eventibus. Æmulatur namq; charitas Deum suum, qui omnia & de omnibus, *cum tranquillitate iudicat.* Est charitas perfecta instar sapientissimi gubernatoris sive regni sive navis, sive quadrigarum & currûs: qui gubernacula sua semper æquali tenore administrat. & in omnibus eventibus pari moderamine cursum tenere novit. Et est his etiam felicior charitas ista. Nam hi non semper in potestate habent regimina sua: sæpè nolente quamvis sapiente Principe emergunt motus in Regnis, Urbibus, Castris: Sæpè nolente navarcho tempestas jactat navim, & in adversa pellit, ut permittenda sit ventis. Sæpè frenos excutiunt, nec patiuntur equi. At regnum charitatis cui præest, navigiumque quod regit, & equi quos agitat: anima est sanctà, justa, benè composita, passiones habens domitas, vacua habitibus malis, tentationum victrix, desideriorum suorum potens, Spiritui sensum obedientem subditumque habens: motibus cœlestibus, qui semper secundi sunt, assueta simul & obsequens: Non potest ergo Reginæ suæ charitati obluctari, non potest subitis casibus de potestate deijci. Atque ita charitas in Regno suo tanquam Salomon per circuitum pacem habet: & quidquid accidit non conturbat, neq; contristat &c. attestante eodē *Non contristabit Iustum, quidquid ei acciderit.* Prov. 12. 21. Et Davide *Deus in medio eius non commovebitur.* Psal. 45. 6.

§ VI. Vigesimus perfectæ charitatis fructus est timor castus Dei. Est charitas perfecta, honestissimæ atque integerrimæ. Matronæ atq; Sponsæ instar, quæ cum tenerrimè Sponsum suum Deum diligit: eiq; placere, vità sua millies pluris æstimet, eidem vel in
A minimo minimum displicere, omni morte, omniq; dispendio gravius ferat; ideo hisce semper coram Deo, & cum Deo, sive pedibus incedit, sive aliò volat, ut tam ei satagat in nulla re ne atomo quidem displicere, quàm ei satagit per omnia penitus complacere, ideo quantùm amat, & ardet summè semperq; amplius amare: tantum metuit vel horret, vel atomo minùs amare atque
B placere. Proinde tam amor ille, quàm timor iste, eodem fonte charitatis perfectæ manat, neq; perfecta esse charitas potest si alterutra prole atq; rivo caret. Non mittit foras istum timorem charitas: alioqui seipsam reijceret, adulterarum timorem expellit, sponsarum gignit, adultera metuit præsentiam, Sponsa absentiam Sponsi: illa timet ne veniat & adulteria cognoscat atq; puniat: hæc timet ne abeat, ne moretur, ne
C præsentiam subtrahat vel differat, ideo illā nihil scelestius ista nihil castius: *illa odit sponsum, & exosa eidem est, hæc sponsum diligit, ab eoq; diligitur.*

Hos fructus charitatis perfectæ diligenter ubi expenderis: ardentissimè desidera, constantissimè exerce, solidissimè amplectere. Conservabunt enim & ad fiduciam magnam facient tibi coram altissimo, qui
D charitati veræ non secus ac primogenitæ filiæ repulsam dare nunquam potest, proinde quos illa tanquam amatores & possessores suos fideles ei commendaverit, indubitatè gratos & pretiosos in oculis ejus reddet.



CAPVT X.

De reliquis adhuc fructibus perfectæ charitatis.

§ I. Vigesimus primus perfectæ charitatis fructus est interior, imò intrinseca recollectaque in unum ac A solum Deum vita, & virium vitalium. *Charitas enim vinculum est perfectionis*, porrò vinculum non esset, nisi prius esset mater internæ recollectionis, recolligit ergo vires omnes animæ charitas, & recollectas in unitatem colligit, & in summum illud unum immergit, quod ex toto corde, ex totâ animâ ex tota mente, ex tota fortitudine, ex totis omnibusq; viribus diligit, impleturque in B anima per istam charitatem, illa postulatio Domini ad Patrem orantis, ac simul in eo perfectionem nostram declarantis, sive statuentis. *Vt omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te: ut & ipsi in nobis unum sint* Ioannis 17. 21. Fit enim per charitatem, ut omnis amor, desiderium, conatus, cogitatio, actioq; nostra, nihil aliud sit, nisi Deus, illaq; unitas, quâ Pater cum Filio, Filius cū Patre unum sunt, in nostram mentem, sensumq, transfundatur: ita nimirum, ut indis- C solubili Deum charitate diligamus, sicut & ille nos eadem diligit: atq; ita eidem associemur, ut quidquid speramus, intelligimus, volumus, loquimur, sentimus, agimus, Deus sit. Ea tamen ratione, ut hac non obstāte virium nostrarum in Deum collectione, & collocatione: omnes quidem vanæ res, superfluæq; sollicitudines eijciantur, necessariæ tamen, & Dei, ac fratrum obsequium concernentes curæ, tantò melius feliciusq; D procurentur, quantò eæ magis charitati deservire noscuntur, & quantò per eas magis unioni cū Deo arctiori ministratur, quantò deniq; magis ad eas ex intimâ cum Deo unione assiduaq; conversatione plus luminis, & virium ad benè peragendum derivatur.

Sicut enim Deus licet sit ex semetipso beatus, imò ipsissima beatitudo, nihil tamen impeditur ab omnium & singularum rerum creatarum procuratione, non minùs plenissima, quàm quietissima: ita amici Dei charitate ejus repleti, eidemq; uniti, hoc ab eo per imitationem trahunt, ut salva spiritus sui pace & integritate, omnia quæ ad ipsos ex Dei voluntate pertinent procurent, & feliciter faciliterq, Deo, specialius etiam cooperante atque benedicente exequantur.

§ II. Vigesimus secundus perfectæ charitatis fructus est, perpetuum perfectumque voluntatis humanæ cum Divina consensus. Hæc est enim veræ, ne dum perfectæ amicitiæ lex (est autem charitas amicitia cum Deo) prima, & penè dicam una atq; sola ac ideo etiam summa, ut idem velint, idem nolint amici, quare impossibile est charitatem esse in aliquo homine, voluntati Dei, volūtate sua non consentiente, impossibile rursum charitatem in aliquo homine non esse, cujus voluntas voluntati Dei per omnia semper consentiat. Quare voluntas hominis & voluntas Dei ita esse videtur sicut corpus cum anima sua. Anima corpori similiterque corpus animæ, si nexu aliquo debito non uniatur, nihil quidem corpus habere in se se poterit seu vitæ, seu sensus, seu motus, seu illius operationis, atq; pulchritudinis, sed erit inutilis & horrens massa, cæterū etiam anima nullas per idem corpus suas operationes exercere poterit. Quod si accedat nexus quidam animam corpori cohærefaciens: illico integer homo existet vivus, vegetus, robustus, pulcher, operans, omnia necessaria; corpus ad omnia, omnibus bonis operationibus replebitur, deserviet animæ ad omnem vitæ quà privatæ, quà communis, qua etiam cœlestis usum. Anima item dabit corpori vitam, & cum hac omnia, simulque & corporis & sui ipsius per corpus egregium ad omnia usum habebit.

Ita planè ac multò etiam magis, nisi voluntas nostra tanquam corpus, voluntati Divinæ, tanquam animæ suæ unita fuerit: voluntas quidem nostra ad nihilum valebit

ampli-

amplius, nisi ut putens cadaver infernali sepulchro injiciatur. Quid enim ardet in inferno nisi propria voluntas? Divina quoque voluntas quamvis ex se ipsa sit sufficientissima, nostræ tamẽ voluntatis usum nullum habere poterit, At verò si hasce duas voluntates nexus ille optimus (qui charitas est) colligaverit; tum subitò & voluntati nostræ omnis vita, omnis decor, omnis operatio, omnis felicitas, gubernatio, gratia, robur, beatitudo demum ipsa adveniet, à Divina voluntate jugiter in ipsam influens. Divinæ autem ipsi voluntati eximius quidã gustus cordis accedet, eò quod habeat. *Virum secundùm cor suum: qui faciat omnes voluntates eius.* Facit ergo hoc charitas perfecta, ut Deum perfectè diligentes, diligamur etiam ab eo: & voluntas nostra ejus sit, vicissimq, ejus voluntas nostra sit, adeò dulciter ut nobis morte amarius sit, vel momentaneè discrepare ab hoc consensu, ipsa verò beatitudine beatiùs, eius non nostram velle voluntatem, adeò rursus ex parte Dei dignanter, ut non dedeceat Deum velle, id quod nos volumus: quoniam ea tantum quæ ei placita sunt semper volumus. Atq; sic affici, Deificari est.

§ III. Vigesimus tertius perfectæ charitatis fructus est, Transmutatio, transformatioq; in Deum: non quidem per Entitatem & substantiam, quasi homo suam substantiam, & Entitatem, formamq; perdat, in Divinum autem esse transeat: id enim cogitare absurdum est, sed per voluntatum mutuum eumq; arctissimum & plenissimum consensum, mutuumq; affectionum amorosarũ in se se illapsum, ita ut dum amat Deum nostra charitas, & dum nos vicissim amat Divinæ charitatis immensitas, absorbeatur noster guttæ vix par amor & affectus ab immenso Divinæ charitatis mari: absorbeatur inquam aquæ nostræ gutta, ab infinito Divini vini oceano, absorbeatur & penetretur nostri ferri rudis massa ab ignitissimo Divini amoris igne, absorbeatur tenuissimus nostræ vilitatis vapor sive aer, à summa illa originali & æterna luce, absorbeatur nostra spongia ab infinito undequaq; mari, absorbeatur motus nostri folioli, ab vastissimi nemoris sonitu, absorbeatur entitatis nostræ atomus ab infinitudine magnitudinis Divinæ, ut fiat nobis quidem Deus solus omnia, vicissimq; Deus omnia in omnibus.

§ IV. Vigesimus quartus perfectæ charitatis fructus est, fæcunditas in alios quoque derivata, id est zelus animarum Deo lucrandarum. Charitas enim sponsa & mater est: eademq; simul uirgo. Virgo quidem nulli præter Deum nupta, quem cum acceperit casta, cum tetigerit munda est. Simul tamẽ est Mater: de Spiritu Divino fæcunditatem acquirens, ac Deo populos filiorum pariens. Pariens partim oratione, partim exemplo vitæ, partim prædicatione doctrinæ Divinæ, A partim regiminis solicitudine, partim mortificationum oblatione, partim dolore de jactura Divinæ gloriæ, partim mærore de damnis & perditione animarum, partim aliorum ad juvandas zelandasq; animas instructione & stimulatione, partim scandalizantium & perdentium animas correptione, partim impedimentorum alienæ salutis amolitione Est enim hæc charitatis Divinæ indoles: ut quem ipsa impensè diligit Deum, velit, cupiat, studeatq; ab omnibus amari, à B nemine negligi, nullius perditione contristari, omnium salute profectuq; honorari: Et ad hoc assequendum in nulla re sibimet parcit, dummodo dilecti sui Dei gloriæ, animabusq; ab ipso creatis, & sanguine ejus redemptis sit quàm optimè.

Hic zeli affectus ita est charitati perfectæ ingenitus, ut eum exuere nullatenus possit: crescente imò ipsa in se, crescit etiam ille in eadem, eamq; captivam sibi facit, & de sui potestate extractam, suis usibus atq; lucris deservire inter quaslibet cruces, adver- C sitates, difficultatesq; cogit. Hic idem zeli affectus ferè unus est in charitate, qui non se ab illa regi sinit, sed illam sub jugum suũ mittit. Sub hoc jugum missa charitas Moysis clamat: aut parce populo, aut me dele de libro vitæ. Clamat etiam charitas Pauli hoc zelo devicta. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Item, *quis infirmatur & ego infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Item, *Charitas Christi urget, triumphat nos.* Quod mirare magis, hic zelus, in ipsam Dei virtutem, Iesum prævaluit, un- D de illud ejus, *Zelus domus tuæ comedit me.* Deniq; hic zelus Deum vicit & charitatem ipsam suam in terras mittere coegit, unde fatetur Christus. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut mundus salvetur per ipsum.* Neq; dubitat Paulus, nimiam hanc quasi suis limitibus egressam, minusq; sui potentem charitatem Dei appellare.

Quo circa magnus animarum zelus, ma-

gnæ

gnæ charitatis est & proles & signum, parcus & parvus zelus exiguam charitatem demonstrat. Tunc te in charitate proficere, tunc perfectum esse ne dubita, ac in Domino gloriare, quando te intimus dolor ob peccata perditionemq; hominũ urit, exest, absumit, tabescere facit. Tunc quando totis viribus desideras, poscis, & urges apud Deum, ut suâ misericordia, atq; omnipotẽtia, & sapientia impediat ruinã, promoveat efficacissimè salutem animarum, etsi de hoc omnes suæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis, thesauros effundere deberet: etsi te eadem de causa in flammis infernalibus æternaliter cremare vellet, qui amat animas Deus. Tunc deniq; quando sic evisceratè sic heroicè, sic appropriatè animarum salutem & poscis, & operaris, ac si in aliena (etiam in unius animulæ) salute, tota, (si licet ita loqui) Divinitatis integritas verteretur. Sed de hoc fructu charitatis ista sufficiant, qui quidam fructus, non est minus Dei donum, quàm illud quo salutem perfectionemque propriam quis impensissimè procurat pari enim passu uterq; hic zelus, & à Deo procedit, & in homine cui datur permanet; adeò ut quantum quis pura in Deum charitate perfectionem suam sitit, tantùm etiam eadẽ in Deum charitate, zelo salutis perfectionisque proximorum ardeat, signumq; sit tepidi in sua salute, tepidus alienæ zelus, & è contra.

Isti sunt charitatis fructus, (quos illa dũ perfecta est parturit) & simul pretiosissimi. A pauci tamen ex plurimis aliis, quos magis unctio quàm scriptio, experientia quam explicatio docere prævalet. Hos quisquis perfectus es, ama hos excole, hos posside, hos adauge, qui necdum perfectus es ama, desidera, efflagita, exquire. Neq; des somnum oculis tuis, neq; requiem palpebris tuis; donec invenias eos. O charitas, quàm multi crepamus te, quàm pauci habemus te. Multi laudatores, pauci possessores, B Multi amatores, pauci quæsitores. Multi te somniantes, pauci de te verè & justè gloriantes. Finem loquendi pariter omnes audiamus. Magister noster de se ipso ait. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, perfectus autem quisq; erit, si sit sicut, & magister eius.*



CAPVT XI.

De excellentia charitatis perfectæ, variis similitudinibus exposita.

CHaritas perfecta est similis tabernaculo illi fœderis in veteri testamento, quod jussu Dei secundùm exemplar in monte demonstratũ Moysi, à Bezeleel & Ooliab, per datam sibi sapientiam perfectum fuit. Erat illud tabernaculum quoad materiam ex pretiosissimis quibusq; confectum rebus: erat summo & planè cœlesti artificio confectum, repletum vasis ex purissimo auro factis omnibus, Arcâ testamẽti, Altari, Mensâ propositionis, Candelabro, Lampadibus &c. Colorem cælestẽ referebat. Sancta Sanctorum habebat. Et cum esset per omnia pretiosissimum à foris tamen sagis cilicinis & caprarum pellibus tegebatur, ita ut forinsecus ejus decor vix appareret ordinariè, nisi interdum. In eo Deus quasi semper præsens manebat, & populo suo præerat. Hæc omnia in charitate perfecta, & in homine illa prædito accu- C ratè & ad amussim reperiuntur, quod scribendo declarare non attinet, cum meditando applicari non difficulter omnia naturæ, & officiis, & prærogativis perfectæ charitatis in anima hominis constitutæ possint. Illud tantum notari expedit. In lege veteri duo templa fuisse, unum hoc Mosaicum tabernaculum, templum mobile, in deserto confectum, in peregrinatione ad terram promissionis, quod erat totius populi Israel solatium oraculum, munimen in longissima & labo-

riosissimâ viâ. Et hoc templum charitatem perfectam hujus viæ atq; vitæ designabat: illaq; est ei similis. Aliud templum fuit solidum immobile, ex pretiosis lapidibus absq; ullo factili strepitu in Urbe Hierosolyma à Salomone constructum. Et hoc templo designatur perfecta charitas, non adhuc viatorum, sed jam comprehensorum, & beatorum.

§ II. Perfecta charitas similis est animalibus illis sanctis, quatuor facies habentibus, Hominis scilicet, Vituli, Leonis, Aquilæ, quæ animalia describuntur & pennata, & pedibus instructa, & manus sub alis habentia, plena oculis ante & retrò, semper gradientia, & nunquam revertentia. Ezech. 1. 6. Apoc. 4. 6. Tali animali simillima est perfecta charitas, habens faciem hominis propter naturam: & vituli, tum propter laboriositatem, quâ & paratur & exercetur, tum propter sacrificium laudis, quod de se jugiter Deo facit. Et leonis propter solidam, generosamq; fortitudinem in resistendo dæmonibus, in frangendis tentationibus insuperandis adversitatibus, in aggrediendis difficultatibus, in præstandis Heroicis operibus in absterrendis malitiosis à viis suis pessimis. Et Aquilæ propter celsitudinem contemplationis, propter habitaculum in Deo solo fixum, super omnia terrena elevatum, propter contemptum omnium caducorum, propter velocitatem in cursu divinorum obsequiorum, & viæ Sanctorum, propter veritatis & sapientiæ intuitum. Habet etiam charitas perfecta pedes: quibus graditur cum infirmioribus, eorumq; necessitatibus ministrat & condescendit. Habet tamen & alas, quibus ad Divina contemplanda sublevatur. Habet manus sub alis: quia contemplationem actionibus consociat, graditur semper, quia semper proficit, & *ad anteriora se extendit, quæ retrò sunt obliviscens.* Phil. 3. 13, Oculis plena est, quia & Divinã majestatem, bonitatem, pulchritudinem, voluntatem, & propriam infirmitatem, ad Deum obligationem, cum Deo inæqualitatem, coram Deo vilitatem, à Deo omnimodam dependentiam, sine Deo ad nihil penitus sufficientiam: & communem Ecclesiæ, imò totius generis humani necessitatem, pericula, damna, ruinas, hisq; similia intuetur, considerat, deplorat, Deo commendat, & quantum prævalet, sollicitè procurat.

§ III. Perfecta charitas similis est illi statuæ ostensæ Regi Nabuchodonosor. Dan. 2. 31. Erat illa statua quantum ad suos pedes ex testa & ferro mista, crura tibiasq; ferreas habebat: ventrem æreum, pectus argenteũ, caput verò aureum. Hæc statua est imago perfectæ charitatis, seu perfecta charitate prædíti hominis, habet enim charitas ista pedes testâ & ferro mistos, nempe fundatur in cognitione propriæ vilitatis, infirmitatis, nihilitatis, malitiositatis, & ad peccatum perditionemq; pronitatis; sola Divinæ gratiæ virtute, quæ tanquam ferrum, testaceam massam ne concidat fracta, confirmat: non possunt verò testa & ferrum hoc pariter commisceri: quia nunquam fieri potest, ut infirmitas nostra, ita imbibere à quantavis gratiâ robur valeat, quò vel ad momentum per se solam, absq; gratiæ ope subsistat, aut aliquid faciat. Crura charitatis perfectæ ferrea sunt: mortificatione enim interna & externâ edomat omnes suas difficultates, à peccatis, ab habitibus malis, à passionibus effenatis, à tentationibus & cupiditatibus se se offerentes: quâ etiam utrâq; mortificatione pacem viriliter partam tuetur, & ulterioera sempre progreditur. Æreus est venter charitatis perfectæ, consumit enim omnia amara, omnia adversa, omnia dura, omnia cruda, omnia horrida, undecunque provenientia & immissa: sive sint morbi corporis, sive sint bonorum jacturæ, sive infamiæ, convitia, maledicta, contumeliæ, sive sint desolationes & exilia cordis, sive injuriæ & tempestates aëris, sive mala communia & publica, sive probra ex aliorum vitijs in se etiam derivata. Hæc similiaq; etiam verbera, vulnera, tormenta, mortisq; terrores, & ipsam mortem, charitas perfecta digerit, concoquit, & modestè, hilariter, pacatè, libenter, cum gratiarum actione, & spiritûs gaudio tolerans absumit, in suamque substantiam, & succum meritorium, tã gratiæ quàm gloriæ convertit. Pectus argenteum est charitatis perfectæ tum propter cordis munditiem, tum propter morum innocentiam & candorem, tum propter verborũ veritatem, simplicitatem, paucitatem, tum propter exempli boni in alios effusionem, tũ propter ædificativæ salutarisq; prædicationis sonum. Caput deniq; aureum charitas habet perfecta, propterea, quia Deum unum solumq; super omnia æstimat, amat, possidet, eiq; vita est, ac per unionem unus spiritus cum illo efficitur, & in omnibus purissimam

mam intentionem Deo placendi, Deumque exaltandi, quàm maximè conservat, omnes actiones atque cogitationes aureæ, hoc est charitate supernaturali sublimatæ, & perfectæ sunt, omnia vota, proposita, desideria, omnis vita, in perfectionem insignemq; justitiam efformata. In hunc ergo modum perfecta charitas: à ludo propriæ nihilitatis, abyssalisq; cognitionis, & in se diffidentiæ incipit, in aurum autem familiarissimæ cum Deo unionis, & maximæ cum ipso similitudinis, desinit.

§ IV Charitas perfecta similis est arbori cuipiam singulari fructiferæ, (sive etiam illi quam vidit Nabuchodonosor: Dan: 47 17. sive illi quam Ioannes vidit in Apocalypsi, & vocat lignum vitæ, proferentem omni mense fructus suos, quin & ipsa folia habentem ad sanitatem gentium, quæ in æstate, & autumno, non tantum virorem, folia, flores, sed etiam fructus maturos habet, atque dulces, & gustui suaves, salubresque, Apoc: 22. 2. Talis enim est omnino perfecta charitas, quæ ita à proficiente & incipiente differt: quomodo arbor in vere, vel in hyeme differunt à semetipsa: ut aliàs suprà dictũ est. De ista perfecta charitate dici potest, quod ex fructibus bonis arbor bona cognoscitur: ex perfectione enim absoluta operum bonorum perfectio charitatis cognosci debet. Si est enim in oratione crebritas & fervor, in tribulatione modestia & mansuetudo, in operatione diligentia & devotio, in intentione puritas, in mente munditia, in corde quies & pax, erga proximos dilectio, & læta morum ipsorum sustinentia, in defectibus alienis mansueta suavitas: in obedientia resignatio & alacritas, in paupertate & penuria temporalium animus sibi sufficiens, murmuris & inquietudinis expers: in contẽptione & vilipensione lætitia, in reprehensione confessio, in prosperis moderatio, in laudationibus mæror vel stupor.

Hi tales arboris hujus fructus, sine dubio sicut ipsi sunt valde maturi, valde dulces, valde gustui Divino congruentes: ita etiam arborem ipsam vehementer commendant, & perfectam probant. Contra segnities, tepor, amaror, dilatio, inquietudo, levitas, cura sensûs, amor vel gaudium ex laude humana, angustia in defectu, confusionis fuga, tarditas in obediendo, hæc hisq; similia, acerbos fructus, & arborem necdum perfectã facilè demonstrant.

§ V. Charitas perfecta similis artifici perfecto in arte sua, & in operibus suis perficiendis consummatè exacto. Ut enim iste in hoc ab artifice imperfecto differt: quod imperfectus adhuc rudisq; artis suæ opera quantumlibet laboriosè operetur, imperfecta tamen rudia, artis expertia, imò in artem peccantia efficiat, neq; defectum advertat; nec corrigendi modum novit; Perfectus autem etiam dum obiter aliquid suæ artis operum operatur, ipsum quod sine arte facere videtur artificiosè facit, & regulas artis vel non attendens servat, exequiturq;, quantò magis hæc quæ de industria ad artis regulas exigit. Ita omninò est in charitate perfecta: ejus enim opera etiam minima & abjectissima in specie, perfectiore modo, majore gratiæ gloriæq; merito, suaviore Dei gustu, peraguntur, quam vir imperfectus suas etiã primæ notæ actiones. Itemq, perfecta charitas faciliore compendio summas perfectiones in suis etiam minutis exercitiis adhibet, quàm charitas minus perfecta, quæ apices perfectionum ne cognovit quidem, & in minus perfectis adhibendis non parum laboris exhaurire cogitur.

§ VI. Charitas perfecta similis est homini in ætate perfecta, in valetudine stabiliter sana, in robore integro, in habitudine corporis animiq; ad omnes vitæ functiones apta, & benè exercita constituto. Ut enim ejusmodi homo in suo genere perfectus est, aptus ad omnia quæ sui muneris: eaq; aptè & debitè exequitur: nec facilè impedimentis aut incommodis in morbum, mortem, aliaque vitæ incommoda, & sanitatis indispositiones incidit: Ita charitas perfecta, est hominis spiritualis non tantum vita qualisqualis: sed est omninò integra vitæ sanitas, temperatas omnes in se spirituales qualitates habens, omnibus partibus, membrisq; interni hominis constans. Animæ vires potentias, omnibus optimis habitibus instructas, actibusque exercitatas obtinens, gratiam sanctificantem quæ est vita spiritualis hominis, stabiliter immanentem, & semper robustius increscentẽ, insidentemq; possidens, actualibus auxiliis veluti succo vitali, spiritibusq; semper opportunè abundans, ad sanctè perfectèq; operandum facilis, assueta, stabilis; impelli vel induci in gravia peccata, etiam inter occasiones difficilis, & quasi impotens, & nescia, deniq; Divinæ conversationi, unioni cum voluntate ejusdem conformitati, amicitiæ-

que

que insuefacta. Ac sicut non potest dici homo ille perfectus in corporali vita vel sanitate: qui adhuc teneris est membris, qui viribus tenuibus, qui mancus membris, qui qualitatibus distemperatis, cui modica intẽperies aëris morbos causat, qui febri æstuat, qui paralysi resolutus est, qui ægrè vitam trahit, qui ulceribus & apostematis scatet, qui lethalibus vulneribus propior morti est quàm vitæ. Ita charitas perfecta dici & esse nequit, quæ esto non exulet ab homine, (alioqui non vivens homo, sed cadaver esset, perinde ut corpus ab anima desertum) miserrimè tamen, & miserrima opera vitæ exercet, æstuat febribus iracundiæ, invidiæ, avaritiæ, luxuriæ, tentationibus tanquam tempestatibus concutitur, teporis paralysi languet, hydrope concupiscentiæ aut ambitionis inflatur, in carnis sensuumq; commoda effluit: torpet in obediendo, lacte demum habet opus, nec solido cibo idonea. Talis charitas, vita quidem esse potest, sanitas certè esse non potest, neq; perfectum reddere coram Deo.

Perfecta ergo charitas ut nomine suo digna sit, & digna in homine efficiat, hæc præstabit 1. Dabit vitam gratiæ & justitiæ coram Deo. 2. Exercebit vires hominis, potẽtiasq; optimis & strenuis perfectissimà ratione actionibus. 3. Imbuet easdem optimis, & firmis, usq; radicatis habitibus, seu moribus, connatasq; homini optimas actiones faciet. 4. Difficilem, & veluti rudem, ineptumq; ad mala, imò & ad minus perfecta A reddet. 5 Deniq; in bonis omnibus agendis obtinendisq; strenuè firmum, firmiterque strenuum, usq; ad mortem, cum auxilio Divinæ gratiæ (sine quo nostra omnis sanctitas, & in sanctitate firmitas, atq, strenuitas fragilis, mutabilis, amissibilis omni momento est) continebit, conservabitque.

Hæc sunt perfectæ charitatis schemata, de multis pauca adducta: alioqui adhuc posset comparari aciei castrorum ordinatæ, cellaris Regio vino plenis, unguentis peroptimis. B Reconditorio thesaurorum Regiorum: in quo nihil præter vasa aurea, gemmea, solidèq; pretiosam supellectilem. Lectulo Salomonis, & ferculo atq; throno ejusdem. Sed sufficiant prædicta, ut ex ijs, cognoscatur, natura, officium, mores, operationesq; perfectæ charitatis.



CAPVT XII.

De affectionibus perfectæ charitatis.

§ I. Charitas perfecta habet certas easq; complures affectines suas: quas illa imprimit cordibus & moribus eorum, in quibus habitat. Prima igitur affectio charitatis est sollicitudo, circumspectioq; valde cauta, ne aliquando, ne aliquomodo, ne ab eo ipso qui charitate præditus est, ne ab aliis ad curam ejus pertinentibus, ne ab ullo alio, quantùm in ipsa est, Deus offendatur, ejusq; spiritus extinguatur, vel cõtristetur. Manifestum est enim, quod vera charitas non tantum committere nolit, sed neq; pati possit, ut Deus minus dignè, vel in minimo tractetur. Neq; hoc satis intelligi potest, quomodo cum charitate consistat, offensas Dei vel committere, vel permittere, vel patienter sustinere. Est ergo charitas sollicita pro integritate cultus, & amoris Divini, & pro amolitione omnis offensiunculæ ab ipso. C

§ II. Charitatis perfectæ affectio secunda est vigilantia valdè oculata, & attenta ad omnem contentationem satisfactionemque Dei, tam ex se, quàm ex aliis omnibus. Vigilat enim & excubat charitas ut tam in magnis, quàm in parvis, ita se gerat, ita omnia faciat, ita ab aliis, quantum in ipsa est, omnia D fiant, ut Deo omnia placeant, ut Dei gustus recreetur, satureturq;, ut dignum Deo est: ut expleatur vota, & desideria Dei in actione quavis. Quod ut assequatur charitas, adhibet vigilantiam ad sensus Divinos, qui in-

in ejus corde sunt, quiq; in doctrinis & exemplis Christi, & Matris, ac Sanctorum ejus elucent, penetrandos, eosdemq; actionibus quas exequitur inferendos. Præterea vigilanter excubat eadem charitas perfecta, ad observandos, & arripiendos, exequendosque promptè, ac plenè, omnes motûs instructusq; Divinos. Cum enim charitas, unica sponsa Dei, secretorum ejus facilè sit conscia, & mores sponsi sui, omnesq; ejus inclinationes, ex minimis signis, intimè & perspicaciter cognoscit: ad quos exequendos, amoris vinculis suavissimè & efficacissimè impellitur.

§ III. Tertia affectio charitatis perfectæ est, metus ac formido, ne quâ fortè occasione, tentatione, illusione, ignorantia, levitate, violentia, abripiatur à Deo, & discedat ab ipso. Etsi enim charitas nunquam excidit, quantùm in ipsa est: attamen quantùm ad homines quibus inest, qui in hac vita semper mutabiles, peccaminosi, infirmitati, & & inscitiæ erroriq; obnoxij sunt, excidere potest. Quare hoc perpetuò metuit: ne quod scit fieri omni momento posse, aliquo momento sentiat malo suo magno factum esse. Hic tamen metus est omni securitate charitati perfectæ appetibilior, quia & salubrior: conservat enim, & plurimum etiam auget ipsam charitatem. Miro utiq; valde modò, per hoc ipsum quod metuit perire, accipiēs incrementa, & robustior evadens, radicesq; mittens, & in Divino corde, & in suo ne pereat.

§ IV. Quarta affectio charitatis perfectæ est calor, seu potiùs ardor, quo charitas velut ignis semper ardet, & ardere gaudet, atq; æstuanti pectore in Deum diligendum fertur: impatiens ad ferendam vel minimam infrigidationem æstûs sui, gaudens autem omni occasione fovendi & augendi ardoris sui, non attendens, magnanè quædam & insolens, an verò minima quæpiam se se offerat occasio, aut impulsio, ad magis magisq; novo & novo impetu tendendi ardore suo in Deum, Quam etiam ob rem solerter excogitat omnes industrias, inquirit artes, vestigat venas, adhibet modos, exerit conatus, ad amandum plus & plus Deum suum: Ita ut nunquam dicat, satis, nunquam Sufficit.

§ V. Quinta affectio perfectæ charitatis est, studium, imitandi æmulandiq; Deum: tum in moribus ejus, tum maximè in charitate ejus. Similitudo enim est dilectionis & conjunctionis mater: portò charitas amat multùm semetipsam, sciens nihil posse sibi melius esse seipsa & Deo suo, quocirca ut se se partim conservet, partim adaugeat, quàm maximam cupit & quærit cum Deo similitudinem, propter hanc verò Dei exactissimam curat imitationem. Ergo mores Divinos perpetuò scrutatur, intuetur, affectatur, minimè dubia quod quàntò hos melius expresserit, tantò Divinitati similior, gratior in ejusq; amore mutuò solidior, & perfectior erit.

§ VI. Sexta affectio charitatis perfectæ charitatis est mæror, ex eo quod non amet quantum vellet, quantum deberet, quantùm dignum esset: nec solùm quod non amet, sed quod neq; sufficiat tantum, quantum vel sua obligatio, vel beneficiorum acceptorum magnitudo, vel Divina in se excellentia mereatur. Quia enim charitas perfecta linceis valdè oculis prædita est, acutissimè videt excellentissimam Dei bonitatem, atq; perfectionem omni possibili amore dignam, dispicit etiam supremam liberalitatem in se ejusdem bonitatis Divinæ, continuis, iisque summis beneficiis scaturientem, ob quæ non potest non esse obligatissima, non potest nō velle obligari ad effusissimum benefactoris sui amorem. Cumq; modicissimas suas vires ad id præstandum sibi inesse sentit, pervidet necessariò insufficientiam suam, & exin de amabilem dolorem haurit, hauriendo autem in ipso nihilominus amore proficit: dolens quod minus amet, amareq; sufficiat, quàm obligatur: & nihilominus hoc ipso amplius amans quàm amare sibi videtur. Quo fit ut bona charitas, pusillitate sua grādior fiat, & jejunio suo pinguescat, & mærore suo recreetur.

§ VII. Septima affectio charitatis perfectæ est humilitas Consurgit ac dimanat hæc affectio ex præcedente. Quia enim charitas ista cernit perspicuè à se Deum non amari ad æqualitatem obligationis, ad condignitatem amabilitatis, ad mensuram exigentiamq; liberalitatis: humiliatur hac sua impotentia, atq; insufficientia, & se se minimè dignam reputet, super quam Deus *dignum ducat aperire oculos suos* Iob. 14 3. Quodsi adhuc voluerit convertere oculos ad defectus, & peccata, tum præterita, tum etiam præsentia ejus hominis in quo est, quæ dignum fuisse agnoscit ardentissima charitatis flamma

exco-

excoquere, atq; pro peccatorum mensura dilectionis compensationem super excedentẽ impendere: quandoquidem hoc à se neque præstari, neq; etiam satis posse præstari advertit, in profundum cognitionis, & vilificationis sui descendit, ibiq; & seipsam, & omnia opera sua, & omnes vires, viriumq; conatûs nihil penitus esse coram Deo agnoscit. Et tamen eo ipso amplius in amore proficit, quantò se ad satis amandum minorem sentit quantùmq; sibi deesse videt ad charitatis verticem, tantùm adijcit ad ejusdem radicẽ. sine dubio autem valdè meritò & prudenter disceptari potest quidnam amplius charitatis perfectæ intersit, altamne radicem, an verò altum verticem coram Deo possidere?

A

§ VIII. Octava affectio charitatis perfectæ firmiter perenniterq; est clausa, arcensq; ab ingressu animæ suæ id omne, quidquid vel sibi, vel Deo, noverit inimicum. Est enim charitas ista persimilis illi portæ quam vidit Propheta clausam semper Principi. Ezech: 46. 12. hoc est, in gratiam & honorẽ, sed fidem Principis: ut illi soli, alteri verò nemini, ingressus vel transitus, per eam pateat, post ejus verò tam ingressum, quàm egressum claudatur, & obserata permaneat. Clavis autem qua hæc porta, sive sera aperitur, est. Desiderium ardens & constans, Dei solius: quo anima præter solum Deum nihil amet, nihil habere (esto posset) præter solũ Deum velit, & quidem hunc ipsum, nonnisi propter illum ipsum, propterq; maximam ejus gloriam & gustum velit. Hæc clavis desiderij, tam Deum in anima, quàm animã in Deo concludit, eò quod una eademq; sit amborum voluntas. Hæc clavis desiderij in nullius est, esseq; debet manu & potestate, præterquam Dei & animæ, tanquam Patris & Matris familiâs. Ita ut quoties Deus ingredi voluerit ad animam, in eaq, sive ejus virtutibus profectibusque delectari, liberum habeat accessum, aperiente illi portam clave illa, ardentis constantisque desiderii: pariterque quoties anima intrare in cor Divinum voluerit, eoq, frui, liberè similiter possit, pandente illi ostium eodem desiderio, quia & ipsa nihil desiderat nisi Deum. Porrò hæc clavis custodiri debet à parte animæ per vigilantiam, humilitatisq, suæ custodiam, qua anima adscribit Deo omne suum bonum quod habet: à parte autem Dei custoditur etiam per Dei potentiam seu protectionem atq, charitatem, quâ animam & ejus charitatem protegit, ne à diabolo supplantetur

B

Hasce charitatis tuæ, quæ in te fortè est, affectiones dispice, & secundùm eas tam tuam in charitate, quam charitatis in te perfectionem, perfectionisque profectum metire: omni tempore operam dans, ut istæ affectiones omnes & singulæ, in te quotidiano exercitio, adscitis etiam ultrò occasionibus exercendi, succrescant.

C



CAPVT XIII.

De variis officiis perfectæ charitatis.

§ I. PRimum charitatis perfectæ officium est animam purgare, celeriter, à minimis nævis (à crassis enim peccatis, & voluntarijs delictis, licet venialibus purgare, non ad perfectam, sed ad initialem charitatem spectat) quos & tenerè sentit, & impotenter tolerat, & tolerare nequit, donec statim remedium efficax adhibeat, neq; contenta remedio, etiam in abundanti compẽsat unum nævulum, pluribus, raris perfectionibus, ornamentisq; obruens: & cum lucro & fænore damnum multipliciter sarciens.

D

§ II Secundum charitatis officium est, ornare animam, ut enim ministri Regis Assueri, sponsas Regias futures, omnimodo ornatu excolebant, quò Regis oculis quàm maximè

mè placerent: ita charitas perfecta suas animas, Dei verò sponsas excolit, & expolit omni mundo ornatuq; suo, quò illa mirificè abundat: omni scilicet virtutum genere, omnibus sanctis operationibus, in gradu excellenti, omnibus sublimitatibus spiritualibus, & valde defecatis quos in modis operandi, & in intentionum puritate, & in intensionis ardore adhiberi facit. Quo fit, ut anima coram Divini sponsi oculis amabilis, & admirabilis appareat: *Assistatq; sicut Regina à dextris eius circumdata varietatibus &c.* Psal: 44. 10. A

§ III. Tertium charitatis perfectæ officium, quod est unire Deo: & quidem magna celeritate & facilitate, quia nimirum & cum usitatâ valdè cosuetudine atq; familiaritate. Sicut enim ad Regium intimum conclave, nemo admittitur, nisi jubeatur: at si Regina veniat, talibus cunctationibus usus non est, sed ultrò panduntur ei portæ, & ipsa jure suo ingreditur fiducialiter, ita aliis quidem virtutibus ad Deum se conferentibus præstolatione opus est & examine: at verò ubi charitas perfecta comparuerit, sine ulla mora, tanquam Reginæ & Unicæ, & Columbæ, illico aditus patescit, & familiarissimum colloquium, conversatioq; est in promptu. B Similiter sicut quando igni imponitur aurum, argētum, ferrum, aut quidlibet aliud ab igne diversum, ignis illi nequaquam statim unitur, sed prius in eo prævias facit alterationes & dispositiones, at verò si alius quidam consimilis ignis igni admoveatur, illico ex duobus unus ignis propter similitudinem naturæ fiunt. Sic aliarum virtutum affectiones ad Deum directæ nequaquam statim animam uniunt Deo, Deumve illi: at postea quam charitas perfecta in medium venerit: continuò illi etiam charitas, quæ Deus est unitur, unusq; ignis charitatis ex duobus efficitur, & anima Deo, Deus animæ intima ratione conglutinatur, & unitur.

§ IV. Quartum officium perfectæ charitatis est, dare animam Deo, & Deum vicissim animæ in proprietatem, in possessionem, in hæreditatem, in fruitionem, in gaudium, in satietatem. Hæc est enim amoris, maximè Divini, & quidem perfecti natura auferre amantem amanti, & transferre illum in amatum, eumq; illi dare, & inviscerare; unde datur quod amantis anima, magis est ibi, ubi amat, quàm ubi animat. Itaq; charitas, animam animæ surripit, & in Deum ipsam infundit: vicissim Deum Deo aufert, eum animæ infert, & facit unum spiritum ex eis ambobus, non quidem per substātiam & Entitatem, sed per voluntatum amorumq; affectionem. Quare amans Deum anima, tenet, possidet, hæreditat, habet Deum, fruitur, gaudet, satiatur Deo pro bona sua voluntate, & pro Divinâ in se liberalitate; vicissim verò Deus quoq; animam proprio quodam charitatis jure (quod charitas dat) obtinet, possidet, hæreditat, habet, fruitur ipsâ, eamq; in omne placitum suum, usum adhibet: de ejus præsentiâ & affectione gaudet, ejus suavitate, quam ab ipso habet satiatur, & adhuc tamen eam amplius desiderat, ideoq; etiam amplius dilatat, ornat, sibi assimilat & adstringit. Propter quod datur in cantico amantium: *Ego dilecto meo, & ad me conversio eius.* Cant.

§ V. Quintum officium perfectæ charitatis est, communicare cum aliis sortem suam. Ad charitatem enim istam pertinet vox illa. *Si quis audit, dicat veni.* Apoc: Sors ejusdem charitatis, & pars optima est Deum habere, gustare, eodem frui & gaudere. Hac sorte charitas perfecta, frui sola non solet, sed ubi ipsa satiata fuerit, atq; experimento edocta, quàm suavis est Dominus, & quàm salubris est convictus ejus: mox convocat omnes ad communionem sortis suæ, sciens omnibus abundantissimè suffecturam, & gnara illi fonti, cui jam ipsa inhæret, nihil gratiùs esse solere, quàm & omnes sitientes veniant, & hauriant, & bibant, & inebrientur ab ubertate fontis, fiatq; in omnibus *Fons aquæ viræ salientis in vitam æternam.* Ioan. C

Ergo charitas perfecta, illa satietate, quam ipsa habet ex Deo, contrahit insatiabilem famem satiandi, seu satiatos videndi, reddendive, quàm plurimos (omnes etiam) satietate illa, adeoq; hac fame alienæ satietatis agitatur & agitur, ut nisi videat alios etiā satiari, ipsa satietatē suā non æstimet, parata carere ipsâ, ut alij abūdent, non secus ac Mater ipsa famē suā amat, modò filij pascantur, D & abūdent. Talis certè charitas Pauli dicētis: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Et Christus gallinæ charitatem suam comparavit, non ob aliud, quàm quia sola ex avibus gallina mater cognoscitur, etiamsi pulli ejus non cernantur, sola ad extremum vitæ exhauritur, modò pulli pascantur, foveanturque. Quanquam liberalius ostendit Dominus noster hanc famem satieta-

tis

tis nostræ: tunc quando dixit, & magis quan do quod dixit fecit. *Ego veni ad mortem usq; Crucis, ut oves meæ vitam habeant, & abundantius habeant,* cujus vestigia subsequens Paulus profitetur. *Ego autem impendar & super impendar pro animabus vestris.*

§ VI. Sextum officium perfectæ charitatis est, nauseare omnia terrena, omnia creata, omnia (& hæc maximè) propria atq; privata. Sicut enim qui lautè & opiparè pastus saginatusq; est, nauseat super cibis levissimis, super porcorum siliquis: ita charitas perfecta, solius Dei cupida cùm sit, solo Deo satura, solo Deo dives, non tantùm non cupit, quæ Deus non sunt, non tantum reijcit, sed etiam odit, horret, nauseat, quidquid extra Deum est: quidquid Deum non redolet. Ea propter, quæcunq; alios capiunt & absorbent, quæ aliis famem & sitim validã eient, quibus alii carere in animum inducere non possunt, hæc nec tangere, nec intueri sustinet charitas perfecta, & anima tali charitate plena. Non secus quàm si jam beata esset. Ut enim beata anima Deum habens, eoq; fruens beatificè: de hisce terrenis bonis atq; delicijs, nec cogitat, nec dignatur cogitare, & indignissimum statu suo reputat cogitare: ita suo modo, charitate perfectâ redundans anima, Deum suum etiam nudissimum, etiam omni creatura spoliatissimum, etiam vilitate ipsa viliorem, (qualis Christus IESUS fuit, vel in stabulo, vel in crucis patibulo) toti mundo, omnibusq; mundi opibus, honoribus deliciis præfert, ita ut etiam comparationem facere absurdum ducat, cogitationem fecisse, medullitus nauseet, utpote in Deo uno, & solo habens omnia, & plus infinities quàm omnia.

§ VII. Septimum officium perfectæ charitatis est, transformare, vel ut loquuntur Sancti Deificare, Deiformare, Deiformesq; facere, non immutatione substantiarum, sed conformitate, atq; unitate, imo identitate voluntatum, & placitorum, quâ sic homo instructus charitate perfecta induat imbibatque voluntatem Divinam, ejusq; gustum ita addiscat, ita ei insuescat, ita eo fermentetur, ut medullitus saporem omnem Divini placiti, Divinæq; voluntatis habeat, retineat, omnibus aspiret, omnibus exhibeat, in omnibus exequatur. Ut sit quidem inter hominẽ & Deum infinita Entitatum & substantiarũ distantia, at voluntatum tamen placitorumque nulla sit, nulla (quantum hæc mortalitas patitur) esse possit discrepantia, atq; dissonãtia, eo quod Dei & hominis unum sit cor, & una voluntas.

§ VIII. Octavum officium perfectæ charitatis est, negligere, seu potiùs sepelire se in Dei Sapientia atq; providentia: quæ in sui dispositione non fallitur, quæq; melius omnia novit, quàm ullus homo, melius homini vult & cupit, (præsertim amico sibi) quàm ullus ipse homo sibi, potentior est ad

A præstandum efficaciter omne quod homini providerit: ad cujus providentiam homo, de suo, deq; suis viribus, ne cogitationem quidem aut desiderium adijcere potest; propterea perfecta charitas hominem suum facit diligentissimè negligentem, & in nullo se se intromittentem, sed omnia Omnipotẽtissimo, Amantissimo, Sapientissimo, Optimoq; amico, & Deo suo resignat, relinquitque curanda, transigenda, providẽda. Unum hunc sibi laborem reservando, ut nihil sollicitus sit, ut omnibus Deo relictis, omnia i-

B pse à Deo expectet, & acceptet, cum magnâ quiete suâ, ne dicam otio, sed valde tamen negotioso, effectuoso, & Divino gustui gratioso.

Facit etiam ista charitas inire, & initum servare pactum cum Deo suo. *Cogita tu de me: & ego cogitabo de te.* Quod quidem pactum si homo exactè & plenè servat, omnem sibi sapientiam, potentiam, charitatem, bonitatem, dulcedinem, fidelitatem Dei obliga

C vit: ut impossibile sit ei bene non esse, voluptatemq; ejus non impleri, tam in maximis, quàm in minimis, tam in supernis & internis, quàm in infimis & externis. Ex eodem que fonte, eadem charitas præstat illud in homine: quod nihil grave, nihil laboriosum, nihil impossibile, intolerabile nihil Deus imponere illi possit, quod ille non valeat, & non audeat aggredi, atq; exequi: non quidẽ suis fisus, aut usus viribus, quas sibi nullas, & ad nihil boni inesse scit: sed Divinis, quas ille tantò sibi magis obligatas, & habet, & agnoscit, & exigit, quantò grandiora sibi im

D perari à Deo intelligit, scitq; non se, sed Deum ipsum magis (cui tamen grave nihil esse potest) gravari. Proinde ex hoc maximè atq; evidentissimè colligit, cognoscitq; magnas sibi vires Deum allaturũ, quando quidẽ magnas res præstandas imponat. His itaq; Dei magnis viribus omnia remittit, & de suis (quas nullas habere se scit) nihil admiscet: totum Deo faciendum relinquit, totius etiã facti gloriam & laudem consignat, sibi purum & merum nihilum retinens. § IX.

§ IX. Novum officium charitatis est face te animam suam, cui inest, in suis affectibus omnibus quasi mortuam, & tam motu, quàm sensu, tam affectione, quàm tendentia quavis destitutam. Anima enim quæ perfecta est in charitate Dei, ingressa est in Deū, in eoq; se amisit, & secum omnia, tam sua, quæ habet intra se, quàm ea quæ sunt extranea sibi. Exinde mortuis in se, imò secum, omnibus affectionibus, immobilis quodam modo est ad omnia, usq; adeò, ut etiam ne in ipsummet quidem Deum, plus, aliterve feratur, quàm Deum velle se ferri intelligit. Non vult Deum amplius nosse, non plus diligere, non plus gustare, non plus possidere, quàm Deus nosci, diligi, gustari, possideri à se vult.

Pari ratione & ex creaturis nullam vult scire, nullam habere, nulla carere, nisi quia & quomodo Deus eum vult ab ipsa sciri, haberi, non haberi. Similiter, & posse & non posse, mereri non mereri, esse non esse, plus vel diutius, hic vel alibi, sic vel aliter, se ipsam non vult, nisi juxta, & propter voluntatis Divinæ mensuram. Similiter laudari vel vituperari ab aliquo perinde habet. Et quõodo turris, sive ab ortu, siue ab occasu vēto affletur nihil pensi habet. *Vivere illi Christus, & mori lucrum*, in cœlo esse, aut in inferno non discernit. Severus vel blandus Deus, dulcis & amarus, liberalis & parcus, pauper & dives, gloriosus & humilis, idem ipsi est: & solus Deus illi est in oculis, adjuncta verò ejus, extra consideratione vel sensum.

Similiterq; in creaturis omnibus nihil illi elucet nisi Deus, idq; tam in ipsismet, quàm in earum omnibus conditionibus, circumstantiisq;, unde perinde illas amat æstimatq; sive ametur, sive odio habeatur ab eis: nihil enim in eis attendit nisi Deum, qui illi ubique, & semper, unus, idemq;, & æqualis est: cujus etiam gloriam amoremq; quia
A suum reputat à creaturis eum non cupit, libenter eo caret, Divino contenta. Ista mors animæ, à charitate inflicta, admodum quidē rara est, attamen est omni hujus vitæ mortalis vita melior, pretiosior, optabilior.

§ X. Decimum perfectæ charitatis officium est, tam supradicta omnia, quàm quævis alia, in anima suâ custodire, conservare, augere, & hoc quidem 1. assidua Dei, tam ipsius perfectionum, quàm beneficiorum co
B gnitione. 2. Intima & perenni intra propri um nihilum miseriamq; habitatione. 3. Fideli omnium bonorum in Deum relatione, directione, ejusq; solius, quàm maximè per omnia, & in omnibus laudandi, exaltandiq; intentione. 4. Incessabiliter constanti virtutum omnium, in perfecto gradu, quantumvis in minimis actionibus & conditionibus per exercitationem possessione.

C Hæc sunt perfectæ charitatis officia, quibus illa libenter occupatur: dum modò inveniat animam sibi obsequentem: amoventem à se omnia, quæ impedire, admittentem in se omnia, quæ collaborare officiis eius possint &c.

CAPVT XIV.

De charitate perfecta, consistente potissimum in effectione operum perfectorum, tam quoad substantiam eorum, quàm quoad operandi modum.

§ I. Sicut in arbore multa quidem reperiuntur, quorum omnia & singula ad integritatem, ad ornamentum, ad fæcunditatem fructumq; arboris conferunt, neq; tamen aut ipsamet arbor, aut arboris fructus consummatus, sunt: sicut in homine plura quidem sunt quæ hominem integrum & perfectum constituunt: neq; tamen aut completus homo, aut vita hominis sunt. Sic in massa metallica aureâ, plurima quidem

quidem & ea, nec inutilia, nec planè ignobilia metalla reperiunt: quæ tamen minimè omnia aurum sunt. Ita in charitate perfecta multa satis reperiuntur, quæ charitati perfectæ multum congruunt, subserviunt, commodantq;, non tamen ipsa charitas vera & perfecta sunt: sed eam oportet ab his quæ secum quidem bene sunt, ipsa tamen revera minimè sunt, separare, ac internoscere, ne contingat folium arboris aut florem pro fructu, corticem pro radice, corpus pro anima, sensum pro ratione, æs pro auro reputare, atq; acceptare.

§ II. Amor verò ille seu affectus cordis nostri erga Deum, quo afficimur, & complacemus in Deo, tanquam in bono simpliciter magno, ac summo, illudq; præferimus omni alteri bono, non ob aliud, nisi ob illud ipsum bonum quod Deus est, & quod esse Deum, agnoscimus, gaudemusq;: amorem inquam hunc Dei considera, & adverte, esse quidem charitas potest, nequaquam tamē charitas perfecta est, si ad ulteriora quæ sunt perfectæ charitati necessaria, atque propria non progrediatur. Est quidem iste amor simplex & simpliciter sibi in Deo summo & summè bono complacens omninò ad charitatem perfectam necessarius, perfecta tamen charitas ipse non est.

§ III. Desiderium Dei quo anima in Deum fertur, rapitur & æstuat, quo languet, & alleuiatur ad Deum suum: sive tanquam ad absentem, sive tanquam ad præsentem, signisq; non dubiis experimentaliter cognitū: esse quidem etiam charitas potest, nequaquā tamen perfecta charitas. Anima illa, sive charitas illa, quæ nuntiari jubebat dilecto, seseq; fulciri floribus ac stipari malis, eò quod amore langueret: item anima & charitas illa, quæ cervi instar ad fontes aquarum anhelbantis ad Deum fontem vivum festinare, & desiderio æstuare, se protestabatur: itē anima illa & charitas illa, cui lachrymæ suæ fiebant panis, tam dedie, quàm de nocte, cū sibi quotidie dici audiret, Ubi est Deus tuus? Item anima & charitas illa, quam tædebat vitæ suæ, & desiderium habebat dissolvi, ac esse eum Christo: talis inquam seu anima, seu charitas, ex hoc præcisè statu suo, neque perfecta charitas est, neq; est perfecta in charitate. Bona est & bona valdè, & in charitate perfecta laudabilis valdè: ex eo tamen solo, quia talis est charitas perfecta minimè est.

§ IV. Proposita, resolutiones, animositates, vota ferventis & æstuosæ excessivæque in Deum dilectionis, non sunt simpliciter perfecta charitas. Itaq; grandia loqui corde vel ore, admiranda est stupenda & à communi sensu renat sentire, proponere & statuere quælibet ardua, vovere & polliceri summè defæcata, & consummata. Offerre se Deo, pro Deo, ad horribilia difficiliaq; omnia, non solùm factu, aut perpessu, sed etiam A ipso auditu & cogitatu depingere, designare, destinareq; animo perfectionis in vita, in moribus, in actionibus, in virtutum exercitiis, supremos quoq; apices, nequaquam est præcisè & absolutè perfecta charitas: bona sunt hæc in charitate, & bona valdè fateor: charitas tamen perfecta, non sunt.

§ V. Cōsidera Supra dicta tribus proximis cōsiderationibus, potissimū ultimis duabus, charitatem perfectam non esse ideo in primis, quia talia omnia, hisq; plura similia, B sine charitate perfecta esse possunt, cum imperfecta charitate esse possunt, ante pefectā charitatem esse possunt: charitas perfecta sine illis (præsertim quoad proximum & actuale exercitium talium) esse potest.

Itaq; ista talia: siue præcedent perfectam charitatem, per modum præviæ dispositionis quomodo flores præcedunt fructum, quomodo ver & sementis æstatem atq; messem; bellè charitati perfectæ serviunt, ipsa tamen perfecta charitas nequaquam sunt, C cum & in ipsis incipientibus, recenterque justis, & injustitia adhuc crudis esse possint, sive etiam comitentur, aut sequantur charitatem perfectam, & ex ejus perfectionis plenitudine, ac fæcunditate, excessuq; redundent, charitatis quidem perfectæ fructus & effectus quidem, (nimirum non simpliciter necessarii, nec substantiales) esse poterunt, perfecta tamē ipsa charitas non erunt. Quare ex horum talium, in se, vel in aliis præsentia, atq; experimento: de perfectæ charita- D tis possessione, atq; præsentia in animabus, statuendum non est.

§ VI. Supradicta omnia charitas perfecta non sunt, ideo inprimis, quia charitati perfectæ simpliciter necessaria non sunt, & licet ad ejus ornatum, decoremq; possint aliquando accedere, eumq; illi addere: tamē de ejus substantia non esse. Deinde ideo, quia ista talia sine charitate perfecta esse haberiq;: imò verò cum magnis & crassis imperfectionibus consistunt. Possunt enim haberi

haberi ab ijs qui sunt amatores suiipsorum, inimici Crucis Christi, quærentes quæ sua sunt, non quæ IESU Christi. Possunt ista esse in hominibus, vivas passiones habentibus, per desideria multa, & nociva, & infrunita, inordinatè, impotenterq; effervescentibus. Possunt ista ipsa insipientibus esse causa superbiæ, complacentiæ, & ruinæ, quando nimirum insolentia talium aucti, & delectati veniunt in admirationem sui ipsorum, fiuntque apud se ipsos magni, & rari, & supra cõmunem mensuram homines Sancti. Unde pretiosi apud se sunt, honorari cupiunt: extolli appetunt, confundi dedignantur, humiliari (nisi fortè spe amplioris exaltationis ad tempus) fu[illegible]unt & oderunt, abundant in sensu suo, in judicio proprio, in voluntate propria, in amore privato atq, proprio.

Quamobrem manifestum est, hæc talia charitatem perfectam absolutè non esse. Manifestum quoq, est charitatem perfectam ab his talibus, propter jam dicta adjuncta incommoda, & pericula, libenter abstinere, ijsq, carere. Quod diligenter notandum est ijs, qui charitatis perfectæ studio desiderioque tenentur.

§ VII. Charitas perfecta potissimum primariè, substantialiterque in effectibus, in fructibus, in operibus, in exercitiis practicis, in laboribus Divinis sita & constituta est. Quia verò omnis vera charitas operativa esse necessariò debet, ut vera sit, & quia charitas vera, alia est incipientium, & ipsa incipiens: alia proficientium, etiam ipsa proficiens: alia deniq, perfectorum, & ipsa quoq, perfecta: sequitur cuilibet charitati suam efficaciam, suaq, opera inesse, neq, tamen inde sequitur omnem charitatem operativam, & efficientem licet, perfectam esse, sed potius sequitur, charitatis perfectæ non quamlibet efficacitatem, nec quælibet opera, exercitia, esto à charitate procedant, indubitatam notam esse, sed debere charitati perfectæ, proportionatam, id est perfectam efficaciam inesse, per quam etiam proportionatos, id est, perfectos effectus, seu perfecta opera charitas efficiat, & producat, ut propter eorum productionem, non tantum vera; sed etiam perfecta charitas nuncupari possit, dives scilicet & abundans in operibus bonis, egregiis heroicis perfectis. Quoniam verò ad perfectionem operum, & charitatem, non pauca desiderantur alia, præter ipsam illorum substantiam sive internam, sive externam, idcirco charitas perfecta, non tantum ex eo perfecta esse censenda est, quod illa granditer & perfectè, quoad modum, quoad conatum, quoad alias circumstantias, conditionesque requisitas faciat. Possunt enim minuta, quã tùm ad substantiam, opera fieri, modo tamen valde sublimi atq, perfecto: & erunt ista charitatis perfectæ: & possunt fieri opera, quoad substantiam sublimia, & heroica, & ardua, quæ tamen si modo quodam languido, & frigido, & sine opulentia mentis, & perfunctoriè, & cum impuritate intentionis aliqua fiant: minimè ad perfectam charitatem pertinebunt.

§ VIII. Charitatis perfectæ efficacia sive efficientia perfecta, etsi tam quoad substantiam operum, quàm quoad modum operandi attendenda sit: magis tamen penes modum quàm penes substantiam attendi, exerceriq; à charitate debet, nec non apud Deum æstimari solet. Quid autem iste modus operandi, in perfectæ charitatis perfecta efficientia requisitus in se se contineat seu in quo positus sit? etsi hoc aliàs jam explicatum habetur tamen quia hoc etiam præsentis considerationis plenitudo exigit: hic quoque perstringi consideratione omnino debet. Itaq; modus opera perfecta perfectè operandi, in quo præcipuè charitatem perfectam hujus vitæ excellere, semperq; etiam proficere (nunquam enim in hac vita ad ultimatè summum perveniri in charitate, & in sua operatione, aut operandi ratione potest, sed semper proficiendum est) debere dicimus, & volumus, hæc continet, & in his consistit 1. In intentione, puritate, simplicitate, unitate. 2. In affectionis æstu & ardore. 3 In effectionis atq; operationis ingenuitate atq; liberalitate. 4 In Divinitatis seu Divinarum in agendo rationum, normarumq; accurata imitatione. 5. In dilatata, capacique multorum, imò omnium, gloriæ voluntatiq, Divinæ congruentium, sive objectorum, sive circumstantiarũ, sive perfectionum sublimitatumque complexione. 6. In humili & obliviosa omnium quæ hactenus acta sint, intra vilitatis, infructuositatisque propriæ sepulchrum, coram Deo tumulatione. 7. In gratuita, fideli, à se penitùs nuda, in Deum autem divite, insatiabiliq, perseverantia.

Quæ omnia magis minutè ac ideò magis explicatè hunc in modum possunt proponi. Supposito ergo quod liberum agens, sit in charitate, atq, gratia, seu amicitia apud Deum,

um. & quod opus natura suâ sit, vel simpliciter bonum, honestumq; vel saltem non illicitum: ad perfectæ charitatis perfectum operandi modum pertinebunt omnes circumstantiæ operationis, quæ quantò erunt tum ab imperfectionibus quibusq; illicitis, aut levibus, tum à proprietatibus, & ad operantem ipsum, ejusq; commoda quælibet privata, conversionibus seu respectibus, tum ab omni creaturarum commercio remotæ, & vacuæ: quantò item erunt puriùs, simplicius, intimius ex Deo haustæ, inq; Deum directæ, tantò perfectiorem facient operationem, tantò dignius opus, tantò gratiorem operãtem, tantò grandiorem consummatioremq; charitatem, tantò gloriosiorem glorificatioremque Deum.

Itaq; agere (& in agere, nunc includimus etiam pati) quælibet sive magna, honorifica, obligantia, interna, sive minuta, humiliativa, vilia, spontanea, externa, agere inquam hæc in conspectu Dei intentione planè purâ, & rectâ, & sublimi (quæ est exaltare quàm maximè Deum propter ipsummet Deum) agere diligenter, & omnibus numeris operãti, operationi, operiq; debitis absolutè agere non tantum in charitate, nec tantum ex charitate, nec tantum cum charitate, nec tantũ propter charitatem, sed etiam ipsamet charitate, tam imperativè, quàm etiam elicitivè quoad fas, agere cum humilitate, perditione, oblivione sui, privati commodi, honoris, agere cum intenso extensoq; ardore fervoris, agere cum cõplexione, complicitateq; cujusvis congruæ operanti & operationi, & operi ipsi virtutis ac perfectionis: agere strenuè, robustè constanter inter medias licet operandi difficultates, agere pacatè, quiete, liberè, liberaliter, delectabiliter: agere constanter, fideliter, non quasi ad oculum, non quasi ad præmium, non quasi ad tempus agere dignè Deo, agere instar Dei, seu quomodo vel agit, vel aget, vel ageret Deus, agere transmutatè & transmutativè in Deum; agere cum gustu & contentatione proprij cordis quo ad præsens, cum fame, cum proposito, cum conamine parato, atque etiam exerto, seu excito ad ulterius, ad amplius, ad perfectius, agere cum quieta sollicitudine atque indagine, ecquid adhuc, ecquomodo adhuc, in gustum & in gloriam, & in suavitatem, & in voluptatis initationem, Divino cordi agi possit? agere non unum aliudve, non semel, iterumve

A sed agere omnia, at semper agere ex habitu, per usum in naturam verso, agere absque negligentiæ remissione; agere cum desvetudine & oblivione trepiditatis, & neglectæ perfunctoriæq; occupationis; agere cum strenuitate atq; heroicitate tanquam connaturali, agere omnia & singula quæ sese offerunt, sive adducente necessitate, sive spontaneâ delectione, sive munerum, operũ obiectorumve exigentia, sive lege obe-

B dientiæ, sive communis vitæ, charitatisq; mutuæ suggestione, illo uno præcipuè discrimine atq; fine: quia Deus est, cui & propter quem agitur. Sic agere vivendo, & vivere agendo, ubiq; & semper & omnia: hoc ni fallor, est agere juxta perfectæ Charitatis perfectum modum, hoc demum est habere genuinam perfectionem effectivæ efficacisq; Charitatis: quæ in hac vitâ, tunc demum perfectè habetur, quan-

C do semper perfectius haberi desideratur & quæritur.

Hæc consideret, imo hæc quærat, hæc agat, his & in his vivat assiduò, & semper quisquis perfectam Charitatem perfectè habere quærit & sitit, quodsi etiam ita in se liberalem experiri contigerit Divinam illam & superessentialem Charitatem, quod DEUS ipse est, ut omnimodam istam Charitatem: omnibus supradictis hac meditione punctis recompensavimus cordi infundat, atq; indulgeat, agnoscere Dei beneficentiam, & gratitudine omni possibili repen-

D dere Deo nunquam cesset. Semper tamẽ inter substantiam præsentiamq; Charitatis, & inter necessaria ejus, debitum discrimen æstimationis conservet.

CA-

CAPVT XV.

De charitate perfecta, malorum victrice, per modum prædominantis & super excedentis.



§I. Vita præsens nostra cuiuscunq; conditionis & status sit, militia & pugna est contra hostes seu visibiles, seu invisibiles, seu contra nos, seu intra nos positos, à quâ militiâ vacare nemini penitus licet dum vivit: quòd non semper eadem conditione militet, ijsdemve armis certet. Affirmatè loquitur Iob, tam de se, quàm de alijs: *Militia est vita hominis super terram.* Idem est nobis militare quod vivere: nec aliud, neq; brevius est tempus militandi, quàm vivendi: ubicunq; vivimus, ibidem & militamus? Unde etiam id S. Iob ait: *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* Idem militandi opus & onus agnoscit Apostolus hortaturq; nostrum quemlibet: *Milita bonam militiam.* 1. Tim: 1. 18. *Et labora sicut bonus miles Christi Iesu.* 2. Tim: 23. Cum autem militare necesse sit, consequens, imò antecedens est, hostes nos semper & ubiq; habere, quorũ capita vulgò sunt nota, dæmon scilicet caro, mundus in quorum castris militant contra nos peccata, tentationes, concupiscentiæ, & passiones, habitus pravi, inclinationes, occasiones.

A

§II. Licet verò omnes militare necesse habeamus, quamdiu in hac vitâ sumus: valde tamen diversis conditionibus, modis, armisq; pugnamus prout variè unusquisq; nostrûm constitutus est. Militant quidã malam militiam: ut illi qui pro diabolo contra Deum, pro carne contra spiritum & animam. Militant aliqui bonam militiã, sed nõ omnino benè, nõ omnino legitimè: non induti arma militiæ congruentia. Militant aliqui militiam bonam & benè, & alij alijs melius, ordinatius, felicius, robustius, iuxta mensuram spiritûs & gratiæ, iuxta etiam gradum, in quo constituti inveniuntur, Divinæ Charitatis.

B

C

D

§ III. Eorum, quæ bonam, & benè militiam militant contra hostes suos, variæ sunt classes. Et primo quidem aliqui taliũ militant seu decertant cum hostibus tanquã inferiores, & infirmiores, & imperitiores, cum superioribus, robustioribus, peritioribus, tales sunt noviter conversi ad Deum, quibus peccata adhuc sunt facilia cõmissu, difficilia vitatu, in quibus passiones vehementes & feroces, concupiscentiæ vinci insvetæ, dominari solitæ, habitus adhuc robusti, & vix aliquando infracti cessatione malorum, usu bonorum oppositorũ actuum, tales enim pugnant quia oppugnantur, & provocantur, pugnant cum difficultate, cum periculo, cum dubia victoria, interdum nec sine aliquo vulnere. In quorum typo fuêre filij Israel egressi nuper ex Ægypto: quos *citò cœpit tædere itinerĩs, & corde redibant in Ægyptum,* & invasit eos *Arad Rex Chananeæ, duxitq; ex eis prædã.* Num: 21. 1. Hi sunt, in quibus charitas tenera, modicaq; adhuc est, propria adolescentulorum, & incipientium.

§ IV. Alij sunt ex militantibus bonam & benè simul militiam Domini contra hostes suos, qui pugnant cum eis veluti viribus paribus: qui jã scilicet non ignorant astutias & dolos, & artes, consiliaq; hostium suorum: qui ex praxi exercitationeq; prudentiam iustorum assecuti sunt, bonis actibus contrà peccata, virtutum habitibus contra vitiosas consvetudines, serventibus sanctitatis desiderijs contrà concupiscentias malas, amore cælestium contra tentamenta extrinsecus titillantia, rationibus & motivis æternis contrà secularia

& temporalia dictamina, Sapientia Dei cõtra sapientiam mundi, spiritu & gratiâ contrà sensum & naturam decertant. Nec jam defensivo tantum bello contenti sunt, sed etiam aggressivo impetu in hostem ipsi audent, in eumq; irruunt armati nomine fortissimi Dei Israel. 1. *Reg*: 14. 13. Horum figura fuit Ionathas filius Saul, qui solo comitatus armigero suo aggressus est: *stationem Philistini: manibus & pedibus sursum reptans, itaq; alii cadebant ante Ionathã, alios armiger eius interficiebat sequens eum, & facta est plaga prima. Psal*: 17 38.

§ V. Aliqui militant Dei militiam bonam bene, ita ut superiores hostibus, atq; terribiles eis sint; tanquam excedentes eos plurimùm viribus, & armorum usu: & cõtemptui eosdem habentes, atq; irridentes, eorum conatus eo modo, quo gigantes robustissimi, per millionum, & puerorum vanas sive viribus iras, minasq; invident. Talis pugnator fuit David, quando dicebat: *Persequar inimicos meos & comprehendam illos: & non convertar donec deficiant. confringã illos, nec poterunt stare, cadent subter pedes meos. Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti: ut lutum platearum delebo eos* 1. *Reg*. 11. 11. Non potuit magis explicasse, quàm viles, & parvi essent in oculis eius hostes, quàm quando eos pulveri, à ventis dispergendo, & luto platearum, pedibus conculcando assimilavit.

Talis pugnandi militandiq; modus proprius est charitatis perfectæ quàm ita est robusta, ita super hostes suos, Divinosq; elevata, ita ut bellis Domini exercitata, ita vincere & triumphare docta assvetaq; ut omnes hostium conatus, omnes insultus tentationum ipso contemptu debellet, velut pulverem dispergat, velut lilia conculcet: *ita ut non relinquantur simul ex eis duo pariter*. Taliter pugnantium cum hostibus spiritualibus figura fuit: *Banaias filius Ioiadæ viri fortissimi, magnorum operum, de Capseel: ipse percussit duos leones Moab, & ipse descendit & percussit leonem in mediâ cisternâ in diebus nivis, ipse quoq; interfecit virum Ægyptium, virum dignum spectaculo, habentem in manu hastam, itaq; cum descendisset ad eum in virgâ, vi extorsit hastam de manu Aegyptii & interfecit eum hastâ suâ*. 2 Reg 23. 20.

§ V. Tunc verò Homo charitate perfecta præditus est, hostibusq; superior, ac per modum prædominantis superexcedentisq; mala universa, quæ verè mala, id est, moris vitia sunt, expugnata ac debellata, pulverisq; vanissimi, ac luti vilissimi loco habet & calcat, quando ad eum statum pervenit: ut vitia, non solùm idcirco oderit, quia pænalia sunt, neq; solum, quia aliter quocunq; modo damnosa, & boni cujusq; privativa, sed etiam quia & simpliciter vitiosa, & primæ summæque rectitudini rationi ac voluntati repugnãtia exosaq; sunt. 2. Deinde quando non solùm ipsa vitia modo prædicto odit: sed etiam materiam ipsam vitiorum, circa quam illa versantur, vel fastidit ac nauseat, vel nihili facit atq; despicit: vel tanquam terriculamenta puerilia, infantibusq; objici solita deridet, ac timere erubescit. Cum enim omnis nostra malitia, seu omnis nostra ad vitia peccataq; subiectio ex eo nascatur, partim quia peccata committimus crebrò, libenter àc facilè, difficile autem ab eis abstinemus, & consurgimus, partim quia materiam peccatorum impensè, inordinatè, & impotenter amamus: peccatorum autem materia duplex sit: una quidem in bonis hujus vitæ, hoc est, in voluptatibus, honoribus, cæterisq; vitæ, ac sensûs, voluntatis, & amoris proprii commodis posita: altera autem in adversis ejusdem amoris proprii, voluntatis, sensuum, honorisque constituta.

Exinde fit ut nisi vera virtus hominis desierit exhorrescere adversa omnia sensui, honori, amoriq; propria, contemnere autem & odisse inceperit omnia blandientia amori, voluntati, sensuique: non possit ullo modo fieri ut non dico per modum superexcedentis, superdominantisq; despiciat, sed vel etiam ex æquo & pari collato pede resistat aggrediaturve vitia & morum omnia mala. At ubi eo virtutis processerit, ubi ascensiones illas in corde suo disposuerit, ut vitæ præsentis bona voluptates sensûs, honores, libertatesque amoris sui æstimare desinat, adversitates autẽ, damna honoris & amoris, aspera carnis & sensuum despicere, imò & amare, appetereque propter Deum incipiat, tum revera tanquam ex alto Gigas, pumiliones viliorum, delectationum, adversitatumque contemnet, velut lutum platearum delebit, velut pulverem à facie venti disperget, dissipabitque. Sicut enim timor malorum, & amor bonorum propriorum hujusq; vitæ, sunt omnium nostrorum hostium maximi, sunt fontes omnium nostrorum periculorum inexhausti, sunt ruinarum nostrarum antesignani: ita hu-

jus timoris amoriſq; everſio, ac jugulatio, eſt ſummus ſupra omnes hoſtes noſtros aſcenſus ſummuſq; & abſolutus ex eis deportatæ victoriæ gradus & triumphus. Quo potita charitas excedit tyrocinium, tranſcendit juventutem proficientium. Obtinet principatum veteranorum, & vinci, quaſi neſciorũ, vincere triumphareq; inſuefactorum Heroum.

Ex his ergo quæ dicta ſunt condiſcat charitas noſtra profectûs progreſſuſq; ſuos, nempe tyrocinium ſuum ſi adhuc confortantur ſuper eam vitia ſua, ad adoleſcentiã juventutemq; ſuam, ſi calcatis, & debellatis malignis operibus, oppugnat & expugnat habitus pravos, inordinataſq; paſſiones. Maturitatem & virilitatem, Heroicitatemq; ſuam, ſi jam mala opera neſcit, habitus pravos ejecit, paſſiones ſub jugum miſit, bona ſenſûs & mundi deſpexit, adverſa & horrida vitæ iſtius aut irriſit, aut etiam amavit, atq; deſideravit, dicens cum illis robuſtiſſimis fideliſſimiſq; Deo ſuo. *Non timeamus populum terræ*

A *huius: quia ſicut panem ita eos poſſumus devorare. receſſit ab eis omne præſidium Dominus; autem nobiſcum eſt.* Num: 14. 9. Hoc eſt enim charitatem prædominari, & ſuperexaltari omni hoſti ſuo, omni peccato, & vitio & tentamento adverſario.



CAPVT XVI.

De charitate perfecta in bonorum operum exercitio dominante, atq; etiam triumphante.

CHaritas perfecta non tantum modo jam ſupradicta mala debellat, prædominativo quodam & ſupereminenti: ſed etiam opera bona, hoc eſt, virtutum ſublimium, ſublimes actus operatur, ratione ac via quoq; ſuperexceſſiva & ſupergredienti. Datur enim in humana ſpirituali perfectione, ſcilicet in charitate, dominium quoddam & poteſtas virtutis, ſeu exercentium opera virtutum. *Illud nimirum, quo qui præditi ſunt, facilè poſſunt ſugere mel de ipsâ petrâ, oleumq; de ſaxo duriſſimo, poſſunt etiam immolare victimas Iuſtitiæ, inundatione maris quaſi lac ſugere, & theſauros abſconditos arenarum recondere* Deut: 33 19. Satis enim mare eſſet (ſi quæ tamen eſſet) charitas noſtra, quæ robuſta quidem eſſet ad non facienda mala, ad eaq; expugnanda, & exſufflanda, tanquam pulverem à facie venti: invalida autem aut negligens, incuriaq; foret ad faciendum juſtorum & perfectorum opera.

Eſt autem prædominium charitatis in virtute quadruplex, in quorum quolibet quamvis charitas perfecta ſuo modo ſit: eſt tamen in ſingulis, alio alioq; modo perfecta, & in alio ſuper alium valdè perfectior, ut videre eſt in ſequentibus punctis.

C § II. Conſtat virtutum opera fieri poſſe ac ſolere, quædam, ſeu quandoq; ab ijs, qui ad ea patranda impares adhuc & infirmi sũt: qualis fuit Iether primogenitus Gedeonis: qui juſtus à Patre interficere Zebee & Salmaan Principes Madian *Non eduxit gladium, time bat enim, quia adhuc puer erat.* Iudic: 8. 20. Quandoq; patrantur opera virtutum ab ijs, qui ad ea patranda pares & idoneas vires habent, tum gratiæ cœleſtis, tum exercitationis propriæ: quales operarij virtutum eſſe ſolent (debent certè) illi, qui complures annos

D converſionis numerant, & multum ſatis in ſtudio perfectionis operæ poſuerunt, qui debellatis in ſe vitiis, ſubjugatiſq; paſſionibus, afferunt, offeruntq; Domino fructum ſanctarum virtutum, permanentem in vitam æternam, non tantum triceſimum aut ſexageſimum, ſed etiam centeſimum. Talis ſibi viſus eſt fuiſſe David ad debellandum Goliam: cum quo aliis videbatur valdè imparibus viribus congreſſurus, *eò quod David quidem puer eſſet, ille autem vir bellator ab adoleſcentiâ ſuâ.*

1. Reg. 17. 33. sed David in Domino confisus, & ab anteriore suâ experientiâ, *quâ cum leonibus luserat, quasi cum agnis, & in ursis fecit similiter:* non temere, sed prudenter animatus, affirmavit parem se viribus Goliæ congressurum, dicens: *Et leonem & ursum interfeci, ego servus tuus, erit etiam & Philistæus hic incircumcisus, quasi unus ex eis. Nunc vadam & auferam opprobrium populi.* 1. Reg. 17. 36. 37. & addidit præterea sanctissimus humillimusque juvenis *Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philistæi huius.*

§ III. Constat etiam quandoq; opera virtutum patrari ab ijs, qui ad ea peragenda plus quàm satis virium tam gratiæ, quàm fervoris, quàm exercitationis facilitatisque habent. Hi sunt homines in charitate perfecti, Domini, & potentes, atq, heroes in virtute, pulchritudinis studium habentes, quorum semita virtutis atq, perfectionis processit, & increvit, usq, ad perfectum diem. *Hi sunt illi sexaginta fortes, qui ambiunt lectulum Salomonis, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, unius cuiusq, ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* Cant. 3. 7 Hi labore in virtutibus superato, delectabilem, & veluti naturalem sibi omnê virtuosam actionem reddiderunt. His bona mundi, vitæq, præsentis, opes sive honores, delitiæ, ita viluerunt, ut eas etiam intuitu, aut contactu s[illegible] indignas repulerit, ita adversitates hujus vitæ, nimirum egestas, contemptus, dolor, persecutio, mors deterso omni horrore, naturam mutarunt in sensu eorum, ut omnibus divitiis, deliciis, honoribus, gaudiisq, huius vitæ præferantur. Hi medullitus illud monitum ebiberunt, *Omne gaudium existimate fratres cum in varias tentationes & tribulationes incideritis* His tribulatio, consolatio, inopia, abundantia, dolores, deliciæ, opprobria, gloria, contêptus, honores, convitia, laudes, crux, triumphus, mors vita reputatur. His deniq, *Deus est omnia in omnibus.* Deus est ubiq, & semper, super omnia, Deus est solus, reliqua autem extra Deum nihil omnia.

§ IV. Hi autem præpotentes, atq, prædominatores in virtute, habent nihilominus suas differentias, atq, gradus in charitate ista licet perfecta. Est enim servus fidelis, & prudens, & bonus amans Dominum suum charitate minimè servili, seu minimè serviliter sordida, sed servitute liberali, & ingenua, quæ durum illum foras misit timorem. Est servus cui non formidat Dominus concredere omnia bona sua, totamq; familiam suam, ut det illi in tempore tritici mensurã. Est servus succinctus lumbos, & lucernam ardentem in manu tenens, omni horâ vigilans ut quacunq; horâ Dominus venerit, januamq; pulsaverit, confestim aperiat ei. Est servus velox in opere suo, indefessus in labore Domini, totus ad fructus, & lucra Domi-
A ni multiplicanda conversus, talentis Dominicis omnibus negotians, æquè super pauca & parva, atq; super multa & magna fidelis. Deniq, servus est, qui nunquam manumitti à Domino vult, *neq, egredi ab illo, eo, quòd diligat Dominum, & domum eius, & benè sibi apud illum esse sentiat.* Deut: 15 16. cui etiam Dominus libenter dicit: *Euge serve bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Et hic est unus gradus charitatis perfectæ.

B § V. Secundus charitatis perfectæ gradus. Est enim Filius patrem diligens, patri semper adhærens, patri semper serviens, patris mandatum nullum unquam præteriens, patris amator. non hæreditatis exactor: patrem ob hoc solùm diligens, & in honore habens, quia Pater est, ex Patris nutu, authoritate & voluntate totus dependens: cujus cibus est, ut faciat voluntatem Patris, & ut ea quæ placita sunt Patri, agat sustineatq; sêper, est filius qui paternis maximè delectatur en-
C comiis, honoribus, compendiis, uritur autẽ peracerbè ejusdem injuriis, detrimentis, contumeliis, est filius omnem in rem Patris anticipans servitutem, nullam unquam defugiens obsequendi ansam, inexpletam semper Patri conservans pietatem, est filius ad formam & mores natus factusq; Patris, non minus animi, quàm naturæ indole Est filius cui etsi Patris placent omnia: ipse tamen Pater est supra omnia, imò est omnia. Denique est filius cui Pater semper est Pater, sive ille
D exhibeat filio dilectionem: sive adhibeat correptionem, sive tribuat hæreditatem, sive exigat subjectionem. Talis filius bene satis, imò & supra quàm satis robustus est, ad immanendum his semper, quæ patris sui esse intelligit: ad immoriendum his, quæ à Patre, vel præcepta, vel disposita esse cognoscit. Talis & tu esto, ut filius esse, ut filialis charitatis gradum perfectum possidere atq; exercere omnibusque numeris explere possis.

§ VI. Tertius perfectæ charitatis gradus est,

eſt, quem Sacra ſcriptura in ſponſæ ad ſponſum repræſentat effectu. quá de re totum amoris canticum loquitur, nec aliquid dici multò minus adiici poteſt, quod ibi non ſit. Aliquid ex Bernardo delibemus, quod proderit conſideraſſe ſer. 83. in can: in Med. Exigit Deus timeri ut Dominus, honorari ut Pater, ut Sponſus amari. Quid his præſtat? Nempe amor, abſq; hoc, & timor pœnam habet, & honor gratiam non habet. Neutrum horum acceptabit Deus, ſi melle amoris condita non fuerint. Is per ſe ſufficit, is per ſe placet, & propter ſe ipſe meritum, ipſe præmium ſibi eſt, præter ſe non requirit cauſam non fructum, fructus eius, uſus ejus. Amo, quia amo, amo, ut amem. Magna res amor ſi ad ſuum recurrat principium. Solus eſt amor ex omnibus animæ motibus, ſenſibus, atq; affectibus, in quo poteſt creatura (etſi non ex æquo) reſpondere auctori, v. g. Si iraſcatur mihi Deus num illi ſimiliter reiraſcar, non utiq;, ſed pavebo, & veniam deprecabor. Ita ſi me arguat, non redarguetur à me, ſed ex me potius juſtificabitur, nec ſi me judicabit, judicabo eum, ſed adorabo. Et ſalvans, non quærit à me ipſe ſalvari &c. Nunc jam videns de amore quam aliter ſit. Nam cum amat Deus, non aliud vult quàm amari: quippe non ad aliud amat, niſi ut ametur, ſciens ipſo amore beatos qui ſe amaverint. Magna res amor, ſed ſunt in eo gradus. Sponſa in ſummo ſtat, amant enim & filij, ſed de hæreditate cogitant. Suſpectus etiam firmus eſt amor, cui ſpes ſuffragatur, qui ſpe ſubtracta extinguitur aut minuitur. Purus amor, de ſpe vires non ſumit, nec tamen diffidentiæ damna ſentit. Sponſæ hic eſt, quia hoc ſponſa eſt, quæcunque eſt: ſponſæ res, & ſpes, unus eſt amor, hoc ſponſa abundat, hoc contentus eſt ſponſus. Nec is aliud quærit, nec illa aliud habet, hinc ille ſponſus, & ſponſa illa eſt, is Sponſis proprius eſt, quem alter nemo contingit, ne filius quidem. Eſto quod honor Regis judicium diligit, ſed ſponſi amor, imò ſponſus amor, ſolam amoris vicem requirit & fidem, quid ni ametur amor.

Meritò cunctis renuntians affectionibus aliis, ſoli incumbit amori, quæ ipſi reſpondere amori habet in retribuẽdo amore. Nam & cum ſe totam effuderit in amorem: quantum eſt hoc ad illius fontis perennæ profluvium? Non planè pari ubertate fluunt amans & amor, anima & verbum, ſponſa & ſponſus creatura & creator, non magis quàm ſitiens & fons. Quid ergo? Peribit propter hoc, & ex toto evacuabitur nupturæ votum, quia nõ valet ex æquo currere cum Gigante, dulcedine cum melle contendere, levitate cum agno, candore cum lilio, claritate cum ſole, charitate cum eo qui charitas eſt? Non. Nam etſi minus diligit creatura, quoniam minor eſt, tamen ſi ex tota ſe diligit, nihil deeſt, ubi totum eſt. Propterea ſic amare, nupſiſſe eſt, quoniam non poteſt ſic diligere, & parum dilecta eſſe, ut in conſenſu duorum, integrũ ſtet perfectumq; connubium, niſi quis dubitet à verbo animam & prius amari & plus, prorſus & prævenitur amãdo, & vincitur. Felixq; meruit præveniri in tantæ benedictione dulcedinis: felix, tantæ cui ſuavitatis complexũm experiri donatum eſt. quod non eſt aliud quàm amor ſanctus & caſtus, amor ſuavis & dulcis, amor tantæ ſerenitatis quantæ & ſinceritatis, amor mutuus, intimus, validuſq; qui non in carne una, ſed uno planè in ſpiritu duos jungat, duos faciat, jam non duos, ſed unum dicente Paulo. *Qui adhæret Deo, unus Spiritus eſt.* Hactenus Bernardus de ſponſali charitate, quæ tantum præſtat filiali charitati, quantò major eſt unio ſponſi & ſponſæ, quàm patris & filii. Et quia major eſt unio, idcirco etiam eſt robuſtior operatio, neceſſe eſt enim ut obtineat majus ad agendum & in agendo prædominium: quandoquidem certiorem habet in dilectione triumphum.

§ VII. Quartus perfectæ charitatis gradus eſt, cui facilius eſt invenire officium, quàm nomen, debet namq; præſtare ea omnia, quæ ſupradicti gradus tres, & inſuper aliquid ſi non amplius, certè expreſſius. Tres prædictæ charitates quantumlibet ſublimentur, ſemper tamen habent in ſe aliquid, ſi non ſuum, ſaltem ſui. Manent enim ſemper id quod ſunt, ſive id ſit ſervus, ſive filius, ſive ſponſa, at iſte quartus amittit non tantum omnia ſua, verum etiam totum ſe tranſiens & transformans ſe in amatum, ſeu potius amorem ſuum, nihil retinens, nihil quærẽs, nihil ſentiens, nihil intuens, nihil reminiſcens, ſive ſuum, ſive ſui, ſive ſibi. Vivens etiam ipſa perditione, & oblivione & exinanitione, & annihilatione ſui, ad hoc ſolum, & unum in eſſe ſuo exiſtens, ut habeat quod perdat, quod prodigat in amorem, ad ſolum hoc vivens, ut poſſit eſſe, vivere, mori, & gaudere, & gloriari in Cruce, in ignominia, in

miseria, in dolore, in morte propter amorem.

Itaq; quisquis quartum hunc charitatis perfectæ gradum obtinuit, is in amatum, seu potius amorem Deum transivit, seu transformatus est; amisit apud se suum esse, amisit inquam sui curam, sui amorem, sui intuitum, suarum rerum, suæ vitæ, suæ mortis, suæ gloriæ, suæ beatitudinis, suæ existentiæ: sed hæc omnia sepelivit in Deo perdiditq; in ipso, sicut gutta perit in mari, aut atomus in sole. In hoc gradu quisquis consistit, res omnes prorsus nihili facit, nec ullum respectum earum habet sive illæ prosperæ sint, sive adversæ, sive pertineant ad ejus conservationem in esse, sive ad ejus honoris, reputationis, amorisve apud creaturas integritatem, sive denique ad quidlibet aliud, quod ejus, & ad ipsũ propterq; ipsum quoquomodo sit. Una & sola est ejus cura, glorificare, & portare Deũ, tam in corpore, quàm in spiritu suo, per gloriam & ignominiam, per bonam famam, & infamiam, per penuriam & abundantiam, per vitam & mortem, per amorem & odium, per cœlum & infernum.

In hoc gradu quisquis consistit, vulneratus & penetratus, & transformatus à charitate in ipsam charitatem, esurit, & sitit contumelias, calumnias, injustas accusationes, falsa testimonia, pro stulto haberi & existimari, purgamentum mundi, opprobrium hominũ, & abiectio plebis fieri, Vulnera, vincula, plagas, vulnera, carceres, iniqua judicia, virgas, flagella, crucem, sanguinis effusionem, tormenta, mortem, partim non timet, partim expetit, partim pro præmio & beatitudine reputat. Et tantũ abest ut his absterreatur ab amore, obsequiis, operibusq; Dei, ut potius ista timere timeat erubescatq; & his ipsis carere, vitamq; suam non condiri formidet. Talis amator, dolet quia non dolet, affligitur, quia non affligitur: magis eligit non vivere quàm non tribulari, aut mori aut pati votũ ejus.

Tali æstu arsit Christus Dominus in totâ vitâ suâ mortali: usq; dum eam exuit: in primo conceptionis suæ momento, hunc ignẽ concepit, semperq; eo momentis omnibus flagravit, neq; sibi eo abundè saginatus, ebriusve etiam in ipsius passionis incendio visus est: sed post omnem illam charitatis indulgentissimam in tormẽtis sufficiendis propinandisq; ebrietatem, sitire se, magisq; siti Crucis quàm cruciatu, & morte crucis, affligi protestatur. Hunc æstum Domini ignorans Petrus, ad iniectam ab eo mentionem Passionis, quasi amoris zelum, sed non secũdum scientiam exerens, *Absit* ait, *à te Domine, non fiet tibi hoc*: at enim qui pro amore isto gratiam sperabat, retulit repulsam, & durum illud verbum. *Vade retrò sathana: scandalum es mihi.* Hunc ipsum ignem Dominus postquam de cœlo misit in ossibus discipulorum suorum: mox illi contumeliosissime A virgis cæsi, jussu magistrarus, triumphantes gaudio abeunt à conspectu concilii, *eo quod digni facti essent pro nomine IESV contumeliam pati.* Has ipsas flammas eructabat Christi servus Ignatius Antiochenus: ejus scintillæ sunt. *Vtinam fruar bestiis: quæ oro mihi veloces esse ad interitum, ne sicut aliorum Martyrum non audeãt corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciã, ego me urgebo, ut devorer. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur desiderans, ut Iesum Christum inveniam, tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut* B *Christo fruar.* Hieronymus in Script: Eccles: Alter quoq; Ignatius Societatis IESU parens, ejusdem planè spiritûs flammis ventilabatur, vel ustulabatur potius, cujus incarcerati catenatiq; vicem aliquando cum amici miserarentur, in illas prorupit flammas. *Non tot sunt in Historia totâ, non tot in orbe terrarum custodiæ & catenæ, ut non plures multo in Christi gratiam ego concupiscam.* Tom. 1. l. 1. Hist. Soc. n. 62.

§ VIII. Comparati ad invicem isti gradus omnes sunt in hoc similes, quia quandã C unionem cum Deo important: sed alius alio arctiorẽ. Adstringitur charitate bonus & fidelis servus Domino suo: sed tantum magis filius Patri adstringitur: & magis utriq; unũ sunt, quàm servus & Dominus ejus. Porrò, sicut absq; dubio maior est unitas inter sponsum & sponsam, quàm inter patrem & filium: ita etiam hic gradus tertius, secundo illo perfectior est. At quartus gradus amantem inter ac Deum, non inducit unionem, D sed unitatem, ac veluti identitatem: transfert enim, seu potius transformat hominem amãtem in Deum amatum, facitq; perire sibi hominem in Deo.

Rursum autem tres primi gradus (uti supra dictum est p. 7.) semper aliquid retinent de se: imò & de suo, nam utiq, servus apud Dominum mansionem, sustentationemque habet, præmiumque ac mercedem sperat & obtinet. Filio quoq; manet apud Patrem sui cura, manet hæreditas. Sponsa denique in utri-

utriusq; fortunæ communionem assumitur à sponso: ut scilicet socia, particepsq; sit non tantum tribulationis, sed etiam consolationis: imò magis ad delicias & gaudia adsciscitur, quàm ad mærores vel labores: ut nempe Sponsus habeat, ubi post curas & labores respiret, recreeturq; quod minimè fit absq; bono sponsæ ipsius. At verò qui ad quartum gradum assumptus est: is in Deum absorptus & transformatus est, exuit naturam, mutatque fortitudinem, perit ipsi sibi tam quoad alia omnia: totus est Dei, totus divinus, seu divinatus, deificatusque, totus pene ipseq; Deus. Qui enim quærebat sua ante, jam perdidit etiam ipsum se, qui quærebat dulcia fugiens amara: jam fastidit & ridet dulcia, omniaq; prospera, amat autem & appetit omnia amara, pascitur adversis, saginatur patientiâ. Deniq; fidelis servus impendit Domino industriam. Filij & Sponsæ exhibet affectum.

A

B

Quartus iste Amator Anonymus, Christiformis, Deificatusq; impendit, & super impendit, tam se ipsum, quàm omnia sua. Servum labores superare non possunt: filium non absterret disciplina. Sponsam zelus seu zelotypia non fatigat: Anonymus autem ille certus est, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; potestates, neq; alia creatura, possunt eum superare, atq; separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESU Domino nostro. Et quamvis certus sit: imò, melius dicam, quia certus est, quod separari non possit, usque eò progreditur, sanctâ quadam, & mira audacia, an astutia nescio: ut velit separari à Christo. *Cupio* (ait unus talium:) *anat ema esse à Christo pro fratribus meis.* Hoc ne cupit, qui nuper de non separatione certus & gloriatus fuit? Ita est, separari vult, quia separari non timet, quia inquam non separari certus est, paratus est Christum propter Christum deserere: & deserit deliciosum gloriosumq, Christum, propter dolorosum, contemptum, crucifixumque subtrahit sibi Christum, seq, Christo: & delicias mutuas: ut lucretur Christo, per suas cruces, novas prædas, novas sponsas, novas delicias.

C

D

Hoc spiritu, hoc æstu, hoc æstu, illa quæ quondam dicebat. *Nunciate dilecto, quia amore langueo, fulcite me floribus, stipate me malis. &c.* jam mutata loquendi, & amandi, & audendi formula: animosè prope imperat, *Fuge dilecte mi.* facit hoc quia sobriissime ebria est. Crevit in amore, mutuata est, mutavitq, fortitudinem, & robusta est: quare deliciis solatiisque renuncians, nova virtute induta, & armata, suis viribus unà cum ipsa se, orba, Divinis verò impleta, in quibus post omnia, provocat omnia tormenta diaboli, aspernatur omnes delicias sensuum, ridet omnia mundi bona, nec ea pluris facit, quàm pulverem quem projicit ventus à facie terræ, quàm lutum, & stercora platearum, pedum ipsorum contactu indigna.

Ex his quæ dicta sunt, discat perfectæ charitatis ambitiosus amator, atq, exercitator: quæ & qualis est illa charitas, quæ per modũ potestatem habentis, jure prædominantis, atq, supereminentis operatur opera virtutũ, ad id enim præstandum compendiosissima via est, transformativa, ista & deificante imbui, induiq, charitate: quâ exercitatus & armatus homo, tanquam speciali, secretissimaque amantis & amoris Dei disciplina, omnia tam horrida quam dulcia mundi, veluti lutum platearum conculcet, veluti palleas comminuat, veluti pulverem dispergat. Sapientissimè stultus fiat, discretissimè indiscretus, diligentissimè negligens, robustissimè debilis, humillimè superbus, suis viribus omnino vacuus, Divina virtute ex alto indutus & repletus: operetur opera Dei, opera virtutum, opera charitatis primæ & ignitæ, opera dilectionis morte & inferno fortioris: securè glorians in Domino. *Omnia possum in eo qui me confortat.*



CA-

CAPVT XVII.

De charitate perfecta hujus viæ, imitante charitatem beatam Patriæ.



Quamvis charitas viæ à charitate patriæ, tantum differat atq; distet; quantum ipsa inter se via patriaq; distat & differt: quia tamen charitas perfecta hujus viæ sine dubio est suo modo vicina (& saltem respectu nondum perfectæ charitatis vicinior) charitati Patriæ: sicut quædam viæ pars vicinior est termino suo, quam alia, ejusdem viæ ad eundem terminum: idcirco non absurdè possumus charitatem perfectam viæ hujus cogitare atq; æstimare tanquam imitatricem charitatis beatæ. Maximè quãdo charitas perfecta hujus viæ, non aliunde perfecta esse diciq; meretur similis ac vicina charitati beatæ, nisi ex eo, quod ad illam magis magisq; accedat, deq; illius perfectionibus participet. Ex quo etiam illud consequens habetur, charitatis hujus viæ id esse ex præcipuis officiis unum, tendere ad quàm maximam similitudinem charitatis Patriæ: & etiam ex eo ejus perfectionem majorem, minoremq, desumendam esse, quod charitatis patriæ major vel minor imitatrix, ejusq; perfectioni, & consummationi plus minusuè intra statum viæ vicina esse comperiatur.

§. II. Charitas Patriæ quæ aliàs beatitudo cœlestis, charitas consummata, aliisq; nominibus appellatur) constat his veluti partibus atq; gradibus. 1. Cognitione intuitiva Dei, sive sicuti est ac facie ad faciem. 2. Dilectione ejusdem beatificâ. 3. Fruitione, sive gaudio possessivo Dei. 4. Unione cũ Deo perfectâ, & æternum indissolubili. 5. Laude Dei præmiali. 6. Gratiarum actione plena est. 7. Congratulatione securâ & æternâ, In his septem partibus gradibusque, charitatem beatam, charitas perfecta hujus viæ, atq, vitæ, suo modo, quantùm conditio præsens finit, imitatur, atq, consectatur. Primò enim charitas perfecta, (& anima quæ ipsam habet) cognoscit Deum fide quidem & per speculum: fide tamen quadam majori, & elevatiori, & per experimentum, quod habet de Deo, evidentiori: quàm ordinaria fides facit, quo sensu dictum de Moyse novimus:

A *quod facie ad faciem Dominum videre, cum eoq; Dominus loqui, sicut solet amicus ad amicum suũ, consuevisset.* Exodi 33. 11. num: 12. 8. Nimirum animabus excellenter puris, charitateq; perfecta ornatis, Deus intra gradum fidei atq, viæ statum, communicat lumẽ quoddam uberius, limpidius, atq, oculum animæ in Deum intromittens intimius: in quo homine anima videt lumen: in Deo scilicet (seu per Deum) videt Deum, & quæ sunt in Deo,

B seu potius, quæ sunt Deus: duciturque eorũ, sive ejus visione in Deum, eo modo quo trahitur stipula ad succinum, ferrum ad magnetem, nebula ad solem, aqua in spongiam. Tunc anima quidquid credit in altiori quodam lumine sese omnia credere agnoscit: creditura sine dubitatione omni, etsi & scripturæ, & omnia magisteria testimonia que deficerent: etsi miracula nulla essent. Tunc

C etiam anima in tali fide sua conquiescit cũ quadam inquietudine. *Conquiescit enim quia testimonia Domini facta sunt ei credibilia nimis:* sive pro utilitate, firmitateq; sua propria, sive pro manifestatione gloriæ Dei. Non tamẽ absq, inquietudine: quæ enim ita firmiter, robustè, elevatè, & tantum non plane evidenter credit; ijs inescata, & lambere tantum, gustareque non autem ad satietatem sumere, edereque permissa, ad ipsam sine velo, innu-

D bem, revelatamq, faciem contemplandam, admitti ardescit.

§ III. Hæc cognitio charitati perfectæ indulta est continuum perenneque incentivum ejusdem ad dilectionem Dei beatificam quidem in voto, & conditione (si nempe Deo ita placeret, atque ut ita quam primum placeat) transformativam autem, amicissimamque in ipsa praxi & executione, Talis enim anima, est ex illis, quæ confidenter dicunt

 cum

cum Paulo. *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Rom: 5. Itaq; anima charitate fidei instructa, mox etiam incedit charitate non tantum vulnerata, sed etiam alterata, atque adeo transformata, totis medullis amat, & amando se absq; satietate satiat, habens amoris perennem, quodãmodo fontem, non tantum suam affectionem, verùm etiam Sancti Spiritus præsentiam intra se. Neq; enim tantummodo ipsa amat Deum, sed etiam amatur à Deo, neq; tantum amat nomine veluti suo, sed etiam munere Divino, non solum amat quasi ipsa priores in amando partes habens (id enim fieri non potest simpliciter) sed redamat quasi respondens, & rependens vicem in amore ei, à quo prior dilecta est. Simile quidem & ad mensuram sui limitati esse, quantum ex parte sua: infinitè verò & immensè aliquo modo, quantum ex parte Spiritûs Sancti in ipsa inhabitantis, eamque per charitatem sanctificantis, & illi de suo amore communicantis, cum ipse sit primus & increatus amor.

Atq; hac una impletur in animâ illud: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Ioan: 4. 16. quia scilicet amor charitativus ducit animam in Deum, vicissimq; Deum in animam. Quæ quidem est præcelsa animæ beatitudo hujus vitæ: sentire nimirum amari se toto quasi Deo, omnibusq; viribus ejus, quasi aliud nihil amaret præter ipsam, & vicissim sentire quoq; amare se Deum, totis etiam viribus suis, à charitate Spiritus S. absorptis, & in Deum conversis: ita ut Deum amet non intuitu ullo sui: nec ideo quia Deus illi bonus, misericors, liberalis, & quocunq; modo commodus, sed excluso quolibet participante de Deo respectu, fertur & tendit in Deum propter Deum, propter simplicem & nudam propriamq; illius, ac in eo ipso sistentem bonitatem, plenitudinem, perfectionemque. Quâ ratione anima sinceritate amoris sui in Deum, rependit pro suo modulo sinceritatem ejus amoris, quo & ille animam amavit, non quasi inventa ulla bonitate, sanctitate, dignitate, in animâ: sed à suâ propria, ingenita, sibi redundantia bonitatis, ut eam in se ipso animæ communicaret beatificè, æternaliterque: pro cujus etiam communicatione tantâ tamq; profusa dilectione laboravit, ut de bonis quidem omnibus suis nullum retineret, non animæ communicatum, de malis autem animæ nullum non susceptum, (si peccata, & peccaminosa excipias) relinqueret. attingens hoc modo à fine ad finem, à summo ad imum charitatis, suprà quod ascendere, infra quod descẽdere amplius propter creaturam non posset. Amando enim dedit se ipsum, quod summum in Deo est, amando item pro amatis seu amicis mortuus est, quod item ultimum & in-
A finitum in creaturis est, infra quod pro amore illarum descendi non potest.

§. IV. Charitas perfecta viæ, æmulatur charitatem patriæ in fruitione possessiva Dei. Etenim charitas est, quæ unit amantem & amatum, & quia unit, facit præsentem alterum alteri, absentia enim uniri non possunt, quia verò facit præsentem utrumq; mutuò, facit etiam delectationem in utroq; mutuam, facit gaudium, facit deniq; fruitionem. Nam fruitio aliud non est, quàm gaudium atq; delectatio de bono præsente amanti &
B cognoscenti illud, & inhærenti illi propter ipsius bonitatem. Certum autem est charitatem, præsertim perfectam: non delectari bono, scilicet Deo, propterea quia illi, seu animæ, bonus est Deus, sed propterea, quia ipse sibi Deus bonus, & super bonus est. Qua in re, prævia est cognitio, huic succedit, vel potiùs accedit dilectio, utraq; facit præsentiam, intimamq; unionem, ex hac possessio, delectatio, gaudium, fruitio Dei. Licet autem ista fruitio proportionetur cognitioni,
C qualis esse potest in hac vita: nempe cognitioni per fidem cum spe, attamen sicut perfectæ charitatis fides est vivacior, altior, puriorq; quàm ordinariorum justorum, ita quoq; & dilectio, & unio, & præsentia, & delectatio & fruitio, intimior, est absorbens & transformans magis, est deificans quàm maximè, atque sincerissimè animam: ita ut nudè inhæreat Deo propter Deum, & propter excellentiæ ejus majestatisq; manifestationem, obliviscens non tantum omnem ex creatura conso-
D lationem, verum etiam ex Deo suam (quatenus sua est) delectationem, atq; beatitudinẽ.

Quam ad rem introducitur, inflammaturque, anima charitate instructa, non tantum tunc, quando Deum ejusq; bona, & perfectiones in ipso Deo contemplatur, & reperit, sed etiam quando eundem, ejusq; perfectiones invenit, & intuetur in creaturis, omnibus quidem, sed præcipuè rationalibus. Omnes enim creaturæ plenissimæ sunt Deo, & ejus bonis, atq; excellentiis: neq; ex alio ullo fonte, aut sunt, aut bonæ sunt, aut perfectiones,

opera-

operationes, excellentiasve habent ullas, nisi ex Deo: quo fit ut animæ diligenti, Deus sit omnia in omnibus, sit præsens in omnibus cognoscatur ab eâ in omnibus, diligat, teneatur, possideatur ab illa in omnibus, gaudiũ, fruitionemq; Dei, & de Deo inveniat in omnibus, & ex omnibus. Quod, si quæ anima non habet, neq; in se experitur, scire debet, charitatem suam adhuc tam valdè procul esse à sua genuina indole charitatis perfectæ, quàm valde est imperita & rudis invenire, diligere, possidere Deum, fruique, & gaudere de Deo propter ipsum Deum, ex creaturis, & ex operibus, ex bonis, & donis ejus omnibus. Quin imò audeo dicere, quæ anima, in, & ex creaturis, Deum nosse, diligere, possidere, eoq; frui, & delectari non didicit, eam vix, ac ne vix quidem posse commodè, competenrerque Deum invenire, & diligere, & possidere, eoque frui, ac delectari in semetipso. Quomodo non possit aut sciat invenire, & apprehendere Deum in eo, in quo illum nullatenus videt: scilicet in semetipso: quem nescit, nec potest invenire, & capere, atq; possidere in imaginibus, in operibus, in domiciliis, atq; adeo templis, & cœlis, ejus qué videt? *Anima iusti, sedes est sapientiæ.* in eodem sensu quotidie dicimus: *Pater noster, qui es in cœlis: hoc est in nobis,* quin & Paulus ait: *Templum Dei, quod estis vos.* & alibi ait: *ad hoc homines factos à Deo, ut quærant Deum, si fortè attrectent eum, aut inveniãt: non enim longa est ab uno quoq; nostrum: in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Præposterè ergo & parum sapienter anima agit: quæ Deum semper tanquam absentem, aut remotum quærit, desiderat, invocat, in oratione tanquam procul dissitum alloquitur: nunquam autem eum cœlum & terram implentem, nunquam ubiq; & omnibus intimè præsentem, nunquam illum in se, & in aliis, alia & se in illo inhabitantem, & veluti innatantem apprehendit, agnoscit, amat, capit, possidet, eovè delectatur, gaudet, fruitur. Talis anima similis est homini, thesaurum domi defossum habenti, sed eum ignoranti, & præ ejus ignoratione inopiam patienti. Quanquam talis anima isto homine infelicior, aut potius stolidior est, quia ille quidem ignorans bonum suum præsens, eo uti non potest at anima bonum suum, id est Deum suum sibi intimissimè cum omni bonorum plenitudine, præsentem habens, & sciens, eo prout dignum est frui & nescit & negligit.

A

Hæc expende diligenter ò anima perfectæ charitatis cupida: & quoad in ista vita fas (fas est autem plus quàm vulgo homines cogitant, aut credunt, cum manus Dei, in Electos, præsertim in charitatis alumnos non sit abbreviata, imò plus quàm libenter, liberaliterq; gaudet esse effusa) insuefac palatũ tuum, osq, & fauces cordis tui, fruitione Dei tui, omniumq; bonorum, imò universæ bonitatis ejus, quâ omnes quidem creaturæ ejus plenæ sunt, eamq; totis se propinant omnibus volentibus: sed tamen nemo plenior est, quam ille ipse cui comparatæ omnes creaturarum bonitates, bonæ non sunt, imò malitiæ sunt. *Delectare* Psal, 36. 4. in hac bonitate Dei tui, propter ipsum Deum tuum, propterq; eandem ipsam bonitatem ejus, *& ipse dabit tibi omnes petitiones, & expetitiones cordis tui.* quæ cor tuum non intrabunt tantum, sed etiam tu intrabis in eas: *& tunc videbis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum* Isa: 60, 5. non tantum ut suscipias ad plenum bonitatem Dei tui: verum etiam ut ingrediaris in omnem plenitudinem bonitatis ejus: ita ut de abundantiâ magnitudinis necesse habeas confiteri Domino infirmam adhuc tantæ plenitudini capacitatem tuam infinitè autem excessivam liberalitatem suã.

B C D



CAPUT XVIII.

De aliis dotibus charitatis perfectæ, quibus æmulatur dotes charitatis beatæ.



§ I. Haritas viæ perfecta æmulatur charitatem patriæ in unione perfecta, & indissolubili cum Deo. Certum est enim quod Beati in patria perfectissimè uniantur & adglutinentur Deo, & fiant unũ cum ipso unitate per omnia perfecta, æternumq; indissolubili. De qua indissolubilitate, certi & securi sunt, per hocq; tantò amplius Deo adnectuntur, quantò se cum Deo, Deum secum, & esse, & fore unum in æternũ indubitantius sciunt. Hanc unitatem Electis suis Dominus IESUS postulavit, & impetravit, sic Patrem suum orans. *Sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Ioan: 17. 21. Non solum autem unitatem hanc Beatis suis in patria, pro patria impetravit, sed etiam & pro præsenti vitâ atq; viâ, quandoquidem hic prius uniri Deo necesse est, ut quis ibi in patria uniri possit, & Dominus ipse IESUS, qui ad hoc principaliter, imo & finaliter homo factus est, ut nos æternaliter Deo conjungeret, primum nos secum, & per se Deo uniri voluit in hac vitâ, ut eâ unione disponeremur ad unionem in altera vita, imo ut unio hujus vitæ, esset inchoatio, unionis consummandæ in futurâ vitâ. Quâ de causâ se quidem vitem, nos autem palmites, se caput nos membra, se Patrem nos filios, se sponsum nos sponsas esse voluit. Propter quod Paulus huius se unionis participem, atq; etiam alios sui similes sciens, Non dubitat profiteri. *Certus sum enim quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neque ulla creatura poterit nos separare, à charitate (consequenter ab unitate Dei) quæ est in Christo IESU Domino nostro.* Rom. 8. 38.

Et est quidem fatendum, quod unio quâ in hac vita unimur Deo per charitatem, quãtumlibet perfectam, & excellentem, semper sit dissolubilis de lege ordinaria, cum homo hic vivens possit peccare, tentationibus subjaceat, & creaturarum (quarum usu omnino carere non potest) illecebris pateat, neq; possit semper actuali delectione incessabiliter in Deum ferri: quorum nihil est in charitate patriæ: A nihilominus ea est Divinæ bonitatis circa Electos suos, præsertim eximiè perfectos ac dilectos liberalitas, ea in eis custodiendis sedulitas: ut quanquam possint, ex vi status viatorum illa incommoda pati, defacto tamen non patiantur: ita ut à Deo separẽtur simpliciter esto separetur ab acta dilectionis aliquatenus ob fragilitatẽ, esto labeculas cõtrahant ob infirmitatẽ: in ijs tamẽ non hærent, sed celerrimè charitatis suæ in Deum ar- B dore, & ad meritorũ Christi usum participatione ab ijs emũdantur, assequũturq; ut etsi non semper, non raro tamen sint, abq; ulla tam culpæ, quàm pœnæ obligatione coram Deo suo: ita ut de eis dicere Domini veritas non dubitet. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Cant. 3. 7. Atq; ita, etsi non simpliciter, & absolutè charitas hujus viæ inducit unionem indissolubilẽ cum Deo, C inducit tamen suo modo. Non enim sine causâ tribuitur charitati illud privilegium, quod nunquam excidat, tum etiam illud robur, quo & *Morte fortior, & inferno durior, & aquis multis, id est omnibus potentior efficitur, atque appellatur.* Cant: 8. 6.

§ II. Quibus modis ista charitas hanc unionem cum Deo hac in vita assequatur exerceat, conservet. Certum est unionem hanc cum Deo, quam charitas operatur non D esse substantialem, ita scilicet ut amans creatura in substantialia Dei transeat, vel contrà id enim, nec Beatorum charitas præstat, & fieri hoc de creaturâ simpliciter absurdum, soliusq; charitatis Divinæ ad intra, quâ diligit Deus semetipsum proprium est. Est igitur hæc unio animæ Deum charitate diligentis, à Deoq; dilectæ, non per substantialia, sed per affectum, atq; volũtatem, ita nimirũ ut per voluntatem suam creatura, perq; affectus suos, tota transferatur, transformeturq;

turq; in Dei voluntatem, ut utriusq; voluntatis sit unum: non esse sed velle, unum amare, unum probare, unum gustare: ut quod Deus vult, creatura quoq; velit, & ideo, quia Deus vult, velit: aliud velle possit, posseque velit, & inde fiat, ut etiam Deus reciprocè hoc velit quod creatura vult, neq; dedeceat Deum velle idem quod ipsa. Hæc conformatio atq; similitudo voluntatum increatæ & creatæ, volitionumq; quantò est perfectior, plenior, absolutior, [illegible]idior, sincerior, securior, tantò est unio, creaturæ cum Deo, Dei cum creatura simplicior, seu major, tantò charitas perfectior.

Declaratur hæc voluntatis creaturæ in Divinam transformatio, notis illis, ac Bernardo usitatis similitudinibus, àëris à luce illuminati, ferri ab igne candentis, guttæ aquæ in magnam vini quantitatem immissi: Nam ut aer sic luce penetratur ut lux videatur, ut ut igne ferrũ sic candet ut ignis appareat, ut aqua à vino sic afficitur ut à vino non differat esto substantiæ omnium integræ sint: sic voluntas creatura amans, à Dei amantis voluntate, ita penetratur, absorbetur, possidetur, ut salva Entitate, affectio nihilominus, una, eademq; appareat, & effectu comprobetur.

Hac ergo conformitate mediante charitas perfecta, mores Divinos tam circa se, quàm circa nos per omnia quantum potest æmulatur: ingenium in omnibus probat, decreta omnia veneratur consuetudines tenet, ductũm ut umbra corpus sequitur. Inter amara & dulcia, inter prosperos adversosq; eventus, inter honorificos abiectosq; status, nihil differentiæ alterius recognoscit præter unam illam: *Quoniam tu fecisti*. Et *vita in voluntate eius*, *Sicut Domino placuit ita factum est &c.*

Hunc amorem similativum voluntatis creatæ cum Divina, ediscit charitas, edocetq; animam ab IESU Christi exemplis: quæ primariè intuetur, æmulaturque: proinde ad exemplum ejus dicentis: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris*: & ipsa quoq; in cibum victumq; suum quotidianum, imò continuum, assumit Dei voluntatem: & quia naturã alimenti alita induunt: inde etiam anima voluntate Dei assiduò cibata, voluntate sua, perpetuo Divinam voluntatem refert, sectatur, profitetur, æmulatur, induit, exprimit, repræsẽtat. Non secus ac aer illuminatus lucem, ferrum candens ignem, aqua vino infusa vinum, ita ut nec aer tenebras suas, nec ferrum qualitates suas, neq; aqua insipiditatem suam videatur retinere, prædominante in se eo, quod nobilius est & absorbente, vel abscondente in se quod vilius est.

Quo fit, ut Augustino teste atq; Bernardo: talis creatura sit omipotens, & omnia in eo qui eam confortat, in seq; conformat potẽs, & etiam præpotens, sive id sit naturale sive supernaturale: quoniam cum participatione voluntatis Divinæ, usq; adeo in se prædomi-
A nãtis ipsa etiã vicissim particeps fit Divinarũ virtutum & perfectionum: nempe sapientiæ, potentiæ, bonitatis, veritatis, quietis, quin & gloriæ, atq; etiam beatitudinis: ita tamẽ ut non in se, sed in Domino glorietur. *Charitas enim non quærit*, imò nec videt, nec meminerit *quæ sua sunt*: sed tantum quæ Dei: *ut sit fidelis ei cui se probavit.*

§ III. Charitas perfecta viæ æmuletur charitatem beatam in laude Dei. 1. Beati omnes, ad hoc beati sunt, ut Deum laudent:
B & per hoc ipsum Beati sint. Sic enim David loquitur. *Beati qui habitant in domo tua Domine in secula seculorum laudabunt te.* Charitas viæ maximè perfecta, nihil aliud agere vult, scit, potest, nisi Deum laudare. Hæc est quippe charitatis anima, & vita, laus Dei. *laude mea infrenabo te.* (ait Dominus) *ne intereas.* Interiret ergo si non laudaret: laudat, ideo vivit: & bene dicitur frenari laude: ut enim freno reguntur animalia, ne in præcipitium eant, utq; sint in potestate regentis,
C ita charitas laude Dei regitur, & in potestate est Dei, & vicariorum Dei.

2. Beati Deum laudant jugiter: ex nimia delectatione, quàm in Deo habent, delectatio autem ex charitatis incenso & necessitatis ardore in Deum consurgit. Pariter charitas viæ, quoniam super omnia solum, totumq; ex totâ se, viribusq; omnibus suis Deum amat, & amando necessario ex eo, in eoq, delectatur: sic ut laudet eum, & laude ejus non expleatur, quo delectatur.

D 3. Beati laudant Deum incessabiliter, sine tædio, sine fastidio, sine fatigatione: quia hæc est merces eorum: & non labor qui finem habere debet, merces autem non potest. Charitas viæ, non potest quid incessabiliter omninò, quantum ad actualitatem laudare Deum: laudat tamen quantum ad habitum, quantũm ad desiderium, quantum ad propositum: ita ut etiam cessationem ab actuali laude, suscipiat, patiaturque in laudem, & propter laudem, & cum laude Dei: sed neq; fatiga-

fatigatur amando, quia præmium suum collocat in amando. Amat enim quia amat, & amat ut amet.

4. Beati laudant Deum cum delectatione, non tamen propter delectationem aut si propter illam, non tamen propter suam, sed propter Divinam: sicq; suo modo respondent Dei in se charitati, quâ is ordinavit ab eis laudari se in æternum, non propter suam beatidinem (quâ minimè indiget, neq; in ea ullatenus crescere ex creatura potest) sed propter ipsorummet Beatorum delectationem, beatitudinemq; magnificandam. Pari ratione charitas perfecta hujus viæ, amat laudat que Deum & laudando delectatur, neq; tamen laudat vel amat ut delectetur ipsa, seu anima, sed ut amplius ampliusq; delectetur, & laudetur, & ametur Deus, discitq; hanc puritatem anima, ab ipsius Dei charitate, qua ille animam dilexit, diligitq; pura charitate, purè scilicet propter bonum purum animæ & non propter suum.

5. Beati laudant Deum, sine ullo ad se ipsos, propter se ipsos respectu: sed totaliter & plenissimè, & fidelissimè, se, omnia sua, in Deum, propter Deum infundunt, quod significatur in Apocalypsi, illâ coronarum quibus Sancti coronati incedunt, missione ante thronum sedentis in throno: similiter & adoratione eorundem, atq; confessione illa. *Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriã, & honorem, & virtutem, qui creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Pari ratione, & hic charitas perfecta, exspoliat animam totâ ipsa, & facit ut nec in ullo opere, nec potissimum in laude Dei, quidquam suum attendat, sed nudata omni ad se affectu & respectu propter se, & sese, & omnia, & Deum, respicit, laudatq; propter Deum.

6. Beati Deum laudant laude inexplebili, & inexplicabili, inexplebiliter, & idcirco in omnibus vicis supernæ Hierusalem, nocte, & die, id est, sine cessatione, resonat Alleluia. quod significat, laudate Deum, significat autem non quomodo libet, sed laude, creatis viribus inexplicabili, & inexplebili. Eadẽ ratione & charitas perfecta, imperat ijs quos possidet, inexplebilem Dei laudationem, inexplicabilemque: ejus enim est vox illa. *Glorificate Dominum quantumcunq; potueritis: supervalebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum quãtum potestis: maior enim est omni laude. Exaltãtes illum replemini virtute, ne laboretis. Non enim comprehendetis.* Eccli. 43. 32. Quare, in ore mentis & corporis animarum diligentiũ Deum, etiam in hac vita, nihil crebrius, nihil suavius, resonare debet, quam verbum, Alleluia. Hæc est lingua Beatorum. Hanc in ista vitâ edisci par est consuetudine incessabili. Hanc tota se pro tota se, proq; toto universo, & pro omnibus atomis ejus universalizatis, omnibus momentis eructare, & resonare amans anima debet.

A 7. Beati Deum laudant, & totum simul, & omnia simul, & omnia æqualiter, & omnia sigillatim, & unum in omnibus, & omnia in uno bono Dei, & tam hoc quod apparet in creaturis operibusq; eius, quàm hoc, quod ad extra, à Deo depromptum non est, & est omnibus depromptis infinitè amplius: Nam si more nostro loquendum est, certum est: quod quidquid sapientiæ, potentiæ, bonitatis Divinæ elucescit in creaturis omnibus & singulis, elucescetq; per eorum æternitatem,

B id quantumcunq; coram nobis magnum est, revera tamen comparatum ei quod in Deo latet, quodq; manifestatum non est, gutta solùm una est sapientiæ, gutta potentiæ, gutta bonitatis, justitiæ, pulchritudinis &c. Nec tam hoc mirum est, quod Deus talia fecerit, tam magna, mira, stupenda, in terra, in cœlo, super cœlum, in natura, in gratia, in gloria, quàm potius mirum est, quod tam parva, minuta, exigua; fecerit per potentiam infinitam, per sapientiam infinitam, &c. quod-

C que eam non nisi tantillis rebus adstrinxerit, quod per omnem æternitatem eam (etsi alioqui naturâ sit communicatissimus sui Deus) ab omni ad extra opere profusioneque continuerit &c. Eadem quoq; ratione charitas perfectorum ab eis laudari Deum facit & docet: ad minimum in voto, atq; desiderio, quo jubet, atq; facit, ut Deum laudare conentur, desiderentque, secundùm omnem laudabilitatem Dei, secundùm laudativitatẽ suam, in se se concludendo omnem, & singu-

D lam universaliter etiam creaturam: & non creaturam tantùm, sed etiam quantum desiderio fas est, totam ipsam Deitatis essentiam, laudantes & totis se, & toto universo sibi impersonato, & toto Deo, totum Deum, propter solum unum, totumq; Deum.

O utinam animæ perfectæ charitatis possessione gaudentes in hujusmodi Deum laudandi arte, à Beatis laudatoribus eruditæ multiplicentur, & Ecclesiam Dei sanctam, militantem repleant! Utinam ô laudabilissime

sime

ſime Deus, ſicut in cœlo, ita & in terrâ ſecundùm admirabile & ſuperexcelſum nomen tuum, ſic & laus tua, reſonet per ora omnium, non tantum hominum, ſed etiam creaturarum! Utinam in omnibus, & ex omnibus atomis univerſi omnibuſq; momentis, labentis per tempora ſeculi, reſonent Alleluia! Utinam ceſſent, & conticeſcant ubique reliqua omnia creaturæ rationalis vota, curæ, & ſtudia: & in locum vicemq; omnium, ſuccedat unum, & ſolum, Alleluia. &c.

CAPVT XIX.

De duobus dotibus charitatis beatæ, in quibus eam æmulatur charitas viæ perfecta.

Charitas perfecta viatorum æmulatur charitatem Beatorum in opere affectuq; gratiarum actionis, cui affectui, in tantum totaliter: A plenè, aſſiduè, fideliter, profusè vacant in cœlo Beati, ac ſi alium nullum, circa Deum, & propter Deum affectum haberent, exercerentve. Quia enim in Deo vident perfectè, tum Deum ipſum omnium bonorum fontē atq; donatorem, tum ipſius Dei donantis affectum ſinceriſſimum: tum donorum ipſorū magnitudinem, varietatem, utilitatem, tum etiam eorundem donorum, gratuitam, & in nullam omnino donatoris utilitatem, neceſſitatem, commoditatemq; derivabilem collationē. Tum deniq; eorum, quibus tanta, talis, à tanto donatore, facta eſt donatio, vilitatem, indignitatem, ingratitudinem, malitiam, inutilitatem: ex horum omnium pleniſſima in ipſo veritatis fonte hauſta cognitione, mentes Beatorum, in immenſam quandam rapiuntur gratiarum actionem, exaltationemq; Divinæ bonitatis, ſapientiæ charitatis &c.

His ipſis capitibus conſideratis, ob oculoſq; propoſitis ſibi anima charitate perfecta, in quantam maximam, aſſiduam, cordialem, ſinceramq; poteſt, prorumpit gratitudinem, atq; gratiarum effuſionem. Agit ergo gratias Deo anima, pro omnibus ſingulisque bonis & gratiis naturalibus, ſupernaturalibus, corporis & animæ, internis, externis, gratiæ & gloriæ. Præteritis, præſentibus, futuris. Communibus & privatis ſeu propriè ſibi indultis, per ſe, perq; creaturas alias conceſſis, pro uſu tantum proprio, & pro uſu etiam auxilioq; aliorum datis, pro gratis, atq; ſine merito, ſine oratione, ſine diſpoſitione, atq; etiam contra diſpoſitionē, & demeritum; itemq; pro impetratis, pro emeritis, & præviæ aliquomodo diſpoſitioni, de congruo ſaltem impertitis, pro propriis & alienis: pro propriis tanquam in omnes, pro alienis tanquam ſibi & propter ſe donatis. Pro omnibus deniq; in genere, ſpecie, numero, quæ in Dei mente, donorum, bonorumq; rationem habent.

B Certum eſt autem pro his quoq; omnibus Beatos gratias agere, non tantum ardentius quàm nos in hac vita: ſed etiam non per partes, nec cum ſucceſſione, ſed ſimul & ſemel pro omnibus in communi, & ſingulis in particulari, qui modus nobis non competit in hac vitâ, eo quod non eſt nobis conceſſa talis cognitio in hac vitâ, qualis conceditur Beatis in beatâ vitâ. Illi enim cognoſcunt in Deo ſimul omnia, & ſingula, non per partes, nunc quod has, deinde illas, ac poſtea alias, ſed ſimul omnia vident in Deo ſigillatim: atq; ideo etiam ſimul omnia, inq; omnibus Deum amant, laudantque, Deo fruuntur, & gratias agunt, congratulanturq; ſigillatim. C

Præterea Beati gratias agunt Deo, primū quidem pro ipſo Deo, ut eſt ille in ipſo ſe quia ipſum ſe dedit, donavitq; fruendum, tum per naturam, tum per gratiam, tum noviſſimè finaliterq; per gratiam Beatis. Deinde per ipſum Deum plenè à ſe poſſeſſum.

Deinde pro Deo ut incarnato, perq; Deum incarnatum, quam ibi in patria plenissimè habent, ab eoq; habentur & sunt ejus perfectissimo modo membra, & ipse est caput eorum: proinde etiam ipse est gratiarum actio eorum: & ipse est os & lingua, & cor eorum: ipse est fons, & mare, ipse fluvius & aquæ ductus omnis boni eorum, ipse est sapientia & sapor, veritas & gustus omnis beneficij eorum, per quem cognoscunt omnem qualitatem, quantitatem, nobilitatem, circumstan- A
tiam quamlibet, beneficiorum Divinorum.

Præter hæc agunt Beati gratias Deo, pro seipsis quisq; privatim, pro substantiali beatitudine sua primum, deinde pro omni accidentali & accessoria. Posthæc agunt etiam gratias Deo beati, pro aliorum omnium sodalium suorum tam substantiali quàm accidentali gloria, & agunt ita ac si omnium gloriæ essent unius, & unius gloria esset omnium. Insuper Beati agũt gratias Deo, pro omnibus creaturis etiam irrationalibus, etiam reprobis, & damnatis, supplentes vicem earum. B

In his omnibus, pro conditione hujus viæ, charitas perfecta, imitatur Beatos, in gratiarum actionis ardore, fidelitate, assiduitate, universalitate: gratias agens Deo, & pro ipso Deo, & per ipsum Deum. Itemq; Christo Homini Deo, pro Christo, per Christum, propter ipsum Christum. Itemq; pro omnibus Beatis, pro omnibus creaturis, pro se sigillatim, per ipsos Beatos, per omnes creaturas, per se ipsam: purè, per omnia, propter solum Deum, ejusq; immensam liberalitatem, atq; C
profusionem sui.

§. II. Charitas viæ perfecta, æmulatur charitatem Beatorum in eo, quod pro ijsdem bonis gratias agat peculiariter Deo in via, pro quibus illi peculiariter etiam agunt gratias Deo in patria.

1. Agunt gratias Beati pro beneficio creationis, tam sui, quàm aliarum omnium rerum.

2. Pro beneficio Electionis, & prædestinationis suæ omniumque Electorum.

3. Pro beneficio Incarnationis, & descensûs Filii Dei in mundum proq; universa œconomia, & gestis ejus omnibus in carne, usq; ad mortem.

4. Pro beneficio exaltationis Christi, seu humanitatis ejus, primùm quidem ad unionem usque Hypostaticam, dein ad gratias omnes hanc unionem consequentes, dein ad officium Redemptoris, & Salvatoris, & Iustificatoris, & Glorificatoris, deniq; ad hunc, quem de facto possidet beatitudinis gradum, vicinitatemque ad Sanctissimam Trinitatem.

5. Pro beneficio exaltationis, electionisque Pretiosissimæ Virginis MARIÆ, ad Maternitatem Dei, ad omnesq; gratias, & glorias, & prærogativas Matre Dei dignas.

6. Pro beneficio efficacis applicationis omnium mediorum ad salutem, quibus finaliter, efficaciter, inter tot impedimenta, denique tamen ad salutem beatitudinemq; perducti sunt.

7. Pro dono Spiritus Sancti in Pentecostes die, toti Ecclesiæ Christi misso, cum omnibus ejus donis, & fructibus: per quem, à baptismali gratia incipiendo, deinceps omnibus donis, ac virtutibus, gratiisq; sanctificati, atq; etiam inhabitati, & demum finaliter salvati sunt.

8. Pro beneficio Sanctissimi Sacrificij atq; Sacramenti Altaris instituto, & usque ad consummationem seculi indulto, & conservato: cum adeo infinitis dignationibus Dei Hominis, cumq; adeo innumeris gratijs, in omnes, tam qui usi sunt hoc Sacramento dignè, quam qui aut usi non sunt, aut indignè usi sunt, effundi paratis quantum erat ex parte Christi.

9. Pro beneficio sustinentiæ, a q; patientiæ Dei, quâ sustinuit omnes quidem peccatores, omniaq; peccata eorum, sed nominatim ipsos Beatos, eorumq; cum in via essent, multiplicem ingratitudinem, & indignitatẽ, & ex professo quodammodo, cum Dei benignissima patientia luctam. In qua denique tamen, sapientia, bonitas, miseratio, patientia Dei, vicit malitiam vilissimæ creaturæ.

10. Pro beneficio Revelationis veritatum, mysteriorum, perfectionumq; suarum, pro beneficio Verbi Dei, tam traditi, quàm scripti: per quod, & naturam suam Divinam, in unitate trinam, in Trinitate unam, nullis creatis viribus cognoscibilem: & alias perfectiones suas innumeras, & decreta consiliaque D voluntatis suæ, potissimum in ordine gratiæ & arcana justissimorum judiciorum, miserationumq; suarum, & IESU Christi Dei Hominis arcanissimum adventum, tot figuris, tot prophetiis, tot vocibus, sacrificiisq; præmissis, ac dein ad unguem, ut apicem expletis, & infinitorum donorum, gratiarum, virtutumq;, meritorum, atq; Sacramentorum inæstimabilem dignitatem, & utilitatem: & denique certissimam, simulq; mirissimam, &

ab omni

ab omni humano sensu elevatam salutis viã, in Christi doctrinis, præceptis, consiliis, meritis, exemplisq; demonstravit.

11. Pro beneficio Ecclesiæ Catholicæ institutæ conservatæque, ab origine quidem mũdi, sed maximè à Christi in mundum adventu, usq; ad seculi consummationem.

12. Pro beneficio beatitudinis æternæ, omnem fidem, omnem spem, omne meritum, omnem cogitationem excedente, definito, & etiam actualiter Electis omnibus concesso, cum tantâ providentiæ Divinæ admirabilitate, simulq; efficacitate.

13. Pro beneficio particularis, & propriæ unicuiq; beato gubernationis, & ad salutem, beatitudinemque deductionis, adeo minutæ, adeo mirabilis, adeo efficacis, adeo occultæ, & occultatæ ab omnibus creatis cogitatibus: adeò infinitis implexæ, & concatenatæ circumstantiis, adeo insperatis, creatoq; sensu inconnexis, impertinentibus, imò & impedientibus, re tamen ipsa proficuis perfectæ, & ad exitum deductæ mediis.

Pro his iisdem omnibus beneficiorum generibus, ac individuis, charitas in hac via, & amat, & laudat, & exaltat Deum, gratiasque agit: monente Apostolo *Omne quodcunque facitis, in verbo & in opere, omnia in nomine Domini IESV Christi, gratias agentes Deo, & Patri, per ipsum.* Col: 3. 17.

§ III. Charitas viæ perfecta, æmuletur Beatam in gaudio, & congratulatione Dei. Beati enim summè, & semper, & totis se, gaudent, congratulanturq; Deo, quo fruuntur beneficè, quod sit Deus, quod scilicet sit id quod est. Congratulantur Deo, quia ab æterno, & inæternum est, quia unus, Trinus, solus est, & aliquando apponetur ad eum, quia ex se, & se est, & quidquid est, nulli debet. Congratulantur Deo, omnem beatitudinem ejus, quâ se solo, solus Beatus est, ab æterno: nullius egens: sibi plenus sibi sufficiens, nulli obnoxius. Congratulantur Deo, omnia opera ejus ad extra, facta, & facienda, tam in naturâ, quàm in gratiâ, quàm in gloria. Opera tam misericordiæ, quàm justitiæ, in quibus par est, imò eadem est bonitas, atq; sanctitas, majestas, atq; dignitas, perfectio, atq; conformitas. Congratulantur Deo, specialiter prædestinationem Christi, & universum opus, consilium, fructum, exitumq; Incarnationis. In quo solo, plus est admirabilis, plus potens, plus bonus, plus sapiens, plus misericors, plus justus, plus dulcis, plus dives, plus pulcher, plus verax & verus, denique plus Deus, quàm in omnibus simul creaturis existentibus, & possibilibus. Congratulantur Deo Beatissimam pretiosissimamq; Dei Matrem, in qua unâ, & solâ, (excepto Christo) plus est amabilis, & laudabilis Deus, quàm in omnibus simul sumptis, quales sunt Electis, Congratulantur Deo omne opus creationis, redemptionis, salvationis, justificationis, glorificationisq; suæ, hoc est, omnium & singulorum Beatorum. Congratulantur Deo, omne opus justitiæ effusæ tam in hac, quam in altera vita, super peccatores, damnatosque, dæmones & homines. Congratulantur deniq; Deo omne, & totum id, quod Deus in se, ex se, sibi, propter se est, vult, scit, potest, tam intra, quàm extra se: cupiuntque Deo totum hoc, adeo fideliter, sincerè, plenè, ut si possibile esset Deo, vel unicam atomum, etiam pro unico tantum momento superaddi, id libenter emere vellent sua omni omnium perditione, gehennâ & annihilatione æterna, & quia hoc impossibile vident atq; sciunt hoc; propterea, Deo, totis se, tota sua beatitudine congaudent, atque congratulantur, propter ipsummet Deũ.

In his omnibus charitas viæ, pro suo modulo, exerit, exercetq; gaudium, & congratulationem suam ad Deum, & quidem non propter ullum bonum, aut meritum, aut præmium suum, sed purè tantum propter solius Dei solum purum omnimodumque gustum. Cui exhibendo vel ad momentum, tam se, quàm creaturam omnem, quàm omnes Electos, si fas, & opus foret, annihilare, & exinanire, optat, parataque est.

Hunc affectum, (sicuti & omnes alias supra notatas, dotes, charitatis Beatæ) discit, & haurit charitas nostra, ab ipsa quæ Deus est charitate. Charitas enim ista exhausit se se, & (ut loquitur Apostolus) exinanivit se se, usq, ad formam servi, ad formam usque Crucifixi, ad formam usq, mortui & sepulti, & non existentis in rerum natura: & quidem propter hominem, eumq, peccatorem, eumque insuper iratum, & contemptorem, eumque deniq, persecutorem, & exinanitionis ministrum, atq, autorem. Exinanivit autem se, non ad perdendum eum, sed ad salvandũ, vivificandumq, sanguine, & Cruce, & morte sua. Quod charitatis Divinæ in hominẽ monstrum, adeò stupendum est, ut si omnes creaturæ verterentur in corda rationalia, non possent satis per omnem æternitatem demirari

rari illud. Deus certè plus pro sua ipsius salute facere non posset, quam pro humana fecit

Quidni ergo anima, charitatem hanc Dei in se propositam habens, non etiam desideret totam se quantam quantam, etsi esset tanta, quanta est omnis simul creatura, impendere vel momentaneo (si possibile esset) Dei bono?



CAPUT XX.

De charitate perfecta licet, semper tamen crescente, deq; stimulis ejus, quos ad hoc habet, ab ipso suo statu.

§ I. COnsidera, quod etsi dubiū nullum sit charitatem Beatorum quantumlibet parvam, feliciorem esse charitate viatorum quantumlibet magna, adeò ut omnes charitates viæ, in unum collectæ, comparatæ uni charitati, quam minimus quis Beatorum habet in cœlo, sint veluti gutta ad mare, veluti granum arenæ ad totum universum: Habet tamen charitas viæ, unam prærogatiuam, quam charitas Beatorū habere non potest. Est autem hæc: quia charitas viæ, quantumlibet excellens, perfectaque sit, semper tamen magis augeri, & crescere possit: charitas autem Beatorum proficere, & augeri nunquam amplius valeat. Habuit sine dubio Paulus Apostolus charitatem in hac vita valde perfectam, ferventem, Heroicam, triumphantem, & tamen non dubitat profiteri se in ea, proficere adhuc posse cum ait: *Non quod iam acceperim* Phil: 3 12. adeptusq; sim consummatum amorem, *aut quod iam perfectus sim* in charitate, quæ non possit in me amplius & amplius crescere, *sequor autem si quomodo comprehendam. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse &c.* Neque verò hoc solus ille sentit, sed etiam omnes alios quoslibet Sanctos sentire de se ipsis vult, ideo concludit. *Quicunq; ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.*

§ II. Charitas hujus vitæ, non tantum in se ipsa crescere potest, toto vitæ hujus tēpore, omnibusque momentis ejus: verùm etiam quod una secum meritorie facit crescere charitatem Beatam sibi in patria exhibendam, & exhibendam quidem supereffluenter, Constat enim pro mensura charitatis hujus vitæ, exhiberi Electis charitatem bea- A titudinis in patria: & quidem non ad æqualitatem tantum, sed etiam ad excessum, & grādem quidem, multiplicemque excessum. Quod diserte Dominus noster explicare dignatus est, dicens: *Videte quid audiatis, in quâ mensurâ* charitatem vestram hac in vita *mensi fueritis, remetietur vobis, & adiicietur vobis* charitas in altera vita. Mar: 4 24. *Mensurā bonam, & confertam, & coagitatam, & super effluentem, dabunt in sinum vestrum.* Luc: 6 38. B Igitur uno eodemq; pretio, uno eodem q; labore in hac vita & paratur augmentum charitatis viæ: & obtinetur incrementum cum multiplici fœnore charitatis patriæ. Et quis est vere avarus bonorum cœlestium: quem tanta opportunitas ditescendi, tam compendiosa occasio, & in terra, & in cœlo simul, pro tota æternitate in ultimatè summis, in ipsius Dei possessionem beatificam involventibus bonis, thesaurisque crescendi, C non ad se rapit, non sibi captivat, non ad se adstringit? O quàm parvæ res, quàm magnas impediunt! O quam multum operæ virium, vitæ, temporis ponimus, perdimusq, in minimis: quod longè sapientiore, & fructuosiore consilio poneremus in maximis, in æternis, in beatificantibus, atque Divinis.

§ III. Hæc autem facultas, commoditasque crescendi in charitate, dum sumus in hac vita est potissimum posita in potestate, atq; veluti manibus charitatis perfectæ.

Quantò enim est charitas hic perfectior, tantò est in operando robustior in merendoque fæcundior, in proficiendo liberior. Sicut enim mercator, quò est ditior, eò facilius ingentia lucra facit, ad maximasq; divitias pervenit, intra breve valdè tempus, & in unâ quandoq; solâ occasione: ad quantas pauper mercator plurimis etiam annis sudans non pervenit: eò quod ille per impensas ingentes, longè ingentiora lucra acquirit: iste autem minutis sumptibus nonnisi etiam minuta lucra obtinere potest. Sic perfecta charitas, uno aliquo actu, secundum sui v. g. intensionem exercito, tanto incremento & sui hic, & gloriæ in futuro (præter gratiæ sanctificantis, & virtutum omnium, donorumq; Spiritûs Sancti incrementum insimul adjunctum) ditatur, quantò minus perfecta, minusque perfectè operans charitas, plurimis actibus, etiam per plures annos non augetur.

Quæ quidem consideratio, animam quamlibet quidem, ad curam charitatis perfectæ accendere debet, sed præcipuè animam charitate perfecta præditam, ut quàm maximè inflammet oportet, quandoquidem modico conatu, ex privilegio charitatis perfectæ, & ipsam charitatem promovere maximè, & alia Divina bona, ipsiusq; beatificæ gloriæ divitias super effluenti (ut loquitur Christus) mensurâ fænoreq; supra modum ditissimo locupletare potest.

Hæc omnia expende, & penetra, ô anima mea, quàm penitissimè, atq; ad proficiendum semper amplius, ampliusq; in charitate accedere. Omnem adhibe, & effunde diligentiam, ut nullam penitus vel occasionis, vel vi-
A tæ, vel temporis, vel operationis particulam prætermittas, in qua, & per substantiam operis, & per modum operationis, charitatem in te non promoveas. Æmulare præ divites, similiterque peravaros mercatores, thesaurizandi finem nullum facientes, Æmulare Paulum, Oceani instar, omnium profectuum, laborum, perpessionum, meritorumq; suorum flumina absorbentem, & sepelientem, nec redundantem *Quæ retro sunt*
B *obliviscens* (inquit,) *ad ea verò quæ sunt priora extendo me ipsum.* Æmulare ignem, tanto magis crescentem, quantò magis oleo, ligno, aliovè pabulo abundantem.

Hanc famem charitatis in hac vita diligit Deus: hac pascitur, hac glorificatur, hac gloriatur. *Gaudium enim Domini fortitudo nostra,* & ejus est illa etiam vox: *Diligit anima mea robustos.* Ergo ô anima: *dum tempus habemus, operemur bonum,* bonum super omne
C bonum, creatum, charitas est. Æmulemur charismata meliora: charisma per optimum charitas. *Quidquid potest manus tua operari, instanter operare, quia tempus breve est, tempus non erit ultra: & venit nox, in qua nemo operari* proficuè ad meritum, etiam beatissimus *potest.*



CAPVT XXI.

De stimulis ad proficiendum in charitate quos adhibet nobis Deus.



EA est Domini Dei nostri redundantia bonitatis super nos, ut sciens, quia omne bonum nostrum, post gratiam suam, dependeat à nostra in ipsum dilectione & volens bonum nostrum, præsertim ultimum, summum, atq; beatificum esse nobis, quàm copiosissimum, eam utrumq; ob causam, omnia adhibeat media, quantum ex parte sua, ut nos, & in dilectione, & in gratia sua, dum hic vivimus, quàm ditissimos, opulentissimos, perfectissimosq; faciat. Et primum quidem, totum hoc visibile universum, implevit ac infersit beneficiis suis, quæ omnia usibus nostris concessit: non ob aliud: nisi ut gratissimi, & Authorem eorũ super omnia diligamus, & sic à dilectione

nunquam ceſſemus, ſicut à beneficiorum fruitione nunquam vacamus. Sicq; in delectatione ſemper magis magiſq; creſcamus, ſicut beneficiis ejus quotidie magiſq; indigemus, ſimulq; innatamus.

§ II. Præter hanc infinitam & inexhauſtã bonorum naturalium farraginem, quibus ſanè, vel ſi bruta, ſaxaq; eſſemus, poſſemus ad dilectionem benefactoris, etiam obtorto collo trahi, & protrahi. Excogitavit Deus, aliam longè diviniorem beneficiorum ſuorũ redundantiam, qua nos ad eandem imo celſiorem, profectioremq; ſui dilectionem vocat, ducit, trahit, ſtimulat, impellit, cogit. Vide vel ſemi apertis oculis fontes hos, funiculos iſtos, ſtimulos iſtos: & tu ipſe judica apud ipſum te, an ſis excuſabilis, ſi non amas, ſi non validè amas, ſi non ardẽter amas, ſi non famelice, & inceſſabiliter amas, ſi non amplius ampliuſq; ſemper amare, in amandoq; inexplebiliter proficere amas, ſi non nudè, nudum: ſolum, ſolitariè, puriſſimè, fideliſſimèq; illũ, propter illum amas, quem amas?

§ III. Notanda primum humiliora, magis nota, magis noſtra, magis noſtri humiliativa, & ad Deum compulſiva excitamenta: ſunt autem potiſſimum quinque. 1. Miſerrima noſtræ entitatis, vitæq; noſtræ conditio: ex nihilo ſumus, nihil ſumus, viliſſimi, imò vilitas ſumus, paupertas, & mendicitas, infirmitas, & miſeria, pura, putaq; ſumus: ſive Deo, ejuſq, opere ac miſeratione, abſolutè nihil, niſi nihil ſumus. Compendioſiſſimè & ſimul ſapientiſſimè David: *Verumtamen univerſa vanitas omnis homo vivens.* quid addas huic definitioni amplius? Totum quod ſumus (quidquid demum ſumus) in excurſu, & elapſu poſitum eſt, & eo non æterno, non centum ſeculorum, ſed breviſſimo, & ad finem currente curſu citatiſſimo, nulla vi ſiſtendo, & ſuper iſta omnia incertiſſimo, deq; fine, ac excurſu ſui tempore prorſus ignotiſſimo. Sumus, & in eſſendo effluimus, rapidiſſimo effluxu, incertum quando finiendo, certum ſolum, quod omni momento effluere idoneo, & quod æternitas dependeat, ab ultimo effluxus momento. Hæc omnia, quid tibi ò homo in aurem cordis (ſi illam habes) inſuſurrant, niſi, Dilige Deum omni, hujus miſeriæ medicum unum ſolum, ſummum, certum, & indubitatum? Nec medicum tantum, ſed etiam Abolitorẽ plenum, & in æternam felicitatem, beatitudinemq; transformatorem. Quis non amet te Domine, & non ſummè, totis viribus amet, qui ex miſerrimo beatiſſimum facis: & iraſceris, & punis acerbè, ſi impedimentum ſtulti nos, ingratiq; ponimus, quominus facere poſſis?

§ IV. Sordes peccatorum noſtrorum: nova hæc, ſumma, ſola, & omni miſeria miſerior, miſeria noſtra eſt. Sicut mare aquis
A & monſtris, ſcatemus peccatis multis, magnis, abſurdis, quæ aſſiduo multiplicamus, aggravamuſque repetendo, amando, cælando, excuſando, defendendo, prædicando, glorificando, impœnitendo, à quibus eorumque ſuppliciis erui, ablui, expiari, redimi, ſupra omnis creaturæ vires, merita, dignitates eſt. Præter hæc autem omnia: Deo, a quo, & in quo ſolo noſtra ſalus: & viles ſumus. & nulli omnino uſui, & rebelles, & confiteri ſcelera veniamq; petere ignavi, ad ultrò oblatã, datamq; ingrati. Et quid hoc monſtro (nẽ-
B pe noſtrum quolibet) monſtroſius? Et tamen nos tales, & infinities tales, Deus miſeratur, tantùmq; de ſuo proprio invenit, ac deſumit, unde, & propter quod miſeratur. Lavat nos à peccatis, redimit à pœnis, ſanat gratia, ornat virtutibus, ditat donis, induit charitate, coronat beatitudinis gloria, & eâ quidem æterna. Nunquid habes ô homo quod te impellat & cogat ad amandum Deũ, & ſummè quidem, & ſolum, & ſemper, & totis viribus poſſibilibus amandum? Ergo ſor-
C des peccatorum noſtrorum, docent, imò agunt nos amare Deum noſtrum: cujus ſolius, ſolo quidem amore, excoqui debet, ac poteſt ex parte noſtra (nam ex parte Dei, gratia & meritis Chriſti opus eſt) omnis immunditia peccatorum noſtrorum.

§ V. Ad eundem Dei ſummum amorem, perfectamq; charitatem, impellit nos ipſe Deus ſuppliciis peccatorum: ſuppliciis inquam non tantum condonatis, aut dilatis, aut imminutis, ſed etiam inflictis & exagge-
D ratis. non tantum hujus vitæ, ſed etiam alterius: ejuſq; non tantum temporalibus purgatorii, ſed etiam æternis inferni. Non tantum corporis, ſed etiam animæ. Non tantum propriis, ſed etiam alienis, non tantum voluntariis, ſed etiam coactis, non tantum per ſe ipſum, ſed etiam per omnes creaturas immiſſis, permiſſiſque. Omnia enim hæc quanta quanta ſunt in hanc demum vocem deſinant, quam omni, ſeu pœnam patienti ſeu patientem ſcienti inclamant. Hæc eſt merces non diligentium Deum. Ama Deum

ne puniaris, ama, quia punitus es, ama, quia punitus nondum es, ama, quia puniri meruisti, ama, quia infra meritum punitus es, ama, quia ex amore infinito tui puniris & punitus es, ama, quia ad hoc ut ames, & quia minus amas, quàm debes punitus es, ama, quia in te, non in alio: in alio, non in te punitus es: ama quia comminatus est tibi pœnas, proposuitq; ut scires: hoc enim fecit, ne eas subires. Minatur enim pœnam, ne infligat pœnam: si enim vellet infligere, vellet & occultare: propalat illam, quia inferre non vult illam: non vult autem, quia amat, amat verò, ut vicissim ametur, amatusq; ab omni pœnæ inflictione avocetur.

Deniq; castigat punitq; Deus: quia amat, quia filium congnoscit esse, quia filium, dgnũ se Patre, vult esse quem castigat. *Propter quod nemo obliviscatur consolationis, quæ nobis tanquam filiis loquitur. Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neq; fatigeris, dum ab eo argueris quem enim diligit Deus castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit: igitur in disciplina perseverate.* Prov: 3. 11. & autorem omnis disciplinæ, tanquam amantem amabilemque patrem, studiosissime amate, in ejusq; charitate ac dilectione, semper amplius crescendo perseverate, & perseverando crescite.

§ VI. Tentationes & pericula, præsertim salutis & animæ, stimuli sunt profectus nostri. In medio tentationum, in medio laqueorum, in medio periculorum, in medio scopulorum, & naufragiorum, in medio venenorum, in medio præcipitiorum, in medio hostium, in medio cruentarum bestiarum sanguinem nostrum sitientium, in medio venatorum insidiatorum, persecutorumque habitamus, & vivimus. *Tentatio est vita nostra super terram.* Quantus hostis mundus? & in ejus centro vivimus, quantus hostis diabolus: imò dæmonum exercitus? & ille tanquam leo rugiens circuit, ut devoret. Quantus hostis caro cujusq; propria? quæ tamen non tantum vestis nostra, non tantum domus nostra, sed etiam pars portioq, nostra existens, idem nobiscum quod sumus nos, est. Quantus hostis homo ipse, unusquisque sibi ipsi? & quid tam mihi meum quàm ego ipse? Si ipse mihimet hostis, & quidem periculosissimus non essem: nullam aliunde hostilitatem timerem, De me enim imò *de corde meo, exeunt cogitationes malæ,* dicit Dominus: omnesq; laquei, omnes ruinæ, omnes mortes meæ. Quis ergo potest salvari? nemo certè potest, nisi ille salvet, qui solus, & unus & totus salvator est, salus est, potens ad salvandum est. An fortè dubitas non quidẽ quod potens, sed quod volens sit? Si non amas, meritò dubitas, ama, & volentem, imò salvantem, imò salutem habes. Deus enim charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Igitur multitudo tentationum atq; periculorum, pellunt nos,
A atq; trahunt ad diligendum Deum, qui solus salvare ab omnibus potest, & sola charitate ad salvandum invitari, induciq; solet.

§ VII. Incertitudo salutis æternæ, est unũ horum mediorum, quibus vos Deus ad standum, crescendumq; in charitate, non invitat tantum, sed etiam impellit. Esto enim sed cum Paulo Apostolo. *nihil mihi conscius essem: esto plus omnibus laborassem, tolerassemq;: esto fidem servassem, bonum certamen certassem, cursumq; consummassem, adhuc tamen non in hoc*
B *iustificatus,* non in hoc salutis æternæ certus essem: *etenim qui iudicat me Dominus est*: qui discernit me, etiam solus Dominus est, apud quem simne *odio an amore dignus, non tãtum nescio,* sed etiam quod sim amore indignus, odio autem plus quàm dignus, indubitate scio. Et ut hoc nescirem (quod tamen non possum nescire) nihilominus cum sciã *multos vocatos, paucos autem electos:* quis scit, an ego ex his paucis sim? certè pronius est inter multos, quàm inter paucos esse.

C Deinde cum *non sit volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei.* Rom. 9 16. quis scit, an non cum Pharaone in hoc ipsum excitatus sim, *ut ostendat in me virtutem, iustitiamq; suã?* quis scit, an non cum necdum natus essem, aut aliquid boni malive egissem, dictum sit de me, non sicut de Iacob. Dilexi, sed sicut de Esau: odio habui? *Habet enim potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam. O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei:*
D *quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi: & retribuetur ei.* Rom: 11. 33. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia bona,* ex nobis autem solùm nihil, & peccata. *Ipsi igitur soli gloria:* ipsi amor & exaltatio, quoniam per *misericordiam suam salvos facit nos. Misericordia autem eius super exaltat iudicium: & ipsa est super omnia opera eius.* Faciamus nos quod nostrum est, hoc est totum quod vult, jubetque adoranda voluntas ejus. hæc est autem

volun-

voluntas ejus, ut *Diligamus eum ex toto corde, ex tota animâ, ex totâ mente, ex totâ fortitudine, ex totis viribus nostris.* hoc inquam nos faciamus, & semper tota vitâ faciamus, & in hoc opere semper amplius excrescamus: & *Deus, qui diligentes se diligit, per misericordiam suam salvabit nos.*

Hæc sunt excitamenta, hæc calcaria, quæ diligens nos, diligiq; à nobis amans Deus, subdit charitati nostræ quãtumlibet perfectæ. Hæc quisquis es, diligenter recole: & ex eis partim quidem *humiliare sub potenti manu Dei,* ex infirmitate tua, quæ est magna valdè: partim ad diligendum amplius & amplius Deũ,
A totis visceribus tuis inflammare, ex misericordia ejus, cujus non est numerus.



CAPVT XXII

De alijs adhuc incitamentis, quibus Deus urget charitatem nostram ad profectum.



VRgent, super jam allata, alia ad charitatis perfectionem Divina incitamenta, lætiora, amænioraq; prioribus, utpote ad illuminativam, proficientemq; partem spectãtia: quæ ideo etiam magis charitatem ad proficiendum urgere debent, ac solent, quia proficientium quasi propria sunt. Primũ horum est, excellentia, multitudo, perpetuitas, gratuitaq; collatio donorum, & auxiliorum, ad omnia quidem hominis bona utilium, at potissimum animæ saluti, profectuiq; charitatis in Deum deservientium. Mitto hic, quæ tamen omittenda considerationi non sunt bona externa, quæ fortunæ, temporaliaque vocamus: quorum numerus iniri nequit, & in eis dandis consilium Dei non aliud est, quàm ut sint media nobis, ad noscendum, amandumq; quàm maximè Deum datorem eorum. Mitto & corporalia bona, quæ quãto viciniora sunt, & animæ, & homini, tantò sunt oportuniora ad omne obsequium, quo homo seu obligatur, seu occupatur, ferturque in Deum suum. Animæ bona, quâ naturalia, quâ supernaturalia, ad memoriã, intellectum, voluntatem liberam, & rationalem pertinentia, tot, tantaq; sunt, ut nec numerus, nec pretium, nec pondus, nec utilitas, nec honestas, nec dulcedo, nec promptitudo, nec efficacitas, à quo quam satis dignè perpendi, æstimariq; possit.

Hæc omnia Deus alio nullo fine, consilioque dedit, quàm ut essent instrumenta, supra captum, sed non supra experimentum commodissima, Deo super omnia diligendo, æstimando, colendo, laudando, ac demum, suo
B tempore, etiam fruendo, & possidendo. Igitur anima cum suis omnibus potentijs, donisque, quâ naturæ, quâ gratiæ, est sibi, est Deo, vehemens calcar ad amandum Deum.

Incrementi vim habent multitudo & varietas & salubritas, ornatus & splendor, usus & efficacia virtutum naturalium, supernaturalium, Theologicarum, & Moralium, donorum insuper fructuumq; Spiritus Sãcti,
C tam quoad habitus, quàm quoad actus suos: quibus omnibus Deus implet animas nostras ornans, & significans, & instruens, & obarmans, & perficiens eas, ut fiant dignæ se suâque inhabitatione. Quantum quæso boni habemus à Fide Divinâ, quâ credimus non solum Deum, & de Deo, ac Divina, sed etiam in Deum, tanquam Authorem & fontem omnis veri & boni, tanquam in supremum finaleque bonum nostrum &c. Quantum
D boni à spe similiter Divinâ, quâ evincimus quidquid est in via salutis difficultatum? De charitate Dei, simulq; propter Deum, tam nostri, quàm proximi, superfluum est dicere, cum illa sit vita animæ, illa mater virtutum: illa corona donorum, illa radix, illa corpus, illa vertex, & corona perfectionis, atq; adeo ipsamet perfectio, illa deniq; inchoata, & hujus vitæ beatitudo, soror gratiæ, aut ipsa etiã fortasse gratia, illa deniq; jus, quasi hæreditarium

tarium possessionis, & fruitionis Dei, ac vitæ æternæ. Mittamus Religionem ac devotionem erga Deum. Mittamus cardinales virtutes, earumq; species ac filias: mittamus dona illa magna, capitaliaque septem Spiritûs Sancti, ejus denique fructus. Mittamus & gratias gratis datas. Quibus quæso vehemẽtius urgebitur ad diligendum, & vehementer quidẽ diligendum Deũ tantorum bonorum fontem anima nostra si his non urgebitur omnibus: cùm si vel singulis esset ditata, esset ad incensissimè diligendum superobligatissima.

Incitamenta sunt specula & exempla, exemplariaq; Sanctorum, sive Angelorum, sive hominum, eorumq, sive jam in cœlo Beatorum, sive adhuc in terra degentium. Ad quid Deus, horum omnium, primum quidẽ vitas, mores, virtutes, opera, passiones, merita: deinde glorias, & præmia, & honores tam cœlestes, quam hujus vitæ nobis proponit: nisi ut quasi nobis inclamet, inculcetque ecce isti sic dilexerunt me. Sic honorati sunt à me: Tu autem quantulus es in charitate erga me? Quid ab his minus tibi ego præstiti, in creatione, in gubernatione, in redemptione, in vocatione in justificatione, in gratiarum assiduitate, & in omni omnino ad amandum me, serviendumq; mihi oportunitate? Hoc etiam amplius præstiti tibi quàm illis, quia illos tibi in exemplum dedi. Quidni ergo imitaris, quos miraris? quidni exæquas, quos laudas? quidni sequeris eos, ad quos aspiras? An tu non potes quod isti? an isti in seipsis, & non in me potuerunt, quod vides potuisse? an infirma facta est manus mea, sive ad auxilium dandum, sive ad prœmium reddendum uni tibi?

Incitamentum est donum sanctificantis gratiæ. donum super omne hujus vitæ donũ, donum quod est fons aliorum donorum, donum quod solum verè & vitale est donum: donum sine quo nullum aliud aut habetur, aut fructuosè habetur donum: donum ex quo pendet, vivitq; & operatur, & prodest, omne aliud donum. Donum quod solum dat vitam animæ, donum quod dividi nequit à charitate, donum quod secum infert omne aliud, supernaturale donum, quod hominem Deo, Deum homini donat, donum quo participamus Dei naturam, & esse Divinum, donum quo filij & hæredes Dei, cohæredes autem, & fratres efficimur Christi. Donum quod & charitatem, & omnem aliam virtutem, ad sui incrementum increscere facit, donum quod est Beatitudinis æternæ meritum condignum, fundamentum solidum, jus pignusq; hæreditarium. Denique donũ, quod Deus dat nobis tanquam charitatis seminarium, tanquam nostri in Christum, membrorum in corpus, palmitum in vitem implantarium. Per gratiam ergo sanctificantem crescat charitas, per incrementum charitatis crescat gratia, & mutuis reciprocationibus augeantur, donec charitas viæ, A transeat in gloriam beatificantem.

Incitamentum est Prœmium vitæ æternæ, de quo licet vere, admodum tamen modicè dictum est: *quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit Deus diligentibus se.* 1 Cor. 2 9. O diligentes, nolite esse in diligendo negligentes: quantò enim ardentius diligitis in via, tantò serenius videbitis in Patria O diligentes, si diligitis, diligenter diligite: erit enim merces operi vestro: Merces magna nimis, merces Deus ipse, si tamen non ideo diligatur ut B sit merces. Non enim ad mercedem diligendus est Deus, etsi absq; mercede nunquam diligitur. O diligentes, si diligitis, diligite diligentes, diligite ardenter & serio diligentes, diligite dilectionem ipsam vestram diligentes diligite dilectionem vestram semper proficere cupientes, semper in diligendo proficere satagentes. Parum enim diligit, si tamen etiam diligit, qui se satis diligere credit, ille verè, ille multùm, ille satis diligit, cui nunquam satis, cui nunquam multum, cui C semper parum est, quantumcunq; est illa dilectio ejus, qua diligit Ergo diligentes, diligite diligentes, diligitis enim diligentem, diligitis diligentem gratis, diligitis diligentem spontaneè, diligitis diligentem immensè. Amat enim vos charitas Deus, diligit vos immensitas Deus, vos autem quantumcunq; diligitis, diligitis semper cum mensura, & ejus tamen mensuræ, habebitis mercedem sine mensura.

D O anima mea: magna quidem sunt (Seraphicus ajebat Franciscus) quæ promisimus, sed majora promissa sunt nobis, verè majora, quia omnibus maximis nostris majora. Majora, quia omnibus meritis majora. Majora quia etiam quæ minimus Beatorum percipit, omnium Sanctorum meritis sunt in rigore majora. Majora, quia ne Deus quidem, licet omnipotens & inexhaustus est, præstare potest his omnino majora. Majora deniq;

quia Deum

quia Deum ipsum in se concludunt, Deoque ipso constant, ista majora. Ergo anima, Deum ama, ardenter ama, magis ac magis semper ama, magis ac magis semper amare desidera. Ama illum, qui amanti tibi tanta prœmia promisit: Non tamen ama, quia promisit, nec ideo ut detur quæ promisit, sed ama, quia dignus est ut ametur omnibus amoribus purissimè gratis: etsi nihil promitteret, nihil exhiberet eorum quæ amantibus promisit.



CAPUT XXIII

De duobus adhuc stimulis, quibus Deus urget charitatem nostrám, ut crescat.

Duo adhuc sunt residua, & quidem suprema per omnē modum motiva, quibus Deus charitatem nostram, perurget ad crescendū semper amplius, & amplius.

Primum est IESUS Christus, Deus Homo Deus ex homine virgine Incarnatus, in terris natus, in terris conversatus, in humilitate, & contemptu in paupertate & rerum omnium defectu, in frigore & æstu, in fame & siti, in labore & sudore, in vinculis & carcere, in insidiis & perditione, in flagellis & spinis in colaphis & consputatione in tormentis & dolore, in obedientiâ, non tantū Dei, sed etiam hominum, eorumq; etiam hominum, eorumq; etiam hostium, etiam carnificum, & latronum, in Cruce & morte, tanquam Archilatro, in medio latronū. Deniq; conclusus in sepulchro, tanquam unus è populo mortuorum. Quid sibi vult, quæso te ó Homo, iste Deus Homo? an aliud clamat præter illud, dilige Dominum Deum tuum: dilige quia sic dilectus es: dilige sicut dilectus es?

§ II. Considera quia Deus Homo factus est. Dignatio certa sine exemplo, sine merito, sine spe, sine desiderio, sine contemplatione, sine cogitatione Quis enim si cogitet, quis sit Deus, vel quis sit homo: quantum chaos inæqualitatis inter Dei dignitatē, & hominis indignitatem: quis inquam si hæc cogitet, cogitare possit Deum hominem, non dico factum esse, sed fieri posse Et ecce tamen factus est Deus Homo, cui comparatus homo, prout nihil est homo. quo posito, quid obsecro aliud, jam potest, & debet cogitare homo, nisi ut toto corde amet Deum, per quem tanto. tā
A incomprehensibili honore dignatus est Homo? Amet igitur Deum Homo, quia Deus fieri dignatus est homo, & tam diu in amando pergat, crescatq, desiderando amore adæquare dignitatem dignationemq; hāc, quam homo accepit, quamq; Deus subijt, quando Deus factus est homo: ad quam ad-
B æquationem, quoniam homo amando nunquam pervenire poterit: propterea etiam à crescendo in amore cessare nunquam debebit.

§ III. Considera, qua Deus propter hominis amorem factus est Homo & quidem non propter amorem illius solius hominis quem suscepit, sed propter amorem omnis
C & cujuslibet hominis de cujus medio unum hujus individuū suscepit. Nō enim tātū ideo hominem suscepit, ut esset Deus quidā Homo, sed ideo ut Deus hominis frater & filius, & cohæres, imò & *Divinæ naturæ cōsors*, esset omnis homo. O homo, si antea non audebas diligere Deum, quia ille quidem Summus Deus, tu verò vilissimus eras
D homo: certè vel nunc jam aude, condisce, consvesce, cogere, & coge te ad diligendū Deum, quoniam video, quia propter amorē tui factus est Deus Homo. Ama igitur Hominem Deum, & in eum transfer omnem amorem

amorem tuum, quoniam tuo amore nihil aliud dignius reperies, nisi Hominē Deum.

§ IV. Considera, quod Deus Homo factus est propter hominem peccantem, propter hostem, & rebellem suum, propter diaboli mancipium, & inferni pabulum, propter damnatum, & perditum in æternum; propter vilissimum, & tam superbum, propter creaturam, & tamē inobedientem, propter inutilem, nec necessarium, & tamen ingratum, propter perditum, & tamen inimicum. Propter talem hominem, Deus factus est homo: & ex massa talium hominum assumptus, delectus est à Deo homo, & assumptus ideo, ut per hunc Deum Hominem, liberaretur, salvaretur, redimeretur, reconciliaretur, glorificaretur omnis perditus perituruſque aliàs homo. Quæso capitne hanc tantam Dei erga se dilectionem misellus homo? Et nunquid poterit negare honorem suum, huic Deo-Homini homo? Nunquid poterit aliquando satis redamare tantum amatorem sui homo? Nunquid poterit aliquando cessare ab amore hujus tanti sui amatoris, etiamsi in æternum vivat, & amet homo?

§ V. Considera, quod Deus Homo factus est homo propterea, ut peccatorem, rebellē, ingratum, damnatum omnem hominem, redimeret, salvaret, justificaret, glorificaretq; per susceptum à se hominem, hoc est per suscepti à se hominis vilificationem, exinanitionem, humiliationem, pauperiem, contēptum, famem, sitim, dolorem, tormenta, crucem, & in cruce mortem. Quæ quidem omnia re ipsa suscepit, pertulitq; Deus Homo: & non pro uno tantum homine, non pro paucis, non pro uno populo, sed pro omnibus simpliciter atq; singulis. Et licet potuisset, aut purâ, absolutaq; suâ voluntate, sine illa humiliatione, ac passione, licet potuisset unius oculi ictu, aut digiti motu, licet potuisset unicâ sudoris gutta, sufficiēter, efficaciter, condigneq; salutem omnium perficere: tamen ut expleret amorem, non fecit tantum quod satis erat potentiæ, sed etiam quod satis, superq; satis esset suæ in nos omnes charitati, propterea copiosam & copiosam immensè fecit nostram redemptionem.

Hoc portentum amoris, qui potest capere capiat: capiet certè nemo tam hominum, quàm Angelorum, præter solum illum Deū, Hominem, qui illud & invenire, & velle, & perficere potuit, req; ipsâ perfecit. Tu autem homo, sic dilecte, tali redemptione redempte. Tu inquam, si potes, nega isti amatori tuum amorem. Si potes, circumscribe tuum aliquâ mensurâ, amorem in hunc amorem. Si potes, non universam totalitatem tuam effunde, atq; exere, ad propagandam magis semper ac magis charitatem tuam, erga tantum tuum amatorem.

6. Considera, quòd Deus Homo, pro tanto suo in hominem amore, aliud penitus nihil exigat, nisi ut Deum super omnia amet sic amatus homo. Ecce tantillum præmiū, tanti meriti, tantillam mercedem, tanti laboris; tantillam mercem, tanti pretij, vult solùm ab Homine Deus Homo. Et audet tamen (heu quàm audet, quàm sæpè audet, quàm rarus hominum non audet:) audet inquam negare amorem, tanto pretio apud se emptum, à Deo Homine emptum, homo ingratissimus Deo. Quis infernus satis erit puniendæ, quæ patientia satis erit sufferendæ, tantæ ingratitudini, hominis sic dilecti, sic redempti, & ideo tantum sic dilecti, sicq; redempti, ut vicissim tantum amorem sui, a suo (ah quam vili in se se, atq; prorsus nihili!) refundat, & refundere nunquam cesset amatori? Hanc certè sufferentiam, mercatur apud Deum, ipsa passio pro homine, & amor in hominem ipsius Dei Hominis amatoris, alioqui, sine omni dubio, vel Nöëticum diluvium, vel pluvia Sodomitica, vel pœna Core Dathan, & Abironis absorberet, & deglutiendo porrigeret inferno sceleratissimè ingratos. Nimirum is sanguis qui ex immenso omnium peccatorum amore pro eis fusus est, validus est etiam omnem sustinere, imò & abolere ingratitudinem eorum pro quibus fusus est

7. Considera quòd Deus homo non tātùm se fecit redēptionem nostram ex amore nostri non tantùm dedit in mortem Crucis animā suam ex eodem amore: verùm etiam in Sacramentis suis reliquit nobis merita omnia sua, in sanitatem & sanctificationem nostram: etiam instituit stupende amabile, tum sacrificium, tum convivium, de se ipso, de corpore scilicet & sanguine suo: a quo abesse noluit animam & Deitatem suam, totumq; se.

8. Quo putas vel autore, vel fine. Autore quidem non alio, quàm amore, nec alio etiam fine, nisi amore. Sufficiebat semel Christum sacrificatum esse pro nobis in Cruce- & amor instituere cōegit: ut in toto mundo immolaretur, sub panis & vini specie, nō alio

alio utiq; effectu & fructu, quam illo ipso, quem sortita est immolatio illa unica cruenta in cruce. Sufficiebat semel Christum impendisse nobis merita sua: at amor instituit Sacramenta, Sancta scilicet & sanctificantis gratiæ effectiva, collativaq; signa, quibus pro usu, arbitrioq; nostro sanctificaremur. Sufficiebat Christum per 33. annos vixisse nobiscum in terris: at amor invenit, & instituit modum, quo etsi visibiliter descenderet à nobis, ad usq; Patris dexteram, invisibiliter tamen, sed æquè ut in cœlo corporaliter, maneret, & habitaret nobiscum in Eucharistico Sacramento, usq; ad consummationem seculi: Neq; satis ei fuit nobiscum manere; placuit illi etiam in nobis corporaliter habitare, placuit dico, per modum cibi, atq; potûs, in viscera nostrorum non tantum cordium, sed etiam corporum, sub speciebus panis & vini subingredi, sicq; nostras animas alimonia vitæ pascere, nutrire, impinguare, saginare: & hoc quidem non semel in vita tantum, sed omni die vitæ.

Congregamini omnes sapientiæ creaturarum, etiam Cherubinorum, etiam Seraphinorum, excogitate similem huic amori Christi in nos (ah quales!) amorem, amorisque inventionem, excogitate condignum huic eidem amori pretium, amatoriq; præmium. Steriles sunt ad hoc omnes intellectus, sed non sterilis ad pretium prœmiumq; suum inveniendum assignandum exigendum amator noster. Non vult aliud quidquam à nobis, nisi ut ametur, ut amari nunquam cessetur à nobis.

§. Ultimum Dei medium, quo nostram ad profectum provocat charitatem. Est autem Deus ipse. Deus inquam, quantus quantus est. se ipso provocat nos, eum ut amemus, summè amemus, infatigabiliter, incessabiliterq; amemus, magis ac magis semper amemus, semper amare conemur, solum illum, propter illum solum amemus. Provocat nos Deus ad amorem sui entitate sua, UniTrinitate sua, dignitate sua, voluntate sua, perfectione sua, bonitate sua, beatitudine sua. Deus est Deus, ametur. Deus est unus in Essentia, Trinus in personis, ipso & Nomine & Entitate amorem sonantibus & poscentibus, ametur. Deus dignissimus, & ipsa dignitas est, ametur. Deus vult amari, ametur. Deus perfectissimus per omnia est, ametur, Deus bonus, & bonitas est, ametur. Deus Beatus, beatitudoq; sua, & omnium est, ametur. Deus in omnibus bonis suis amabilis est, ametur. Deus in toto se, & in omnibus perfectionibus, bonisq; suis infinitus, immensus, æternus est, ametur, & infinito, immenso, æterno, in æternum amore ametur. Denique Deus se amantibus, fideliter seipsum exhibet, tum in exemplum amandi se: quo opere nunquam expletur, & semper tamen expletur, atq; ideo beatificatur: tum in præmium amantibus se, & amare semper studentibus, atq; gaudentibus. Igitur ametur, & sine cessatione, sine mensura, sine modo, sine præmio ametur. Hoc amore, charitas nostra semper exerceatur, semper crescat, & nunquam fatigatur, quia dignus est Deus: & quia finis non est, dignitatis, & amabilitatis ejus.



CAPUT XXIV

De passibus animæ seu charitatis perfectæ, quibus ad ardentissimum statum pervenit.


Haritas, sive anima habet charitatem perfectam, habet suos quosdam passus, quibus ad ferventissimum, ardentissimumq; suum statum currat, & perveniat, ita tamen, ut in eo non stet, sed assiduè ampliùs crescat. Horum passuum.

§ I. Primus est, jugis & amabilis Dei præsentia, seu Divinæ præsentiæ memoria: cum enim Deus sit unicum delicium, unicum bonum, unicum centrum fieri non potest, ut charitas, si charitas, & quidem perfecta, seu magna & vehemens est, vel ad momentum (quoad hæc vita sinit) possit, certè velit, nō habere cognitionem suam conversam ad Deum, memoriamq; defixam in illum. Ignis indefessè sursum tendit, quia ibi ejus locus est Lapis deorsum perpetuò gravitat, quia ad centrum suum, acus nausica septemtrionem assiduè aspicit: Ita omninò charitas vehemens assiduè ad Deum respicit, tendit anhelat, voluntariè quadam necessitate, aut potiùs necessitata voluntate. Anima enim magis ibi est, ubi amat, quàm ubi animat; quia scilicet amore fertur in id quod amat. Hinc ardenter amantium est, perpetuò de re amata cogitare, jugem ejus imaginem in phantasia habere, cum absente licet tamen loqui, ad eum dirigere omnia studia, curasq; & quid non? quæ si amantes non patiuntur: certè aut non amantes, aut frigidè valdè amantes sunt. Quare fieri non potest, ut anima charitatem perfectam habeat, & Dei non quàm maximè assiduò memor sit, quod si memor est: ut etiam ejus amore incendatur, consequens est.

§ II. Alter ad ardorē charitatis, passus est, jugis oratio seu meditatio. Non stant enim amare ardenter, nec tamen colloqui (cum eo quem ames) libenter, dulciter, frequenter. Ergo si amat anima Deum, sine ejus colloquio esse non potest. Si autem colloquitur, sine dubio inflammatur, ut enim flatu carbones, sic colloquio mentes incenduntur, & ignescunt. Eam rem sicut expertus, ita & confessus David, dicit. *In Meditatione meâ exardescet ignis.* Psal. 38. 4 Dixerat idem ante in alio Psalmo. *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper* Psal. 18. 19. Ubi videre licet, passuum horum duorum de quibus jam dictum est connexionem. Habebat David Deum in conspectu suo: & mox meditatio cordis ejus erat in conspectu Dei. Meditationem in Dei conspectu quid secutum est? Hoc nimirum. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione meâ exardescet ignis charitatis ardentioris. Igitur qui crescere vult in charitate, non deficiat à meditatione neque à colloquendi cū Deo assiduitate.

§ III Tertius charitatis passus, qui est perenne ac inflammatum desiderium: Et si enim charitate, perfecta anima, & scit Deum suum dilectum magis sibi intimum esse quàm ipsam se, & præterea jugem ejus memoriam in se fovet, minimè tamen in hoc statu acquiescit, sed continuis inflammatisq, ardet, ac æstuat desideriis fruendi illo non per speciem, & in ænigmate solum, neq, per fidei speique diligentis tantùm, sed etiam per saporem penitiorem, ac simul pleniorem, donec tandem aliquando liceat facie ad faciem. Itaque anima talis, etsi ex parte propter gustum quiescit, ex altera tamen propter fructus, possessionisq, desiderium, expers quietis est, non secus ac ignis, qui quatenus pabulum habet, hic detinetur: quatenus locum seorsū habet, illuc semper evolat. Atq; hic desideriorum flammascens conatus, est animæ, charitatisq; ejus, vita, sine qua si esset, frigida valdè, aut etiā mortua, nullaq; esset, quocirca quantum in desideriis charitas crescit, tantum & in semetipsa augescit.

§ IV. Quartus charitatis passus qui est, elongatio ab omni eo quod Deus non est, quodq; ab eo separare potest. Tunc enim vera sunt, & esse comprobantur, desideria charitatis in Deum, si nullis se se teneri, immiscerive patitur rebus, quæ sibi præpediunt evolatum ad ipsum. Nam si creatum quidpiam adhuc appetit, manifestum, quod nec plenè, nec ardenter Deum diligit. Oportet ergo ut anima quæ in charitate, seu perfecta est, seu perfectior esse desiderat, det totum, quidquid est creatum, pro toto quidquid est increatum: oportet ut deserat, perdatq; totum quod Deus non est, pro eo toto quod Deus est. Atq; id à se præstitum aiebat Propheta, qui de se testabatur. *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine: expectabam eum qui salvum me fecit.* Psal. 54 8 Frustra enim expectasset, imò ne quidem expectasset Salvatorem, si non elongatus à mundo fugisset, elegissetq; solitudinem. O solitudo ô Elongatio, quàm pretiosa, & simul quàm rara es! Nimirum non fit absq; illius auxilio qui cuipiam promisit animæ, diligenti, simul ac dilectæ. *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor: ibi lactabo eam.* Ose 2 14.

Hanc elongationem, atq; solitudinem charitatis, assimilavit dilectus ejus sponsus morti cùm dixit: *Fortis est ut mors dilectio:* Cant: 8 6. Ut enim mortis proprium est, elongare hominem, non tantum à mundo externo non tantum à proximo quolibet, & quamlibet conjuncto, verùm etiam à corpore proprio, atq; penitus à se ipso: Ita & amoris Divini proprissima energia est, expedire, & elongare animam, & ab omni creatura, & à proprii corporis, sensusq; cura, & deniq; à semetipsâ. Etenim ut hoc præstet amor, fortis esse debet ut mors: imò & ipsa morte fortior, ut idem sponsus amoris testatur.

§ V. Quintus charitatis perfectæ, ad ardentissimum suum statum, passus est, assimilatio, seu imitatio ejus, quem unicè, ardenterque amat, Dei. Innatum est enim amori, ut & ex similitudine nascatur, & similitudine crescat, & similitudine perseveret, & similitudinem quærat, & similitudinem imperet & similitudinem inferat. Anima ergo quæ amat Deum, assimilari vult, studet, conaturque, quam maximè ad ipsum: Et quandam quidèm similitudinem sponsi, non ambit in præsenti, sed reservat futuro nempe similitudinem gloriæ, potentiæ, beatæ vitæ. quadam verò vehementer exambit, & desiderat, ut Iustitiæ, misericordiæ, bonitatis, veritatis, amoris. Et quia non hanc solum sibi in sponso elucescere, propositamq; adimitandū esse assimilationem intelligit; sed illam etiam, quam videt ex immensa ipsiusmet charitate, de humilitatis nostræ assumptæ vilitate adscitam, perfecta charitate prædita anima, in hujus potissimum similitudinis studium ardescit, quia illam sui causa à dilecto A suo imperante (ut dixi) immensa ejus charitate, assumptam agnoscit. Ergo humiliari, ergo pati, ergo deficere, ergo contemni, ergo illudi, ergo conspui, ergo nudari, ergo flagellari, ergo opprobriis, calumniis, contumeliis, maledictis, blasphemiis saturari, ergo cum latronibus deputari, ergo ad mortem deposci, ergo ad Crucem damnari, cruce ornari, cruci affigi, in cruce mori, non tantum non erubescit, non tantum non horrescit, non tantum non deprecatur: verùm etiam optat, postulat, diligit, mercatur, glo- B riatur, exultat. Sciens hac demum ratione æmulari se charismata meliora: sciens hac demum via & perfici, & ordinari, & in triumphum victoriæ defigi in se se Sponsi charitatem, sponsi similitudinem, Sponsi effigiem, Sponsi virtutem, Sponsi vicinitatem, Sponsi unionem. Ita ut non minùs verè, quàm magnificè possit toti mundo testari. *Christo confixus sum Cruci.* Gal: 2. 19 *Stigmata Domini mei IESV, in corpore porto, proinde de cætero iam me nemo despiciat.* Felix anima quæ C hucusq; conscendit. felix charitas, quæ hucusq; succrevit, felix dilectio, cui talibus deliciis à Sponso suo pasci, talibus dignationibus vestiri: in talia cellaria introduci, talibus vinis potari, talibus signaculis obsignari, insigniriq, donatum est.

§ VI. Sextus charitatis perfectæ ad altiora passus progressusq; est descensus & inclinatio ad proximos juvandos, sponsoq; suo lucrandos & adducendos. Sicut enim sponsus charitatis nostræ, suâ charitate victus, D *inclinavit cælos, & descendit: & exultavit ut Gigas ad currendam viam, à summis cœlorum egressus, atq; 99 ovibus relictis in montibus, descendit in plana, & humilia miseriæ mortalis*, ut quæreret perditam oviculam: quam inventam, magno utiq; labore, & sudore imposuit humeris suis, & deportavit ad ovile suum: fecitq; exultare vicinos de felicitate scilicet sua in oviculæ recuperatione: Ita & anima,

charitate Dei perfecta, quantumcunq; sublimata, imò quantò magis sublimata, inque adyta Dei intima introducta, impellente charitate descendit ad fratres suos: eorumq; sortem miseratur, ijs orationem, ijs exhortationem, ijs suavitatem, ijs patientiam, ijs sufferentiam, ijs indulgentiam, ijs consilium, ijs suffragium, ijs exemplum, ijs laborem sudoremq;, ijs famam & honorem, ijs substantiam hujus mundi, ijs corporis vires ac vitam, ijs totam se impendit, omnia omnibus fit, ut omnes lucrifaciat, pro ijs etiam de libro vitæ deleri, etiam anathema esse, etiam impendiatq; superimpendi, non tantū non gravatur, sed etiam impensè delectatur.

In quo descensu, non tantum anima non deserit locum suum, sed potius audit dici sibi, *Ascende superius*: & per charitatis sobolē atq; fecunditatem *Cresce in mille millia*, Et pro eo *quia eduxit pretiosum è vili, quasi os dilecti sponsi efficitur*. Non secus ac de supernis aqua, in ima deducta cum fuerit: tantò ab imis illis assurgit altius, quantò ex altioribus deducta fuerat inferius. Sic anima, quanto se à summo, altissimoq; Sponso quasi descendens ad proximos demittit inferius, tantò per facta opere ministerioq; charitatis, ad ipsum suæ charitatis fontem, suum scilicet sponsum assurgit, ascenditq; sublimius.

§ VII. Septimus passus ad altiora charitatis nostræ perfectæ est fortitudo, atq; victoria omnium, nimirum adversitatum, & adversariorum, & talis quidem victoria, ut omnes vertat in contrarium, hoc est, ex adversariis obsequentes, ex adversitatibus prosperitates faciat: perinde ut boni Medici ex venenis theriacam, boni nautæ ex adversis ventis prosperam navigationem, facere nôrunt. Sic enim etiam charitas ex miseriis beatitudines ex fletibus cōsolationes, ex inimicitiis amicitias, ex odiis amorem, elicere in more, & deliciis habet. Nimirum aquæ multæ tribulationum, & vasta flumina persecutionum, charitatem non tantum non possunt extinguere, aut obruere, sed potius faciunt magis magisq; inflammas & incendia crescere inde videas virum charitate plenum, cum infir-

A matur tunc potentem esse. Gloriantem in tribulationibus: scientem abundare & deficere, Vincentem in bono malum. Videas nihil habentem & omnia possidentem, quasi mortuum & ecce viventem & adhuc superantem. Videas à paupertate ditari, à contumelia honorari. & in tormentis deliciari in ignominiis glorificari, calcari à mundo, & mundum despicere. Deniq; in vivere suo, Christum, in mori suo, lucrum habere,

B de ultimo loco, de extremo contemptu, tanquam pro summa dignitate contendere, mærere in prosperis mundi, exultare in periculis: & omnia quæ mundus amat, miratur, amplectitur, tanquam scruta vilia despicere, tanquam insana & stulta ridere, tanquam detrimenta, & stercora, ne calcaneo quidem dignari.

Hæc est victoria charitatis, quâ non tan-

C tum vincit mundum, sed etiam transcendit, quâ si potest, & quamdiu spem habet, Deo conatur lucrari mundum: ejus autem loco eligit, amplexatur, induitq, Iesum Christū, & hunc Crucifixum. Quo ex animi sententiâ potita, hic quidem Beatis cœlum suum non invidet: quoniam Christo suo, non tantum in illo ipso pro se, sed etiam in seipsa pro illo crucifixo, beata est.

CAPVT XXV.

De similitudine charitatis perfectæ cum Spiritu Sancto.

§ I. Charitas omnis quidem, at præcipuè perfecta, & (quantum hæc vita patitur) summa, consummataq; est præcipua primogenitaq; Filia Spiritûs Sancti. Ut enim ipsemet substantialis essentialisq; charitas est Patris in Filium, & Filij in Patrem, ita quoq; dum se ad creaturas porrigit, primum omnium quod ijs infundit, seu quod in eis gignit, est charitas. Quemadmodum enim

enim ab igne non nascitur nisi ignis: sic à Spiritu Sancto, qui vivus & verus, vitalisq; ignis est charitatis, nihil aliud in nobis progignitur nisi consimilis ignis charitatis. Hoc luculenter attestatur Paulus dicens: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Rom: 5. 5. quasi dicat, quoniam Spiritus Sanctus, qui charitas est ipsissima, donatus est nobis, etiam charitas Dei indita, infusa, ingenita est in nobis. Neq; enim potuit quidquam aliud enasci in nobis per Spiritum Sanctum Dei, quàm charitas Dei. Probat autem hoc ipsum, quàm maximè similitudo multiplex charitatis nostræ cum Spiritu Sancto, ita ut attentis ijs similitudinibus, nemo possit negare, charitatem esse filiam Spiritûs Sancti.

§ II Prima charitatis cum Spiritu Sancto similitudo, quod sit hostis, victrix, triumphatrixq; mundi, sicut est etiam Spiritus Sanctus. Esse hostem debellatoremque, ac triumphatorem mundi Spiritum Sanctum: testis est ipsa veritas nostra Dominus IESUS Christus, dicens. *Cum venerit Spiritus Paraclitus, arguet mundum de peccato & de Iustitia, & de iudicio* Ioan. 16 8 Et alio loco: *Ego rogabo Patrem & alium Paraclitum, dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum Veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum.* Ioan: 14. 16 Hoc ipsum Apostolus indicat, cum ait: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritûs Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.* 1. Cor 2 14.

Atq; id re ipsa usq; hodie loquitur, ac ostendit: Etenim ex quo Spiritus Sanctus à Patre & Filio missus in mũdum venit, in die Pentecostes, super Apostolos, reliquosq; qui tunc erant Christi fideles, ex eo tempore, usque huc, idem Spiritus Sanctus decertat, & debellat, & detriumphat mundum, ejusque omnem sapientiam, & potentiam, convertens eam in stultitiam & vanitatem. Hoc verò ipsum est opus charitatis, dicente Apostolo confidentissimè inter alia *Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus &c. neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESV Domino nostro.* Rom 8 38. At verò Ioannes Apostolus expressiùs & crebriùs idem repetit. *Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Quemadmodum inter ignem & aquam, inter solem & noctem, inter vitam & mortem perennis pugna atq; rixa est, ita inter charitatem & mundum seu amorem mũdi, qui concupiscentia dicitur & est.

Ob quam etiam causam, inter Dei charitatisq; filios, & inter mundi hujus amatores implacabile est odium, & sine fine certamen, quo filii quidem charitatis, mundi amatores expugnare contendunt, ut eos Deo lucrifaciant, reconcilient, & tanquam legitimo Domino reddant dicente Apostolo: *Charitas e-*
A *nim Christi urget nos.* 2. Cor: 5 14. ad quid autem urget inferius mox exponit hoc modo. *Omnia ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis.* En ad quid urgeat charitas Christi, nempe ad ministerium reconciliationis mũdi cum Deo explendum propter quod addit idem Apostolus. *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputãs illis delicta ipsorum, & (seu etiam) posuit in nobis verbum ministeriumq; reconciliationis. Pro*
B *Christo ergo legitimè fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.*

Et quis non videt quantis se certaminibus periculis, passionibus, tormentis, laboribus, mortibus objecerint, objiciantq; Filij charitatis stimulati à charitate Dei, quæ est in Christo, ad hoc unum, & ob hoc solum ut reconcilietur mundus, ut filij hujus mundi eruantur à mundo, & reconcilientur Deo? Contra autem Filii hujus sæculi, & pulli a-
C matoresq; hujus mundi cum suo Domino mundo, cumq; sui mundi principe diabolo, quis non videt totos esse in hoc & positos & intentos, ut à Deo, à Christo, à charitate avertant, avellant, alienentq; filios Dei, & filios charitatis, & faciant eos gehennæ filios duplò ampliùs quàm se ipsos, ut ait Dominus.

§ III Secunda charitatis cum S. Spiritu similitudo est, quia sicut *nescit tarda molimina Spiritus Sancti Virtus & gratia:* juxta S.
D Ambrosium: oditq; omnes dilationes, cessationes, fatigationes, & moras. ita juxta Sanctum Augustinum, *Sola est charitas quæ nomẽ difficultatis erubescit:* (imo ignorat) obtendere atq; causari: *Magna res amor,* (verba sunt Thomæ Kempensis præsenti argumento aptissima) De imit: l. 3 c. 5 n. 3 *Magnum omninò bonum, quod solum leve facit omne onerosum, & fert æqualiter omne inæquale. Nam onus sine onere portat, & omne amarum dulce & sapidum facit. Amor IESV nobilis, ad magna ope-*

randa impellit, & ad desideranda semper perfectiora excitat. Amor vult esse sursum, nec ullis infimis rebus retineri. Amor vult esse liber, & ab omni mundana affectione alienus, ne internus eius impediatur aspectus: ne per aliquod commodũ temporale implicationes sustineat, aut per incommodum succumbat, Nihil dulcius est amore, nihil fortius, nihil altiùs nihil latiùs, nihil iucundiùs, nihil pleniùs, nec meliùs in cælo, & in terra. quia amor ex Deo natus est, nec potest nisi in Deo super omnia creata quiescere. Amor volat, currit, & lætatur, liber est, & non tenetur. Dat omnia pro omnibus, & habet omnia in omnibus, quia in uno summo super omnia quiescit, ex quo omne bonum fluit, & procedit Non respicit ad Dona, sed ad donantem se convertit, super omnia bona. Amor modum sæpe nescit, sed super omnem modum fervescit. Amor onus non sentit labores, non reputat, plus affectat quàm valet: de impossibilitate non causatur, quia cuncta sibi posse & licere arbitratur. Valet igitur ad omnia, & multa implet, & effectui mancipat, ubi non amans deficit & iacet. Amor vigilat, & dormiens non dormitat, fatigatus non lassatur, arctatus non cunctatur: territus non conturbatur, sed sicut vivax flamma, & ardens facula sursum erumpit, secureq; pertransit. Hæc pijssimus Autor de charitate Dei, cujus verba ideo pleniùs attuli: ut ex eis plures charitatis cum Sancto Spiritu similitudines, atq; innatæ ipsi proprietates patefierent, utq; conscientiæ, quantum forte adhuc sibi ad plenæ perfectæq; charitatatis possessionem desit, melius illucescere?

Maneat igitur firmum, charitatem perfectam, ignorare, erubescere, fugere omnem fatigationem, omne tædium, omnem morã, omnem procrastinationem, omnem lentitudinem, neglıgentiam atq; incuriam. Non secus ac ipse Spiritus Sanctus omnia hæc aversatur, amat autem, & inserit mentibus alacritatem, fervorem, incessabilitatem, infatigabilitatem. Quales effectus videmus exstitisse in Christo Domino: de quo in Psalmo dicitur: *Exultavit ut Gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius, & occursus eius usq; ad summum eius, & non est qui se abscondat à calore eius.* Psal: 18 7.

§ IV. Tertia charitatis cum Spiritu Sancto similitudo in eo est; quod quemadmodũ Spiritus Sanctus terrena, carnalia, sensualia, privata & propria, seu potius proprietaria, aversatur & fugit: attestante scripturá, *Quia Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* Sap: 1. 5. in cujus figura, Noetica columba non inveniens in aquis diluvij *ubi requiesceret pes eius* Gen: 8 9 mundè & intaminatè, reversa est ad Noe in Arcam: ad eundem planè modum charitas perfecta nullis rebus, nullis curis, nullis cogitationibus, desiderisve terrenis inhærere, immisceri, capi, delectarivè potest: adeò ut non solùm absurdarũ ejus generis sollicitudinum, cogitationumvè consortium horreat, verum etiam illarũ,
A quæ alioqui in eo genere licitæ esse possunt commercium timeat, quantumq; prævalet excutiat. Nimirum charitas Ignis quidem est, qui in infimis teneri non potest, verùm ijs partim absumptis, partim excussis alta petit, nulli rei penitus quæ ignis non sit admistus. Sic enim charitas eximia, quidquid sibi proponitur nauseat, despuit, & respuit. illud Davidicum accinens omni creaturæ. *Renuit consolari anima mea. Memor fui Dei & delectatus sum.* Psal: 76. 3. Itemque
B illud Beati Iob: *Consolatores onerosi omnes vos estis.* Iob: 16. 2. Propter quod robustissima ista charitate præditus Paulus Apostolus fidentissimè protestatur dicẽs: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? &c. Certus sum, quia nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESV Domino nostro.* Rom: 8 35.

Atq; hæc absoluta charitatis nuditas, omnisq; creaturæ vacuitas, non in eo tantum sistit, ut animam quàm possidet, omnibus
C creatis, quæ extra hominem animamvè sunt, exspoliet ac denudet, verùm eo usq, progreditur, ut hominem ipsum semetipso exuat, oblivisci sui ipsius faciat, moriq; & perire sibimet, Deoq; cum omni jactura sui proprietatisq; suæ amissione servire faciat. Cujus exemplum in se ipso Paulus præbet, dum ait, imò præcepit. *Sine offensione estote, Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* quam clausulam opportunè addit, per eam enim docet quo-
D usq; progredi charitas debeat in placendo hominibus, scilicet non ultrà, non aliter, nisi *ut salvi fiant.* Alio autem loco id ipsum præcipiens, Christi exemplo præceptum suum firmat. *Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere, unusquisq; proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem, Etenim Christus non sibi placuit.* Deniq; alibi rotundissimè dicit, *Charitas non æmulatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt.* Cor: 13, 4.

Hæc eadem charitas illud quoq; præstat animæ per ipsam ob omnibus denudatæ atq; evacuatæ, quòd anima nullis hujus mundi, nullis creaturarum, nullis propriis incommodis, detrimentis, mutationibusvè afficiatur, alteretur, varietur. Sed quemadmodũ nullis talium rerum commodis vel percellitur, vel capitur, inhiatq; sic etiam nullis earundem jacturis, & ruinis, amissionibus, amaricationibusq; læditur, arctatur, contristatur, amisit enim sensum earum omnem, sive quatenus delectant, sive quatenus infestant. Instar cadaveris, aut statuæ, aut silicis, rupisvè, cui sive blandiaris, aduleris, levissimèq; adflaveris, sive maledixeris, sive convitiatus fueris, sive procellas immiseris, perinde semper est. In omnibus Deum laudans, A *& superans propter eum qui dilexit nos & omnium bonorum, rerumq;, sive rapinam, sive ruinam, cum gaudio sustinens.* Hunc in modum charitas perfecta Spiritum Dei Sanctum, Originem scilicet suam, exactissimè imitatur, &c.



CAPUT XXVI

De eadem similitudine charitatis cum Spiritu Sancto.



Quarta est similitudo charitatis, quòd quemadmodum Spiritus Sanctus est insatiabilis: ita & charitas satietatem scire nescit. B Est autem Sanctus Spiritus dupliciter insatiabilis, & inexplebilis; Primò quidem in semetipso, etsi enim sit natura ac essentia suâ amor atq; amoris ardor, quo essentialiter substantialiterq; Pater & Filius, imò tota Sanctissima Trinitas ardet in se se, & erga sese, explendo & exsaturando se se amore suimet in omnem partem, seu potius capacitatem suam Divinam: ista tamen C ipsa expletio, & exsaturatio talis est, ut semper seipsam sitiat, & esuriat, & expletionem sui, quasi assiduo per omnia æternitatis suæ momenta incipiat sicut ignis quidam maximus, ardorem suum sic perpetuò diffundit, ac si eum in momenta omnia diffundere incipiat: aut sol lucem suam, sic perpetuò (ut sic dicam) eructat, quasi eam in omnibus suis momentis eructare inceptet.

D Hunc insatiabilitatis inexplebilitatisque Sancti Spiritus in amando modum, pro modulo suo charitas perfecta imitatur: quia quantò est perfectior & major, tantò & in Deum amatum suum effunditur profusiùs atq; prodigaliùs, & nihilominus tantò ampliùs famescit, sititq; eam ipsam sui, in profundendo ac prodigendo se, profusionem, & prodigalitatem: semperq; sibi videtur incipere, semper conatur, quasi de novo, & quidè ampliùs ac ampliùs in amando procedere, imò excedere. Est tamen in hac imitatione multa & magna disparitas, ac illa potissimũ, quia Divinus Spiritus immensus & infinitus est in amando, actualiter semper talis existens, qualis esse in Deo potest, semperq; se se cum sua infinitudine infinita possidens, & possidendo eructans, & quasi innovans. Charitas nostra porrò in hoc toto negotio ad mensa, & limitata est, esseq; cogitur, quia creata est.

Imitationis porrò istius luculentum exemplum habemus in charitate Beatorum, Deoquè non in ænigmate & per speculũ, sed facie ad faciem fruentium, quem sua charitate ita amant, ut totis se ament, neq; amare unquã cessent, ita tamen amorem suum sitiunt, sitiendoq; reassumunt, & in amatum Deum profundunt, ac si in momenta singula profundere atq; eructare incipiant.

§ II. Modus hic quo Sanctus Spiritus insatiabilis & inexplebilis est, respectu scilicet creaturæ: adhuc bifariam dividi potest.

1. In

1. In eum quo Spiritus Sanctus amat creaturam, amat enim illam insatiabiliter & inexplebiliter, ita ut se ejus amore nunquam expleat, sed eam semper plùs & plùs amare, amabilemq; sibi facere & fieri cupiat, quò illam plùs semper amare possit. Inde quantùm ad Spiritûs Sancti desiderium attinet, semper eo flammescit, ita ut faciat optetque sibi creaturam ampliùs ampliùsq; amabilem, dummodò ex parte creaturæ impedimentum non fiat, partim à naturali ejus limitatione & fragilitate, partim à miserâ tepiditate, partim à necessariâ ad alias res conversione &c. Qua in re creatura multũ circumspecta esse debet, ne suâ quantulacunq; culpâ Spiritûs Sancti desiderium frustretur, sed se illi amabilem ampliùs ampliùsq; tum ipsa reddere conetur, tum reddi ab ipso patiatur.

2. In eum quo Spiritus ipse Sanctus à creatura amari vult & debet, quo etiam modo ac sensu Spiritus Sanctus in amando insatiabilis & inexplebilis est, dupliciter 1. quia cum sit infinitè amabilis, & immenso amore dignus, creatura autem tota quanta est, finita & limitatata sit, nunquam tantùm potest in amore Spiritus Sancti procedere, quin adhuc infinitum infinities remaneat, quo progredi & excrescere in amando possit sive intensionem, sive extensionem amandi spectes. 2. quia Spiritus Sanctus ex providentissimâ dispositione suà, ita charitatem hujus vitæ atquè viæ quantumvis consummatam, perfectam, æstuosam, æstuantemq; moderatur, ut licet ab eâ amari infinitè desideret, licet in eâ inexpletam amandi sitim excitet: occultis tamen suis & charitati salutaribus consiliis, ita illam satiat, ut tamen non exsatiet. Et hoc variis quidem modis, sed illo inprimis, quo nunc se se charitati in manus & quasi potestatem possessionemq; tradit, sic ut perennaturus in manibus charitatis, animæque amantis ab eadem reputetur; & nihilominus interea, dum maximè plenè possideri videtur, elabitur, dumq; plenissimo sinu haberi & hauriri creditur, abesse sentitur. Unde mirabili dispositione & abest & adest, & absens quæritur, & tamen qui quæritur, imò quia quæritur, præsens habetur, non enim quæreretur nisi āaretur, quia ergo amatur, habetur sine dubio, & tamen ideo quæritur, quia absens vel creditur vel sentitur.

Nimirum hic est ille ludus Sapientiæ Sancti Spiritûs *ludentis in orbe terrarum*. Qui ludus Spiritui quidem Sancto gratissimus, animæ autem & charitati ejus saluberrimus est: hac enim varietate famis ac satietatis, & conservatur humilitas, & augescit charitas, & excluditur tepiditas, & devitatur periculosa securitas.

§ III. Quinta est charitatis perfectæ cũ Spiritu Sancto similitudo, in eo sita, quod sicut Spiritus Sanctus Deum ubiq; invenit, ostendit, diligit, apprehendit, extollit, *Spiritus enim Sanctus omnia scrutatur etiam profunda Dei.* Et *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Et *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Et *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Act: 2 4. Et ipse est *qui suggerit omnia nobis, docetq; nos omnem veritatem, & habitans in nobis, postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ad eundem modum perfecta charitas Deum suum in omnibus omni tempore scrutatur, vestigat, odoratur, agnoscit, apprehendit, amplectitur, tenet, possidet, fruitur, non tantum in rebus supernis, spiritualibus, æternisq;, sed etiam in infimis, immaterialibus, caducis: Nec solùm in prosperis & ex voto fluentibus, sed etiam in adversis & amaris.

Neq; tantùm in suis, verùm & in alienis, reperiens amatum Deum omnia in omnibus. Si enim sensualis suæ naturæ ductu & pondere bruta omnia quocunq; se se converterint ubiq; pastum, ubiq; aliorum sensuum suorũ aut oblectationem, aut expletionem quærũt, quantò magis maximum (post Deum) præcipuumq; rationis bonum, quale charitas est id præstabit in animâ suâ, ut ubiq; locorum rerum, temporum, actionumq; suarum, unicum & summum, & ultimum deliciosissimumq; pastum seu bonum suum, & quærat & inveniat? Et sensus quidem brutorum non sunt adeo felices, ut ubiq; quòd delectet vel pascat eos, reperiant: at charitas eam felicitatem de cœlo hausit, quòd ubiq; summas delicias suas, Divinam scilicet essentiam, præsentiam, bonitatem, dulcedinem, pulchritudinem, majestatem, sapientiam, potentiam, dilectionem, misericordiam, veritatem, justitiam, Trinitatem, unitatemquè, infallibiliter, & superabundanter inveniat, obtineat, & fruatur: Non aliter quàm oculus sanus & illuminatus ubiq; quòd aspiciat habet: aut certè non aliter, quàm Beatorum spirituum quisq; *semper ubiq; videt faciem sui Patris qui in cœlis est*: ita enim & charitas

charitas perfecta vel in ipſis inferis, in ipſis maledictis ſpiritibus, in ipſis peccatis Deum quo paſcatur, quemq; diligat, obtinet. Quia nimirum, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, non in aliud profectò, quàm in dilectionis, æſtimationis, venerationis, laudationis, fruitionis, exultationis, prædicationiſq; bonum.

§ IV. Sexta charitatis perfectæ cum Spiritu Sancto ſimilitudo, in eo ſita eſt, quòd ſicut Spiritus Sanctus omne medium inter Deum & animam tollit, & animam ipſam, quãtùm creaturæ fas eſt, immediatè Deo adglutinat & adjungit, ita charitas perfecta ſibi ſub ditam animam conſtantiſſimo conatu, efficaciſſimoq; effectu, ad Deum facit adhæreſcere, excluſo prorſus omni quò ad hæc vita ſinit medio. Quantùm valeat Spiritus Sanctus in uniendo hominem Deo, habemus maximum exemplum in Deo Incarnato per Spiritum Sanctum. Sic enim opera Spiritûs Sancti conceptus eſt de Pretioſiſſimæ Virginis, puriſſimis ſanguinibus Chriſtus IESUS ut ſimul & conciperetur ſecundùm carnem, & aſſumeretur ſeu aſſociaretur hypoſtaticè ad Deum ſecundùm perſonam, fieretq; unus & idem realiter Deus-Homo, Verbum Caro, cujuſmodi unionis cum Deo creaturæ alicujus nullum quidem aliud exemplum habemus præterquam in Chriſto IESU Domino noſtro: attamen vel ex hoc uno ſatis diſcimus, quantus unitor ſit Spiritus Sanctus creaturæ cum Deo.

Exſtant verò & aliæ, infinitè quidem diſpares, ab hac unâ Hypoſtatica, uniones, quas idem Spiritus Sanctus inter Deum & creaturam operatur, multùm tamen eximiæ & ſingulares, quarum una eſt Maternitatis Divinæ, ſeu Matris & Filij Dei unionis, quàm idem Spiritus Sanctus, uſq; eo produxit, ut Virgo fieret Mater, & Mater quidem Dei Filij, ita ut qui erat Filius Dei ab æterno, fieret etiam Filius Mariæ Virginis ex tempore. Unio creaturæ & Dei ſanè ſtupenda, & ſoli Matri Dei, à ſolo Spiritu Sancto danda. Altera ſimiliter magnarum admirabiliumq; unionum eſt, quas Spiritus Sanctus inter creaturas & Deum operatur, unio, viſio, poſſeſſio, tentio, fruitio beatifica, quâ Sancti in cælo ad Deum uniuntur perfruunturquè. Unio verè beata, verè beatificans, per æternitatem omnem durans: quâ Deus in Sanctis ſuis viciſſimq; Sancti in Deo ſuo inhabitant. Sicut dicit Deus: *Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.* 2. Cor: 6. 16.

Eſt & tertia quædam unio, quam Spiritus Sanctus operatur inter creaturam & Deum: unio nempe gratiæ ſanctificantis, à quâ unione Filii Dei nominamur & ſumus, qua itẽ Deus ſpeciali, & ſolis juſtis, gratiaq; ſanctificante dignatis proprio modo, juſtorum animas inhabitat, eoſq; reali & intimâ ac interA nâ præſentia ſuâ dignatur, & amicos Hæredeſq; ſuorum bonorum omnium conſtituit.

Eſt inſuper alia quoq; Spiritûs Sancti unio quâ creaturam Creatori unit, ſcilicet per Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, per quod creatura corpore ſanguineq; Domini IESU cibatur, & alitur, alta autem & cibata eidem unitur. *De quo tam Myſterio quàm beneficio grandis nobis ſermo & . in interpretabilis.* Heb: 5 11. ſed non hujus loci, oſtendiſſe illum & memoraſſe ſufficiat.

B In hiſce unionibus creaturæ ad Creatorem, imitatur charitas perfecta Spiritum Sanctum. Præterquam enim quod in ſupra dictis omnibus unionibus, per Spiritum Sanctum factis ac fieri ſolitis intervenit ſuo modo etiam charitas noſtra, de qua loquimur: ipſa quoq; etſi non abſq; Spiritu Sancto, ſuas uniones operatur, quibus animam unit & adglutinat Deo. Etenim unâ cum gratia ſanctificante animam in Deum, & Deum in animam introducit, manſionemq; mutuam C intra ſe ſe conſtituere facit, juxta illud: *Ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Item: *In me manet, & ego in eo.*

Deinde non contenta quomodolibet & cum gratiâ Deum & animam conjunxiſſe, illud ulterius operatur, ut anima *renuntians omnibus quæ poſſidet*, ſive in rebus mundi hujus, ſive in rebus corporis proprij, ſive intra ſemetipſam, nudata prorſus omni & re, & ſpe, & curâ, & deſiderio, & poteſtate, & deniq; poſſibilitate, ſolam ſoli Deo uniat, deD ſponſet, maritet vinculo votivo, æternum durativo.

Præter hæc autem, eadem charitas perfecta unit animam Deo ſuo, partim in exacta abnegatione & mortificatione ſui ipſius, paſſionumq; & deſideriorum ejus, partim in diſciplinata & deſæcatâ, morum, virtutum, actionum, paſſionum, voluntatumq; Chriſti imitatione enitendo uſq; ad exemplarium Chriſti Domini Virtutum ſummitatem, cui accedit unio per Sacratiſſimi Sacrificij & Sacramenti

menti

menti usum, itemq; per purissimam cordis munditiem, pacem & ardorem, itemq; per assiduum & insatiabilem ampliùs ampliùsq; in perfectione vitæ operumq; quotidianorũ, magnorum juxta & parvorum, atq; adeo etiam minimorum proficiendi, excrescendi conatum.,

Quibus omnibus partim innectitur, partim adstipulatur, partim succedit resignatio in Dei voluntatem & placitum absoluta atq; perfecta, transformatioq; creatæ voluntatis in increatam ac Divinam, non quidem secundùm Entitatem, attamen secundùm affectionis identitatem, volente anima aliudnihil, nisi quod vult, & quia vult Deus, vicissim Deo nec indecorum, nec indignum, se se reputante, facere voluntatem timentium & diligentium se, exaudireq; desideria, imò & radices desideriorum eorum. Atq; istas & similes uniones suas quibus charitas animam

A

B

Deo conjungit, eadem charitas lactat, nutrit, fovet, firmat & solidat, assidua Dei præsentis amatiq; ardenter memoria, tum oratione & colloquii familiaris assiduitate. Meditatione item, & contemplatione defæcatâ & perseveranti Divinarum tum misericordiarum, tum perfectionum, suarum verò miseriarum & obligationum. Insuperq; zelo ardenti tam gloriæ Divinæ, quàm salutis perfectionisq; non minus alienæ quàm propriæ. Ut zelo isto lucrãdi animas amato amatoriq; suo Deo easq; ad observationẽ & executionẽ, seu mandatorum, seu etiam consiliorum adducendi in eâq; stabiliendi, efficiatur anima zelatrix, & frater, & soror, & Mater Christi.

O charitas sancta, ô charitas perfecta, ô charitas beata, ô charitas filia Spiritûs Sancti, charitas viscera Christi, ô charitas Deus, posside nos, nutri nos, inflamma nos, depasce nos, in Deum transforma nos, cui gloria in sæcula. Amen,




Biblioteka Jagiellońska
stdr0009000

geluum.

...n sero factum esset quia

quod est ante sabbatum ve

...thia nobilis Decurio qui

regnum Dei. Et au...

Pila tum et petiit corpus

...mirabatur si iam